Codex
GMC

CODEX
DIPLOMATICUS POLONIÆ,

QUO CONTINENTUR PRIVILEGIA

REGUM POLONIÆ, MAGNORUM DUCUM LITHVANIÆ,

BULLÆ PONTIFICUM

NEC NON

JURA A PRIVATIS DATA,

ILLUSTRANDIS DOMESTICIS REBUS GESTIS INSERVITURA

adhuc nusquam typis exarata, ab antiquissimis inde temporibus usque ad annum 1506.

STUDIO ET OPERA

LEONIS RZYSZCZEWSKI ET OLIM ANTONII MUCZKOWSKI

COLLECTUS.

TOMUS TERTIUS.

EDIDIT

PROF. JULIANUS BARTOSZEWICZ,

Caesar. Societatis Geographicae Petropolitanæ et Commissionis Archeologicæ Vilnensis Membrum, nec non Caes. Reg. Societatis Litterariæ Cracoviensis Socius Correspondens.

VARSAVIAE.
1858.

CODEX

DIPLOMATICUS POLONIÆ.

(Code

CODEX
DIPLOMATICUS POLONIÆ,

QUO CONTINENTUR PRIVILEGIA

REGUM POLONIÆ, MAGNORUM DUCUM LITHVANIÆ,

BULLÆ PONTIFICUM

NEC NON

JURA A PRIVATIS DATA,

ILLUSTRANDIS DOMESTICIS REBUS GESTIS INSERVITURA

adhuc nusquam typis exarata, ab antiquissimis inde temporibus usque ad annum 1506.

STUDIO ET OPERA

LEONIS RZYSZCZEWSKI ET OLIM ANTONII MUCZKOWSKI

COLLECTUS.

TOMUS TERTIUS.

EDIDIT

PROF. JULIANUS BARTOSZEWICZ,

Caesar. Societatis Geographicae Petropolitanæ et Commissionis Archeologicæ Vilnensis Membrum, nec non Caes. Reg. Societatis Litterariæ Cracoviensis Socius Correspondens.

VARSAVIAE.

1858.

KODEX
DYPLOMATYCZNY POLSKI,

OBEJMUJĄCY PRZYWILEJE

KRÓLÓW POLSKICH, WIELKICH KSIĄŻĄT LITEWSKICH,

BULLE PAPIEZKIE,

JAKO TÉŻ

WSZELKIE NADANIA PRYWATNE

MOGĄCE POSŁUŻYĆ DO WYJAŚNIENIA DZIEJÓW WEWNĘTRZNYCH KRAJOWYCH,

dotąd nigdzie nie drukowane, od najdawniejszych czasów aż do roku 1506.

WYDAWANY

ZA STARANIEM I PRACĄ

NIEGDYŚ

LEONA RZYSZCZEWSKIEGO I ANTONIEGO MUCZKOWSKIEGO.

TOM TRZECI.

WYDAŁ

JULIAN BARTOSZEWICZ,

Członek Cesar. Towarzystwa Geograficznego Petersburgskiego i Kommissyi Archeologicznéj Wileńskiéj, oraz Ces. Kr. Towarzystwa Literackiego Krakowskiego Członek Korrespondent.

W WARSZAWIE.

1858.

Wolno drukować, z warunkiem złożenia w Komitecie Cenzury, po wydrukowaniu, prawem przepisanéj liczby egzemplarzy.

W Warszawie, dnia 22 Listopada (4 Grudnia) 1858 r.

Cenzor, **Fecht.**

w Drukarni pod firmą Gazety Codziennéj przy ulicy
Daniłowiczowskiéj N. 619.

PRZEDMOWA.

Otóż i trzeci tom Kodexu Dyplomatycznego a czwartą księgę, gdyż tom drugi na dwie części się dzieli, podajemy w ręce ciekawego czytelnika. Nowy to zasób dla nauki, ten zbiór dokumentów średniowiecznych dla Polski.

Długą zaiste była przerwa w wydaniu tych drogich zabytków historyi ojczystéj, trudno tego nie wyznać, ale mimo to nie można obwiniać nikogo o niedbalstwo. Wiele przyczyn wpłynęło na to opóźnienie się, wiele trudności trzeba było przełamać, zanim się przystąpiło do wydawania dalszego ciągu Dyplomataryusza. Najważniejszą zaś przeszkodą była śmierć, prawie nagła, uczonego professora i archiwisty Antoniego Muczkowskiego, który głównie dotąd zajmował się redakcyą. Umarł w saméj sile wieku mąż ten wielce zasłużony względem naszego Kodexu, który całe życie swoje poświęcił zbieraniu źródeł dyplomatycznych.

Po śmierci Muczkowskiego, nas wezwano do uporządkowania i wydania następnych tomów Kodexu. Dotąd nie mieliśmy nawet najmniejszego związku z samą redakcyą, czytaliśmy tylko dokumenta dla własnéj nauki i ztąd mieliśmy wiele dla nich interesu. Ale nigdy na myśl

nam nie przychodziło, żebyśmy kiedykolwiek byli wydawcami Kodexu Dyplomatycznego, gdyż od lat najmłodszych na innéj zupełnie drodze pragnęliśmy pracować i zasługiwać się względem nauki dziejów narodowych. Brakowało nam wtedy czasu, abyśmy i tą nową pracą po Muczkowskim zająć się mogli. Ale ustąpiliśmy wreszcie naleganiom znakomitego i uczonego męża Wacława Alex. Maciejowskiego, którego szczególniéj obchodziły losy naszego Kodexu warszawskiego. Oprócz autora Historyi prawodawstw słowiańskich słuszna wdzięczność należy się jeszcze uczonemu a dobrze już względem literatury ojczystéj zasłużonemu Alexandrowi Przezdzieckiemu, który znowu po Rzyszczewskim wziął na siebie cały ciężar materyalnego wydawnictwa Kodexu i pod tym względem pracował jak najserdeczniéj. Rzyszczewski był najpierwszym u nas w Królestwie Polskiém uczonym, który w ostatnich czasach odżywił miłość dla badań dziejowych na zasadzie źródeł dyplomatycznych, ale późniéj sprawami rodzinnemi zajęty, musiał przerwać pracę około swojego Kodexu i ogłaszania ciekawych zbiorów swoich drukiem. Alex. Maciejowski i Przezdziecki wspólnemi siłami tego dokazali, że wielkie dzieło przez Rzyszczewskiego zaczęte, i po śmierci nawet Muczkowskiego daléj wychodzi.

W tomie 2gim wydano przywileje do jednéj tylko odnoszące się prowincyi, tojest do Kujaw; w tym tomie 3cim w podobnyż sposób wydajemy przywileje także jednéj prowincyi, tj. Małéjpolski. Potém w jednym tomie zawarte wyjdą przywileje Mazowieckie i w taki sposób pójdzie wydanie daléj; każdy tom poświęcony będzie dla wydania dyplomatów odnoszących się do jednéj a zawsze innéj prowincyi. Sądzimy, że najpraktyczniejsze będzie na przyszłość takie ogłaszanie zebranych już bogactw naszych dyplomatycznych. Liczba tylko większéj lub mniejszéj ilości tomów dyplomataryuszów prowincyonalnych zależeć będzie od większéj lub mniejszéj miary zebranych źródeł prowincyonalnych, gdy bogactwa nasze dyplomatyczne przygotowane już do druku codzień powiększać się mogą nowemi a nieznanemi na-

bytkami, które nam ludzie gorliwi o postęp nauki nadsyłać będą. W istocie wiele już mamy, ale więcéj daleko źródeł dyplomatycznych znajduje się po klasztorach, po bibliotekach i po rękach prywatnych. Trudnoby nawet chociaż w przybliżeniu oznaczyć wprzód wielkość naszego Dyplomataryusza: gdyby wolno nam było kiedyś objąć drukiem wszystkie dzisiaj istniejące, znane lub nieznane źródła dyplomatyczne, mogłoby się tego zebrać na kilkadziesiąt może tomów. Porządek tedy przyjęty nic nie przeszkadza, żeby po wydanym dzisiaj dyplomataryuszu małopolskim, nie przyszedł z kolei znowu w jednym z następnych tomów inny dyplomataryusz małopolski, po jednym mazowieckim drugi i trzeci mazowiecki i t. d.

W tym trzecim tomie za Małopolskę uważaliśmy tylko ziemie, które do tego nazwiska największe mają prawo, tj. ziemię Krakowską, Sandomierską i Lubelską. Pomieściliśmy jednak tutaj niektóre przywileje Podlaskie i Szląskie; Podlasie albowiem należało zawsze do Małéj-polski w rozleglejszém wziętéj znaczeniu, a samo przez się nie może dostarczyć wątka do oddzielnego prowincyonalnego dyplomataryusza; Szląsk zaś najwięcéj miał zawsze stosunków z Małąpolską, a że około dziejów jego pracowali już wiele uczeni niemieccy i dyplomataryusze szląskie wydawali, nam Polakom niewiele dostanie się przywilejów do wydania, odnoszących się do dziejów téj niegdyś koronnéj prowincyi i dzisiaj jeszcze pół na pół polskiéj. Dyplomata ruskie także odnoszące się do historyi Rusi Czerwonéj, obejmiemy w osobnym tomie: tutaj już bogactw dyplomatycznych na kilka tomów może wystarczyć, skoro materyały się zbiorą wszystkie. Wszakże już są i tak osobne dyplomataryusze ruskie i przywilejów ruskich drukuje się dużo we Lwowie.

Przywileje, które się tutaj wydają, należą jeszcze po większéj części do zbiorów Leona Rzyszczewskiego. Oprócz tego Wacł. Alex. Maciejowski udzielił redakcyi kopij wielu przywilejów małopolskich z klasztoru Staniątkowskiego w Krakowskiém; kopie te za jego staraniem sporządził uczony i biegły w przepisywaniu takich zabytków

przeszłości dzisiaj już zmarły Sławiński; kopie przez niego przygotowane niczego nie zostawiają do życzenia; oprócz albowiem dyplomatycznéj ścisłości z jaką przepisane są, Sławiński objaśnił je mnóstwem skazówek pożytecznych, z których chętnie korzystano. Będziemy również korzystali z wybornéj jego pracy i przy następnych tomach. Józef Łepkowski, mieszkający w Krakowie, badacz gorliwy, wsparł téż znacznie Rzyszczewskiego, gdy dla kodexu przepisał wiele przywilejów miast galicyjskich; żałować tylko należy, że w kopiach swoich nie dał żadnych opisów ani objaśnień, z jakich źródeł wypisywał: z oryginałów czy transumptów; jakie przy dyplomatach swoich znalazł pieczęci? i t. d. I nietylko te kopie, których dostarczył Łepkowski, ale inne tutaj wydrukowane, np. kopie z dyplomatów biblioteki Nieborowskiéj Radziwiłłów, a zdjęte z samych oryginałów przez Rzyszczewskiego lub Muczkowskiego żadnych nie mają objaśnień; dlatego nic powiedzieć nie mogliśmy o tych oryginałach, gdy nie mieliśmy już ich w ręku; jednakże o wierności dyplomatycznéj kopij wątpić się nie godzi, gdy odczytane były i skollacyonowane przez samych pierwszych redaktorów kodexu. Archiwum główne Królestwa dostarczyło téż wiele kopij przywilejów w tym tomie pomieszczonych.

Oprócz tych bogactw zbioru Rzyszczewskiego, niewiele innych przywilejów ze zbioru tego niepochodzących, teraz ogłaszamy drukiem. O wszystkich, zkąd są wzięte i jak dzisiaj wyglądają, wspomnieliśmy obszerniéj w notach. Największéj z nich liczby udzielił nam ś. p. Władysław Wieczorkowski, nasz przyjaciel, młodzieniec pełen gorliwości i najlepszych chęci dla nauki, który w r. z. w Syrakuzach pod wiosennem niebem Włoch zakończył życie (15 stycznia 1857).

Nie potrzebujemy wreszcie dodawać, że cały układ i porządek dzieła przy wydaniu tych dyplomatów przyjęliśmy z dawnéj redakcyi i ściśleśmy się do tego zawsze stosowali.

26 Sierpnia 1858. **J. B.**

Lectori benevolo.

En tertius tomus Codicis Diplomatici Regni Poloniae, totius vero operis volumen quartum.

Quod novum historiae patriae praesidium licet expectatione tardius in lucem prodeat, quattuor fere annorum spatio a tertio volumine separatum, aequi boni facias Lector benevole! Tantum enim abest, ut haec mora nobis crimini sit danda, ut, si in rem accuratius inquisiveris, omni negligentiae suspicione Te nos absoluturum, confidamus. Ac vero in gravissimis causis, cur hoc volumen justo tempore superiora non sit consecutum, ut multas difficultates ejusmodi laborem obstruentes, silentio praetereamus, ponenda praematura mors professoris Antonii Muczkowscii, viri de Codice nostro optime meriti, quique ad fontes diplomaticos conquirendos explicandosque natus fuisse, sit dicendus.

Quum Muczkowski in ipso aetatis flore rebus humanis ereptus esset, invitati sumus, ut Codicis hujus adornandi negotium susciperemus. Quam

provinciam, quamvis mirifice nobis arridentem, neque a studiis nostris alienam, quum non harum virium esse putaremus, diu detrectavimus, permultis occupationibus distenti, donec Venceslai Maciejowscii, magnum in republica literaria nomen habentis, auctoritate permoti, satisfecimus votis Alexandri Przezdziecii, viri de re literaria Polonorum meritissimi, se Codicis nostri edendi curam post Leonem Rzyszczewscium, qui domesticis negotiis impeditus, inceptum a se opus ultra tertium volumen persequi non posset susceptūrum profitentis. Ita factum est, ut opus Muczkowscii morte interruptum, haud exiguo temporis spatio interjecto, tandem a nobis retractari inciperet.

Rationem a decessore nostro initam, ut singuli tomi singularum provinciarum monumenta historica exhiberent, secuti, hoc volumine diplomata ad res Minoris Poloniae spectantia, complexi sumus. Neque de hac via in posterum deflectemus, ita tamen ut, si qua adhuc ignota rerum monumenta ad provincias, in historia quarum superiora voluminà versantur spectantia in lucem protracta fuerint, ea iis, quae sequentur, voluminibus, inseramus.

Minorem autem Poloniam, arctiore hujus vocis significatione, intelligimus tres provincias, terram Cracoviensem, Sandomiriensem, Lublinensem. Quae quum ita sint, nihilominus tamen aliquot monumenta historiae Silesiae et Podlachiae lucem afferentia, quae nondum prelo sunt mandata, huic quarto volumini subjungere non dubitavimus, diplomata Russiae Rubrae, provinciam puta, cui hodie Galiciae nomen est, aliis voluminibus complexuri.

Quae monumenta in hoc libro leguntur, eorum bona pars collecta industriae Leonis Rzyszczewscii debetur, viri ob fontium historicorum studium in Regno Poloniae excitatum jure meritoque laudandi. Huic Rzyszczewscianae copiae accessit haud exiguus numerus diplomatum, a Clariss. Maciejowscio e bibliotheca Staniątcensis monasterii erutus, tum aliquot urbium et oppidorum Galiciae documenta a Josepho Łepkowscio, juvene ornatissimo, descripta, quae omnia antiquitatis scrutatorum vota explerent, si notitiis de loco, quo nunc asserventur, de sigillis quibus sint munita, de aliis id genus rebus instructa essent, quod idem apographis a Muczkowscio et Rzyszczewscio ex Nieborowiensi Principum Radziwiliorum tabulario confectis, objici potest.

Denique ex publico Regni Poloniae tabulario haud pauca diplomata sunt deprompta. Fides monumentorum, quae hoc volumine continentur, in dubium nequaquam est vocanda, quamvis de nonnullis eorum accuratas notiones tecum, Lector benevole, communicare non possimus, archetypa eorum ad manus habentes nulla.

Quae diplomata Minoris Poloniae in hoc volumine Rzyszczewscianae collectioni de suo adjecimus, majorem partem eorum acceptam referimus Vladislao Wieczorkowscio, egregiae spei adolescenti, qui ante XVIII d. Cal. Febr. 1857 *a. omnibus bonis flebilis diem obiit supremum.*

Varsoviae, die VII. Cal. septembr. 1858 a. **J. B.**

INDEX CHRONOLOGICUS

DOCUMENTORUM TOMI III CODICIS.

Asterisci appositi indicant argumenta tabularum, jam in aliis operibus typis descriptarum, in nostro Codice tantummodo laudatarum.

---

(1) Errore typothetae duo documenta uno numero (XXIV) distincta sunt.

(1) Numerus tabulae (LXX) perperam repetitus.

I.

Sine loco et anno (992—1025).

Rex Boleslaus dictus Chrobry villas monasterio Tinecensi donat. (1)

....Thinciensem villam cum transitu nauali et una taberna, secunda ultra fluuium cum voto Ducis duodecim Marcarum argenti et tribus poledris singulis annis et omnibus ministris curie Regis competentibus, cum omni castellatura ab omnium impedimento defensis, tam Pistoribus, Lagenariis, quam Cocis et Camerarijs Piscatoribus et Pecorarijs, et omni *constantia* (sic) muniuit villam Lantiki cum ascripticijs, villam Kasow cum ascripticijs, villam *Cysow* cum Smardonibus sub una circuitione. *Wojtouo* cum Piscatoribus, Ninec Priuit artifex Lagenarum et doliorum. *Prandnyk* cum una taberna cuius heredes Mars et Ratey tres scotos soluentes. Que ville ab omni sunt pensione Ducis immunes. Duo macella in Cracouia. In Sydina quatuor surouice et due taberne et zamar de unaquaque sartagine et dedina. Chorouice villa, Radessow villa cum mellificio et venatione. In Bytom Thargoue due taberne. In Sewor *nonum* Thargoue, una taberna, unum macellum, Stecleth, Grussow. Ad magnum salem quartuor (sic) thargoue et quatuor taberne et pecine, et qualibet septimana tres alueos et quartum sredne, et septem pro lignis. Labscicia et cum Coyanow et sale et seruo *Zului* et fratribus eius....

(1) Tria privilegia, a quibus Tomum hunc tertium Codicis nostri incipimus, Boleslai regis dicti polonice Chrobry (strenuus, fortis), Judithae reginae Vladislai Hermani uxoris et Boleslai Crivousti, sunt antiquissima monumenta Poloniae diplomatica, nostrarum rerum gestarum scrutatoribus nota. Omnia haec tria privilegia continentur in transumpto Boleslai Pudicis ducis Cracoviae Sandomiriaeque, quod in toto sub anno 1275 in lucem edimus. Quare benevolum lectorem infra ad eundem annum delegamus.

II.

Sine loco et anno (circa 1086).

Regina Juditha uxor Vladislai Hermani villas monasterio Tinecensi donat.

....Regina Juditha contulit Thinciensi Ecclesie *Kxegnyci* cum taberna et seruis Sokol et filijs eius Nedamir et Milui *Zgliza.* In Dolany kamerarij Moris, Tuor, Petrus cognominatus Zrobadlo, Damian in litore Wisle, Camerarij in Kargow Sulek pistor. In powozow *Zira* cum fratribus. *Tukow* heredes Medwed, Rsech, Mych, Woyan, Zdanouici villa *Pozropis, Miley,* Brestrik, Paleta. Vnochouici villa Vnoch, Graza, Carbela, *Zbor.* Bezdochouici villa Vnic, Gostenta, Suepetnici villa *Nenomysl, Crothouici* villa *Croth,* Varga, Zuloth, Mlodos, Wisetrop. Sebna villa Graža, Gnevan. Doborin villa Reuesa, Mlotha, Dobrosta. Similno villa Syrokina Negrod. Pouozow villa Neguz Veuoz, Rodesa. Cecouici villa Gneuoni et Granzonis Malchina, Vnemisl, *Sdun, Tharnow,* Pilzno, Mislouici Zdebuc, Neroda, Nedosa, Repoch, Lube, *Ucolici,* Fabri In *Dunauiz* domine Judithe homines Radesa, Nemoy, Zduta, Radech. Vnesici villa Zdimir, Drogota, *Zgles* Lezteka, *Tesela, Vsezul.* Zobolici villa Miley, Ztron, *Borsa.* Clececi villa Ztroy, Piuona Crazika, Vnes, Crassek, Negan, Zglon. *Brestek, Billa,* Banz, Rados. Hij omnes homines cum villis in *Knegnych* pertinentes, Ecclesie Thinciensi tributum et Strozam cum Pomochne soluunt...... ([1]).

([1]) Apud Szczygielscium in Tinecia legimus in fine hujus privilegii etiam sequentia quae in archetypo Maciejovscii desunt: „Curiam sepiunt Dominorum suorum cum plantis, in longitudine octo ulnarum; Duas Domos quolibet anno faciunt quatuordecem ulnarum; quilibet ipsorum quinque capetia metere, et ad horreum deducere, et quilibet quinque currus feni falcare, et adducere singulis annis tenetur; currus in Tineciam ducere quotiescunque opus fuerit. Decimas triturare et ad claustrum deducere, quolibet anno tenetur; quatuor diebus omni anno arare, et erpicare, ubi vicinior Curia fuerit; item de qualibet Curia quolibet anno, Urna mellis, et quatuor asperioli, Monasterio supra dicto cedent de ipsis hominibus. Et si quis ipsorum in furto deprehensus fuerit, tres urnas mellis pro poena solvet, si in poena sex marcarum manserit, urnam mellis solvet. Statio prima Abbati apud ipsos, Secunda Praeposito, Tertia Tribuno, Quarta Tributario. Item quicquid eisdem praecipitur, laborant".

III.

Craconiæ, anno 1125.

Rex Boleslaus dictus Krzywousty et episcopus cracoviensis Radostus, villas et decimas monasterio Tinecensi donant. Cardinalis vero Aegidius legatus omnia haec confirmat.

....*Opatovech* quod Rex Bolezlaus cum foro et taberna et transitu nauali et voto duodecim marcarum singulis annis et duabus tabernis in *Wisla* ecclesie Tinciensi contulit cum hominibus Rac, Chrust, *Branco*, Duran. Harum villarum decimas et omnium que religiosis viris collate sunt rogatu Ducis Bolezlai Radostus Episcopus eidem Ecclesie contulit. Thinciense vero *monasterium* omnimodo liberum esse, apostolica auctoritate decernimus, saluo tamen honore et reuerentia Cracouiensis Ecclesie ac domini Radosti, suorumque successorum, scilicet. ut nullus Dux, Episcopus, Marchio, Comes, vicecomes, nulla persona magna uel parua Ecclesiam Thinciensem molestare vel de predijs et decimis Ecclesie aliquid subtrahere presumat. † (1).

Quisquis autem huius nostre pagine *extiterit violator*, vel de Ecclesie rebus aliquo conamine quidpiam aufere voluerit, a liminibus sancte Ecclesie et omnium fidelium Christianorum consorcio separatus ac viuifico corpore et sanguine domini nostri Jesu Christi segregatus, iram omnipotentis dei et maledictionem *omnium sanctorum* incurrat, et sit anathema maranatha, et cum Juda traditore in die iudicij portionem accipiat. Qui custodierit et dei ecclesiam non molestauerit, benedictio quam promisit deus diligentibus se, in eum descendat, et cum fidelibus omnibus vitam eternam possideat. Amen. Acta sunt hec Anno Incarnationis domini M.° C.° V.° Indictione XIII, epacta III Sub Bolezlao Duce in ciuitate Cracouiensi, annuente ipso Duce et Episcopo Radosto, coram

(1) Ab hoc loco dicit cardinalis Aegidius „Egydius Thusculanus Episcopus sancte Romane Ecclesie et domini Kalyxti Pape per Hungaricum et Polonicum Regnum legatus" anno 1125 non autem 1105 uti in hoc privilegio legitur: qua de causa vero anno 1125? vide transumptum horum trium privilegiorum Boleslai Pudicis infra ad annum 1275.

hijs testibus Scarbimiro, Woyzlao, *Poztigo,* Andrea, Sulek cum filio Martino: *Brondota, Duagor....*

IV.

Sine loco circa annum 1153.

Henricus filius Boleslai Ducis Poloniae villas *Zagost* **et** *Bereszowie* **alias** *Właszow* **Hospitali S. Joannis Baptistae Hierosolymitani, jure haereditario donat** ([1]).

In nomine Sanctae et individuae Trinitatis. Ego Henricus Dei gratia filius Boleslai Ducis Poloniae de dominio quod a Patris voluntate et gratia dum viverem habui, pro salute Parentum meorum et mea Hospitali Beati Joannis Baptistae, de Jerosolymis ([2]), ad victum omnium, ibidem in Christo pauperum convenientium villas duas quarum una *Zagost* vocatur et alia *Boreszovie* et alio nomine *Właszow* ([3]) cum LX bubus et X equis, et cum Aratoribus do, sic tamen, ut his qui debent restitutis aratores liberi recedant. Do etiam in *Zagost* iumenta L cum V emissariis, servos quoque eiusdem gregis pastores, ibidem araculo, quorum haec sunt nomina, Esgler et Szilga. Do quoque oves et vaccas, cum pastoribus quorum haec sunt nomina. Malusza, Cernoch, Panten, Suuecek Pantiz, Domatz, Goletz, Gostec, Bac, Opoka, Siz, Cechan. Do etiam vineam cum veneariis, quorum haec sunt nomina, Domavi et Zabor. Do insuper ad restituendos praedictarum villarum boves, Tabernam in *Cechow* ([4]). Porro quia Ecclesiam in honorem Di-

([1]) Ex archetypo membranaceo nunc principum Radziviliorum proprio, in bibliotheca Nieborowiensi asservato.

([2]) Dlugossius fratres hos S. Joannis Hierosolymitani, Cruciferos, Hospitalarios et Templarios vocat. Templarios nunquam Zagosti fuisse, demonstravit nuper Sobieszczański in opere: Wycieczka archeologiczna (legas Bibl. Warsz. 1852. I. Pag. 56—58).

([3]) *Zagost,* hodie *Zagość* villa in territorio et regione Stobnicensi sita. Villam autem *Boreszowe* (alio nomine *Właszów,* uti privilegium hoc nostrum docet) quam nullibi invenire potuimus, hodie esse villam *Beszowa* putamus, eo magis quod sita in territorio et regione Stobnicensi olim ecclesiastica villa fuit, nunc saecularibus adnumeratur.

([4]) *Cechow* hodie haud dubio *Czechów* villa olim ecclesiastica territorii Stobnicensis regionis Szydłoviensis, parochiae Kijensis.

vi et Beati Joannis Baptistae in aliquo praenominatorum locorum, iam dudum me constructurum devoveram, quod tamen vanitatibus huius soeculi detentus dum facere potui, peccator non feci, ad hoc votum complendum, addo Castores de *Malogost* et de *Kire* (5). His omnibus etiam addo ad inserviendum praefati Hospitalis rusticos qui aliquando decem erant in *Chrober* (6), quos frater meus Dux Boleslaus aliquando transmiserat in Cuiaviam; sed eosdem etiam ipso concedendos in praedictam *Zagost* reduxi, ibidem perpetuo remansuros, quorum haec sunt nomina. Sur et frater eius Vuoian, Minslin, Cucek, cum fratre nomine Zawid, Dobrotyech, Sanchora, Suurca, Golissa, Bambiça. Adijcio quoque istis omnibus artifices meos in praefata *Zagost* consistentes, quorum haec sunt nomina Bliszus et frater eius Scarbis, Radon et Sulizław. Hos omnes praenominatos cum supradicta possessione do praedicto Hospitali Hierosolimitano, cum omni posteritate sua, in perpetuum jure haereditario libere possidendos ita tamen ut praetexati officiales, in suis officiis seruiant. *Chrobriam* vero et artifices more liberorum hospitum nunquam tamen a praedicta possessione recessuri. Ut autem haec mea largitio saepedicto Hospitali S. Joannis in perpetuum firma et illibata permaneat Sigilli mei impressione eam corroboro et confirmo. Dominos vero meos fratres scilicet seniores Boleslaum atque Mesconem sicut et fratrem meum juniorem Casimirum eorumque totam posteritatem suppliciter rogo et obnixius obsecro quatenus eandem Elemosinam meam saepe memorato Hospitali causa Dei ob remissionem peccatorum suorum in ea libertate qua eam trado, studeant conseruare, ne videlicet infra terminos quos ibidem me iubente posuit Petrus Bozenowiz aliquis quicquam iniuriae inferre queat et eiusdem praefati loci homines nulli iurisdictioni Polonicae subiaceant, excepto servitio quo fratribus Hospitalis tenebuntur. Tabernario etiam quem in *Cechow* ordinaverint, nullus iniuriam aliquam vel angariam inferre praesumat. Quicunque autem aliquid horum violare atentaverit Anathema sit. Amen. Amen. Amen.

(5) *Małogoszcz*, hodie oppidum in regione Kielcensi, *Kire*, de quali villa huc mentio? nescimus.

(6) *Chrober* nunc *Chroberz* villa parochialis, regionis Szkalbmiriensis.

V.

Anno **1166** *vel* **1167.**

Joannes Archiepiscopus Gnesnensis et Gedco Episcopus Cracoviensis decimas monasterio Jędrzejoviensi donant (1).

In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Cum tempus edax rerum omnes actus humanos trahat continue in oblivionem nisi literarum officio eorum memorie consulatur. Nos Sigismundus Dei gracia etc. nec non terrarum etc. dominus et heres. Significamus tenore presencium etc. Quia Venerabilis Albertus de Clodawa, Abbas monasterij Andrzeowiensis exhibuit coram nobis binas infrascriptas literas ambas una duntaxat pelle complexas. alteras Joannis Archiepiscopi Gnesnensis. alteras vero Gedeonis Episcopi Cracoviensis. sigillis illorum appensis obsignatas. super bona et decimas in eis descriptas editas. priscam illam fidem et simplicitatem per hoc referentes. quod in neutris illarum tempus quo edite sunt fuit adscriptum. Supplicavitque nobis idem abbas. ut eas innovare. auctoritateque nostra Regia confirmare. ac sub sigillo nostro dare dignaremur. Quarum quidem literarum tenores hic sequuntur et sunt tales.

In nomine domini. Ego Joannes Archiepiscopus Gnesnensis. Notum facio presentibus et posteris. me dedisse Ecclesie sancti Adalberti in *Andreow* in consecracione eiusdem Ecclesie. decimam quinquaginta aratrorum. quam postea assignavi in villis illis. tunc

(1) E fasciculo copiarum ill. Leonis Rzyszczewscii e Tabulario Regni descriptarum, teste Antonio Muczkowscio. (L. J. Nr. 48, fol. 955). Transumptum in confirmatione Sigismundi regis 1533. *De Andrejovia*, polonice *Jędrzejow* vide infra.

Joannes stemmatis Gryff Episcopus Vratislaviensis, qui in villa sua Brzecznica dicta monasterium ordinis Cisterciensis primum fundaverat, postea vero Archiepiscopus Gnesnensis (1152—1167) factus „in consecratione ejusdem ecclesiae" uti diploma nostrum docet, una cum Gedeone (Gedcone) Cracoviensi Episcopo, novas decimas illi monasterio contulit. Itaque Joannes et Gedeo ambo consecrationi interfuerunt. Joannes mortuus est a. 1167. Gedeo vero factus Episcopus an. 1166. Itaque consecratio ecclesiae Andrejoviensis, in quo privilegium hoc a duobus Antistitibus datum, et postea confirmatum erat, fuit an. 1166—7 celebratum. Haec de anno privilegii.

temporis ad mensam meam pertinentibus. quarum nomina subdita sunt. Slotnijki. Scothnijkj. Rambiesczicze. lassochow. Zarczicze. Sdanowijcze. Chaczewicze. Bresno. Bregij (²). Dedi eciam cum eadem decima eidem ecclesie et fratribus in ea deo servientibus. hereditatem totam. quam habui ex parte cognati mej. cui nomen erat Zmijl. filij Bozate. (³) hoc est Uijasd. blonije. seszie. Bolonijanij. Blotnijkj. lanche. Scowrodne. Kaminkiej. addi (sic) eciam villas quas emeram. Direnсnam. Buzekow. Tropisouo Bella. Besgen. Quicumque ergo aliquid de istis omnibus abstulerit. vel dempserit preter voluntatem Abbatis. et fratrum anathema sit. In nomine domini.

Ego Gedeo Cracoviensis Episcopus. dedi deo. et beate virgini Marie et sancto Adalberto et fratribus de Andrzeow in consecracione illius Ecclesie decimam ad mensam meam pertinentem omnium suprascriptarum villarum. in Episcopatu meo duntaxat positarum. addidj eciam decimam ville cuiusdam que sedet super indikam. in qua sedent Conarij (⁴) due. (sic) hoc est inter villam filiorum Bugiwoz. et villam Nijegoslai. Quicumque ergo aliquid de istis omnibus abstulerit. vel dempserit preter voluntatem Abbatis et fratrum anathema sit. Utriusque suprascripte donacionis. testis est dominus dux Mesco. dominus Kazimirus Abbas Tijnijecensis. Abbas de calvo monte. Abbas de Sehehow (sic). Abbas de Lehna. dominus Aiax. dominus *Zecoslaus* (?) Gneomirus. Stephanus. Jacobus. Joannes, et multi alij.

Nos itaque Sigismundus Rex prefatus. supplicacioni prenominati venerabilis Alberti Abbatis benigne annuentes. simulque pro eo studio. quod exemplo maiorum nostrorum in ecclesias Dei gerimus. prospicere volentes. ne hoc infelicj tempore senescente

(²) Villae a Joanne memoratae sunt territorii et regionis Kielcensis: *Złotniki*, villa olim ecclesiastica nunc parochialis, *Żarczyce mniejsze i większe; Rembieszyce*, villa parochialis, *Lasochow* ad parochiam Kozłowiensem pertinens. Regionis vero Jędrzejoviensis sunt villae *Brzegi* (parochialis) cum *Brzezno; Zdanowice* olim ecclesiastica villa parochiae Ciernensis. *Skotniki białe, małe i wielkie*, regionis Stobnicensis.

(³) Muczkowski legit: *Bozate*, id est *Bozante*, sed certus non fuit, an lectio vera esset?

(⁴) Debet esse: *congrii duo. Conarii* polonice, vulgo *Koniarze* nominativus pluralis (derivatum a *koń*, equus) sunt genus servorum ad equos custodiendos destinatum. Latine saepe koniarze *agazones* appellati.

iam in plerisque hominibus pristino devocionis fervore sibique monasterioque suo Andrzeowiensi in predictis bonis et decimis negocium facesseretur. preinsertas literas innovarj fecimus. easque auctoritate nostra Regia approbavimus. ratificavimus. et confirmavimus. approbamusque ratificamus. et confirmamus tenore presencium mediante decernentes omnia et singula in eis contenta robur debite firmitatis habitura esse. per prefatumque Abbatem et suos posteros Abbates ac Monasterium et Conventum Andrzeoviensem suprascripta bona et decimas. in quarum usu possessioneque pacifica et continuata hucusque fuerunt. nec non eciam bona illa et decimas que postea sive donacione. sive permutacione. aut quocumque alio Monasterio Andrzeowiensi obvenerunt et nunc in possessione illius existunt. quorum et quarum nomina et cognomina haberi hic volumus pro expressis tenenda habenda pacificeque et quiete perpetuo possidenda. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum Cracovie sabbato ante festum sanctissime Trinitatis. Anno domini Millesimo quingentesimo trigesimo tercio (1533) Regni nostri anno vigesimo septimo. Presentibus quibus supra.

VI.

In colloquio Melicensi, circa Annum 1173.

Casimirus dux terram *Zagost* **hospitali S. Joannis Hierosolymitani a fratre suo Henrico donatam, jure perpetuo possidendam concedit** (1).

In nomine Patris et filij et Spiritus sancti Amen. Ego Kasimirus Dux notum facio universis Christi fidelibus praesentibus et futuris:

(1) Duo hujus tabulae exempla in nostra manu habuimus: archetypon membranaceum ex bibliotheca Nieboroviensi et apographon quod e libro CLXXVII, fol. 306—307, Varsaviensis Tabularii publici Regni Poloniae, vulgo *Metryka Koronna* dicti, doctissimus antea Codicis nostri editor et professor Antonius Muczkowski descripsit. Variantes lectiones invenimus nullas. Muczkowski in apographo legit *Ulazoa* (in parenthesi scribit *Ulazou* cum signo interrogationis?), in archetypo autem nobis *Vlazou*, esse videtur. Ta-

Dominum Henricum Ducem fratrem meum Hospitali Sancti Joannis Hierosolymitani, pro animabus patris mei et matris, atque pro sua ipsius anima dedisse terram quae dicitur *Zagost* totam integraliter villas scilicet quatuor cum omni circuitione, sicuti Comes Petrus Magnus eam circumiuit et signauit, cum omnibus quae in ipsis villis erant, pastoribus videlicet omnibus jumentarijs, uineárijs, sagenarijs et omnibus rusticis, qui in ipsis villis morabantur, excepto uno Romano Vineario nomine Barbez, et exceptis quatuordecimis hominibus de Ki (sic), quibus ibidem mansio concessa fuerat ad tempus, donec alibi eis prouideretur, cum omni quoque suppellectili reliqua, equabus scilicet, bubus, vaccis, ovibus atque porcis. Sed et aliam dedit villam nomine *Ulazoa* cum omnibus suis pertinentijs, siluis videlicet agris, pratis atque mellificijs, quotquot in ea erant. Dedit quoque praeter haec omnia Tabernam in *Cachou* libere, a praedicto Hospitali possidendam. Ego igitur Casimirus, qui Dei gratia successi haeres, et possessor bonorum fratris mei piae memoriae Ducis Henrici, omnia praedicta, quae contulerat Hospitali S. Joannis, concedo eidem Hospitali jure perpetuo possidenda, pro anima Patris mei et Matris, et pro anima ejusdem fratris mei, Ducis Henrici, et pro mea ipsius anima. Addens insuper hominibus omnibus S. Johannis, libertatem omnium tributorum vel seruitiorum, quae more Polonico, ab alijs rusticis fieri solent, ne soluant tributum in foro, ne hospites ducant vel pascant, ne falconarios, vel canumductores suscipiant, ne in expeditionem vadant, ne ad opus castri seruiant siue soluant, ne post boues soluant. Testes hujus facti: Ego Kazimirus Dux, Dominus Lupus (²) Episcopus Plozensis, per cujus manum elemosina data est. Do-

berna in *Cachou* apud Muczk. in archeotypo nobis videtur esse *Cachov*. Vide notas (3) et (4) diplomatis IV hujus tomi. *Cachou*, *Cachov*, hodie *Czechów* villa.

(²) Nunc de anno tabulae hujus pauca. *Lupus* de stemmate Godziemba, electus Episcopus Plocensis post necem Verneri episcopi, quae, teste Stanislao Lubienscio (in vitis Episc. Ploc.) subsecuta est mense februario 1172. *Suentoslaus* potens civis cracoviensis, qui cum Jaxa de Miechovia voluit, ut Casimirus Cracoviae regnaret. Illa denique: „*Casimirus dux*" et „successi haeres et possessor bonorum fratris mei piae memoriae Ducis Henrici" quae in nostro diplomate leguntur, demonstrant, privilegium datum esse a Casimiro Justo hoc tempore, quo adhuc dux Sandomiriensis tantum erat. Anno enim 1174. Sventoslaus et Jaxa

minus Swentozlaus, Radozlaus, Paulus subcamerarius, praeter hos quoque Dominus Saxo et alij Nobiles multi, et omnes Episcopi qui conuenerant ad colloquium in *Milice* IV (4) Kalendis Septembris (³).

cum Miecislao Sene duce (Majoris) Poloniae et Cracoviae, contendere de potestate coeperunt, Casimirus vero anno 1174 factus est dux Cracoviae. Hanc ob causam, privilegio huic „circa an. 1173" decrevimus.

Nonnulla de tempore mortis ducis Henrici addemus. Scimus, illum in expeditione contra Pruthenos, occisum esse. Dlugossius et Naruszewicz dicunt, expeditionem illam an. 1177 fuisse. Sed Gładyszewicz in opere: „Żywot błogosławionego Prandoty z Białaczewa" fol. 203 in diplomate, cujus archetypon in Archivo Cathedrae cracoviensis asservatur, habet: „anno 1166 regnante in Polonia duce Boleslao etc. frater eorum dux Henricus sine haerede defunctus est". Henricus testamento filium suum Casimirum fratrem adoptavit natu minorem, qui postea Sandomiriam et Lublinum, quasi dotem suam, accepit in cracoviensi ducum et nobilium congressu (1168—1169).

(³) Colloquium in *Milice* in archetypo; Muczkowski in apographo *Milite* legit. *Milica* polonice nunc haud dubio villa territorij Opocznensis et regionis Szydłoviecensis (parochia Skarzysko kościelne).

VII.

Siradiæ, anno 1213 die 24 mensis Junii.

Ivo Cancellarius Poloniae praedium Dobrech (Dobrcz) fratribus de Sylio donat (¹).

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego Ivo diuina miseratione dictus Cancellarius Polonie uniuersitati fidelium tam future quam presenti notum facio. quia pro remedio animarum parentum meorum et mee. contuli fratribus de *Sylio* predium meum quod dicitur *Dobrech.* Verum quia lapsus temporum veritatis robur eneruat. sigilli mei impressione sub multorum testimonio quorum nomina secuntur roborare decreui. Henricus gnesnensis archiepiscopus. Vincentius Cracoviensis Episcopus. Paulus Posenaniensis episcopus.

(¹) Archetypon doctissimi Leonis Rzyszczewscii proprium. Ivo Cancellarius Poloniae postea episcopus Cracoviensis (1218—1229). Fratribus de Sylio, id est monasterio Sulejoviensi; Sulejovia nunc oppidum in sinistra et dextra Piliciae ripa, *Siliow* in privilegio Casimiri Justi (T. I, pag. 12 Codicis nostri) dicitur.

Bartha Cuiauiensis episcopus. Laurentius Vratislauiensis episcopus. Gotheca plocensis episcopus. Michael de tincia. Alardus de sancto vincentio in Wratislauia. Teodericus de Andreo dicti abbates. Hugo gnesnensis. Petrus cracoviensis. Stephanus Pathouiensis dicti decani. Bogufalus Cracouie. Beruoldus Plocie. Oratius Lanchicie. dicti prepositi. fulco gnesnensis. Gothehart plocensis. Bauduinus Luchitiensis (?) dicti cantores. Andreas Cracoviensis. Egidius Wratislauiensis. Johannes Sudomiriensis dicti archidiaconi. Factum est hoc in Syraz in die sancti Johannis baptiste. Anno domini millesimo ducentesimo tertio decimo.

VIIII.

(Cracoviæ) anno 1220.

Decretum Marci palatini cracoviensis inter comitem Budivojum et canonicum cracoviensem Nicolaum nec non Joannem filios Polanini de patrimonio eorum villa scilicet *Glew* dicta, litem dirimens.

Privilegium hoc ex exemplari a doctissimo Stronczynscio effícto ad similitudinem authenticarum literarum quae in archivo quodam in Galicia asservantur, jam typis exaratum erat, vide nostri Codicis T. I, pag. 21. Sed nuper doctissimus Sławiński communicavit nobiscum aliud illius privilegii apographon quod descripserat ex archetypo pargameneo illustrissimi Vladimiri Dzieduszyccii proprio; sigillum abfuerat. Variantes lectiones nullae sunt in tenore privilegii in apographis Stronczynscii et Sławinscii sed Sławiński nonnullos testes aliter quam Stronczyński legit. Apud Stron. Domanus est filius Dirsicrai; apud Sław. filius (cum abbreviatione) disici (sic); quod re vera *Dirsicrai* significare potest. *Bozeslau* ap. Sław. apud Str. vero Bozislaw; Radavanus filius Bodeporii ap Sław. est apud Stron. filius Bodepozi. Petrus Rsucovic Stronczynscii, apud Sław. Petrus rsucovio appellatur. Ben (sic) ap. Sław. apud Stron. vero *Beno*, Denique ap. Sław. Miloslaus. Magister Benene dictus ap. Sław. qui in parenthesi scribit (Benedictus?) apud Stron. vero Benedictus. Alii testes apud Sław. nominantur Sdislau, Marcinus, Silvest. Blazus etc.

IX.

Romae, 19 Aprilis anno 1227—1229.

Gregorius IX. Abbati Witovensi Praemonstratensis Ordinis, et Praeposito de Caminz Gnesnensis et Vratislaviensis Dioecesis et Decano Mazoviensi (de priori loco inter episcopos cracoviensem et Vratislaviensem controversia (¹).

Significavit Nobis Venerabilis Frater Noster Cracoviensis Episcopus, quod cum Venerabilis frater Noster Gnesnensis Archi Episcopus Metropolitanus suus ipsum ad locum desertum et valde remotum, ad quem propter guerrarum discrimina, et capitales inimicitias via absque gravi periculo valebat. accedere pro celebrando concilio Provinciali citasset idem Episcopus, dicto Archi-Episcopo humiliter obsequens, ad locum sibi praefixum accessit, et locum primum ad dexteram ipsius Archi Episcopi sedentis in Concilio sibi secundum antiquam et approbatam consuetudinem debitum postulans assignari, ne conferretur alii, ad Sedem Apostolicam apellauit; at ille apellatione ipsius contempta, locum ipsum, Venerabili Fratri nostro Episcopo Vratislauiensi concessit; in praedicti Cracoviensis et Ecclesiae suae praejudicium et gravamen, contra indulta eidem Ecclesiae a Sede Apostolica privilegia, temere veniendo. Quia vero nobis non constitit de praemissis dis. u. p. ap. s. mandamus, quatenus vocatis qui fuerint vocandi, et auditis hinc inde propositis, quod Canonicum fuerit appellatione postposita statuatis, facientes, quod statueritis auctoritate nostra firmiter observari. Quod si non omnes etc. Datum Lateran. XIII. Kal. Maij (²).

(¹) E fasciculo copiarum illustrissimi Leonis Rzyszczewscii p. 415. Ex Cod. Mscr. Bibl. Vat. inter Vatic. 7024. pag. 93.

(²) De controversia loci inter episcopos cracoviensem et vratislaviensem scripsimus jam in nostra vita Joannis (Iwo z Końskich Odrowąż, biskup krakowski. Szkic historyczny z XIII wieku. Vide Dziennik Warsz. 1854. Nr. 173—187; de ipsa controversia legitur in numero 181—182). Synodus, de qua agitur, fuit anno 1226, temporibus igitur papae Honorii III, qui mortuus est 18 martii 1227. In nostro privilegio Gregorius IX delegat commissarios ad rem dijudicandam. Ivo episcopus mortuus est 20 julii 1229 Modenae. His de causis, privilegium hoc annorum 1227—28 vel 1229 nobis videtur esse. Episcopus Vratislaviensis fuit Laurentius Doliwa (mort. 9 julii 1232 ap. Dlugossium); archiepisco-

pus vero gnesnensis Vincentius Nałęcz de Czarnkow (1219—1232). Hanc Synodum anni 1226 in „loco deserto et valde remoto“ congregatam ab archiepiscopo (vide supra), Lanciciae fuisse, doctissimus Mętlewicz hodie praepositus Lanciciensis negat. Conf. illius dissertationem de tertia lanciciensi synodo in opere „Pamiętnik religijno moralny tom 22 pag. 266“. Damalewicz ad annum 1240 controversiam episcoporum posuit sed minus docte. ibid. ibid.

X.

In colloquio in Cena anno 1228.

Wladislaus Dux Poloniae tollit antiqua grauamina ecclesiasticarum personarum, et confert ecclesiae Dei canonicam libertatem, iura specialia dioecesis. et ecclesiae Cracoviensis largitione principum et longa consuetudine obtenta in robore conseruando (¹).

(¹) Doctissimus historiae litterariae Polonorum historicus, olim universitatis Cracoviensis professor, Michael Wiszniewski jam anno 1840 (Historya literatury polskiéj, T. II, pag. 473) privilegium hoc edidit. Nos a doctissimo Stronczynscio nacti sumus apographon ad similitudinem authenticarum literarum effictum quae in archivo ecclesiae cathedralis Cracoviensis asservantur. Quum in eo recensendo variantes lectiones deprehendissemus, easdem hic afferre, nostrum esse duximus. Sunt vero sequentes: *linea 1 apud Wiszniewscium pro* animae meae et *legitur* anime mee (*et* deest); l. 2. retribucionis eternae, retributionis eterne; l. 3. denote, devote; l. 4. altissimum, altissimi; l. 6. Ecclesiae, ecclesie, haec lectio et in aliis locis; l. 7. temporalia munera, munera temporalia; l. 8. sunt, fiat; l. 10. quae, que; l. 11. idem, item; l. 13. inolita, inclita; l. 13. solacium, se cularium (sic); l. 16. ab iis, ab hijs; l. 16. powosz, pouoz; pouoloue; naraz;—pesi slad; l. 19—20. Cracoviensis Dioec, in cracouiensi diocesi; l. 20. alias, temporis; l. 21. Dat., datum. In colloquio in Coena ap. Wisz. legitur: in cena.

Testes apud nos ita leguntur; Yuone cracouiensi et paulo poznaniensi episcopis, Litfrido tynciensi abbate, Bozone preposito gneznensi Radulfo (cantore) cracouiensi, Andrea preposito sancti floriani et Johanne archidiacono sudomiriensi Pacoslio (sandomiriensi) et Marco cracouiensi palatinis, Mstiuione castellano wisliciensi et alijs (multis).

Wiszniewski itaque satis negligenter ipsum archetypon edidit. In archetypo rimae multae; verba itaque uncis inclusa nostra sunt. Sigillum deest. Funiculi serici flavi coloris.

XI.

Rybnik, die I Augusti 1228 anno.

Casimirus Opoliensis dux in Silesia Clementi comiti Villas *Nemodlin* **et** *Czaladz* **et alia privilegia pro construenda arce Opoliensi confert** (¹).

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen. Quoniam ea que memoria recidit littera tenet. Inde est quod Ego Kazimirus dei gra-

(¹) Ex archetypo membranaceo asservato in monasterio Deodicatarum virginum in Staniątki (hodie in Regno Galliciae). Funiculis sericis rubri et flavi coloris erat olim ap-

cia Dux de *Opol* cum omni milicia baronum terre mee consilio et bona mea et eorum communj uoluntate, castrum *Opol* cepi muro edificare et alciori innixus baronum meorum hortamento in tractandum utiliora. Conueni cum Comite Clemente meo fidelj tunc palatino de *Opol.* taliter quod castrum meum predictum meis expensis per me ipsum mediando perficerem et Comes clemens medietatem ipsius propriis sumptibus consumaret. Ad cuius operis instanciam fratrem suum germanum Dominum Virbetham (Wierzbięta) Comes Clemens pro sua parte perficienda coram nobis statuens operi prefecit. pari utriusque partis consensu. Quod factum Ego Dux fideliter determinauj. et presenti littera ad posteros meos Commendauj. Primum est quod pro laborum sumptibus quos dictus Comes de proprio expendit. contulj eidem consensu et consilio omnium meorum nobilium villam *nemodlim* (²) totaliter et integraliter. et si quis ex ea aliquid occupauerat cedere deberet. et tam patronatum uille quam eciam capelle eidem liberaliter contulj. et *Chelad* (³) uillam cum castoribus et familiis eiusdem pleno iure ac debitis seruiciis et cum illis omnibus qui aliquando propter famis duriciam ex eadem recesserant si alicubi fuerint reperti thabernam in eadem uilla concessi. Terminos autem ipsius uille notare studui. uidelicet ubi intrat *osseta* (⁴) fluuius *brennicham* (⁵) fluuium. extendens longitudinem suam usque in pontem *Gaulj* (sic) utrumque concludens litus. Alias vero uillas quas eidem

pensum sigillum, quod nunc deest. In archetypo ex altera parte quisquis seculi XV lector scripsit, „Kazimirus dux de Opol dedit nemodlin et Czeladz" sed hoc parvi est momenti Copiam archetypi habemus a doctissimo Sławinscio qui omnia privilegia monasterii Staniątcensis descripsit, ut nostro Codici usui essent. Ejusdem auctoris maxima ex parte sunt et notae de loco villarum et urbium quae infra ponuntur: Sławiński hanc ob causam usus est manuscripto, quod olim in collectione librorum clarissimi, regnante Stanislao Augusto, rerum polonicarum scriptoris Felicis Łojko asservatum erat: in hoc manuscripto ordine alphabetico omnes urbes villaeque antiqui totius Regni Poloniae leguntur.

(²) Niemodlin hodie Falckenberg oppidum in ducatu Opoliensi, occidentem versus ab Opole.

(³) *Czeladź* ad fluvium Brynica oppidum Ilcussiensis territorii et regionis, hodie Silesiae finitimum.

(⁴) *Osseta* qualis fluvius sit, nescimus.

(⁵) *Brynica* et apud alios scriptores Brenica hodie Silesiam a Polonia dividit.

contulj pro iam dicto labore castri mei. *Smolice* (6) cum hominibus et omni jure quod ad me pertinebat. et *Zagore* (7) ubi prius sedit homo meus nomine Vikel. sub eodem tenore cum hominibus contulj. et *Rosoochouice* (8) cum hominibus et omni iure eorum. *Roscouice* (9) cum hominibus et omni iure eorum. et has predictas uillas et homines eorum qui eas inhabitauerint pleno iure et omni libertate sicut priuilegium habet *Suerinciensis* ecclesie (10) tale ius et talem libertatem concedo habere. et que iura more polonico mihi pertinebant uel castellanis meis ab omnibus hiis uel quecumque post nos aliqua uersucia (sic) possunt fieri sint predicte uille per me libere et absolute. sed Comiti Clementi iure hereditario hec omnia cedant. Insuper et castores in visla ab uno litore eiusdem fluminis ab illo loco ubi intrat fluuiolus *chechel* (11) in uislam et abhinc usque in illum locum ubi intrat fluuiolus *oclesna* (12) in vislam. et deinde ubi intrat *scaua* (13) fluuius in uislam et usque in nauigium magnum ambo tenens in suo iure litora. In *Oclesna* autem si quando fuerint castores, Comiti Clementi cedant. et similiter in *Chechel* eiusdem erunt. usque in terminos Comitis Chothemirj. qui ueniunt in *Chranow*. Contuli insuper alias villas hominum meorum qui lingua polonica narochnici dicuntur. circa Cracouiam respicientibus ad viginti aratra magna de bona terra. in *posilow* (14). in *lutouici* (15). in *macocicj* (16). in *Kargow* (17). in *Gosciradichi*. (18). in *Ciuocici* (19). in *Racimici* (20). in *pridrun-*

(6) *Smolice* villa ad Vistulam vicina Zatoriensis urbis et fluminis quod dicitur Skawa.
(7) *Zagorze* Ilcussiensis regionis, parochiae vero villae Niwki.
(8) Haec villa ubi locorum sit? nescimus.
(9) *Roskowice* villa ducatus Opoliensis hodie Rosdorf, sed de alia hoc loco mentio, quae, ubi sit, dicere non possumus.
(10) Fortasse Skwirzyna hodie Szweryn in Mag. Duc. Posnaniensi.
(11) *Chechla* rivulus in veteri Cracoviensis Reipublicae territorio, Vistulam influit.
(12) *Oklesna* étiam in Cracoviensi territorio, Vistulam influit.
(13) *Skawa* fluvius in Regno Galliciae.
(14) *Posilow* villa Szkalbmiriensis regionis, parochiae Kościelecensis.
(15) Fortasse *Łuszowice* villa in antiqua Cracoviensi republica.
(16) *Makocice* Proszovicensis regionis et parochiae.
(17) Fortasse villa ejusdem nominis territorii Stobnicensis, regionis vero Szydłowiensis.
(18) Non invenimus.
(19) Non invenimus.
(20) *Radzimice* villa parochialis Proszovicensis regionis.

sici (21). in *prisorudici* (22). in *Chusow* (23). in *Gluchow* (24). in *Grusew* (25). in *radicow* (26). has omnes willas cum hominibus ac debitis seruiciis. et si quid defuerit in una uilla de predictis aratris supplebitur de alia. uilla eidem. eo iure quo supra concessi possidenda. Contuli eciam prefato Comiti. *Zator* Willam cum hominibus super *scauam*. et omni iure eorum. Super hoc autem presentem iussi conscribi paginam. et sigillo meo muniui. ne aliquis post me hunc contractum presumat uiolare. Si quis autem hoc attemptauerit post decessum meum. respondeat coram iusto et recto iudice. deo. sepe dicto Comiti Clementi nostro fideli in amissa ipsius non modica pecunia. videlicet. quingentarum marcarum argenti. Rogo igitur. filios meos karissimos. Ducem Mesconem et ducem Wladislaum et omnes barones quorum consilio et uoluntate inductus ista feci. ut si quis quod absit aliquam de hiis uillis. quas sepe nominaui. a Comite Clemente uel ipsius successoribus fraude uel dolo alienauerit. extunc cedat eidem uilla *Zalesce* (27) integraliter cum omni suo pleno iure et omni apparatu. quia idem Comes sua spontanea uoluntate de predicta uilla *Zalesce* mihi benigne cesserat. Hec autem facta sunt in *Ribnik* (28). Colloquio habito cum meis baronibus. super huius castri mei. municione. *Opole*. anno uerbi inCarnati (sic). M°. CC°. XX°. VIII°). Coram hiis testibus. quorum nomina hec sunt. Andreas filius stephani castellanus de *bitom* (29). Sbroslaus castellanus de *Opole*. Wernerus Castellanus de *Osuencim* Naceslaus castellanus de *Kosle* (30). Jacobus castellanus de *ratibor*. Johannes castellanus de *thesin* (31). An-

(21) et (22) Quae villae hodie sint? non liquet.
(23) *Czusow* villa Proszovicensis regionis parochiam Palesnicensem spectans.
(24) *Głuchow* villa Szkalbmiriensis parochiae.
(25) *Gruszow* villa parochiae ad Stare Brzesko spectantis, Proszovicensis regionis.
(26) *Radzikow*, ejusdem nominis villae in aliis regionibus Poloniae inveniuntur, in Craccoviensi vero nulla hodie villa Radicov appellatur.
(27) *Zalesie* in antiqua Crac. republica, non procul a Tęczyn.
(28) *Rybnik* in Silesia, ducatus vero Ratiboriensis.
(29) Hodie *Beuthen* urbs ducatus Opoliensis in Silesia.
(20) Hodie *Kosel* caput sui territorii in Silesia.
(31) *Cieszyn* urbs suae provinciae caput, hodie in ea Silesiae parte quae ad monarchiam Austriacam pertinet.

dreas Castellanus de Miculow ([32]). Sdeslaus iudex curie. Goslaus subCamerarius (sic), Nicolaus filius Vasilli. subdapifer. Sred subcamerarius domine. Predbor subiudex Curie. Semianus tribunus. Gregorius frater Domini Sebastiani. et alii quam plurimi. Datum per manus Domini Sebastiani. Cancellarij. kalendas augusti. in ad uincula (sic) sancti Petri Apostolj.

([32]) *Mikulow* hodie in territorio Pszczynensi (Pless) in Silesia.

XII.

Romæ, die 18 Julii, anno 1232.

Gregorius Papa IX Episcopo, Scolastico et Cantori Cracoviensibus amicabilem compositionem inter praepositum de Miechovia et Abbatem de Claratumba ratione villae *Crezlouiz* factam, exsequendam committit ([1]).

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. venerabili fratri... Episcopo. et Dilectis filijs... Scolastico. et.. Cantori Cracouiensibus Salutem et apostolicam benedictionem. Significauit nobis dilectus filius.. prepositus domus dominici Sepulchri de *Mechouia.* quod cum inter ipsum. et.. Abbatem de *Claratumba* Cisterciensis ordinis Cracouiensis diocesis. coram.. Wratislauiensi Decano et coniudicibus suis super villa de *Crezlauiz* auctoritate apostolica questio uerteretur. productis demum hinc inde testibus et eorum depositionibus publicatis, mediante.. Scolastico Cracouiensi de assensu ipsorum iudicum amicabilis inter partes composicio intervenit. quam idem prepositus apostolico petijt munimine roborari. Ideoque discrecioni uestre per apostolica scripta

([1]) Archetypon Josephi Rusiecki proprium. Sigillum plumbeum in cujus altera parte exaratum: *GREGORIUS PP. VIIII.* in altera duo capita humana, et super his G. P. A. S. S. E. (Sanctus Petrus, Sanctus Paulus). Privilegium hoc romanum non habet annum, quo datum est a Christo nato. Sed Ugolinus Ostiensis episcopus electus papa fuit 19 Martii 1227 et nomen Gregorii IX. assumpsit: itaque sextus annus ejus regni quum a Martio 1232 incipitur, privilegium hoc mense julio datum, anni 1232 haud dubio esse, videtur.

mandamus. quatinus composicionem eandem sicut sine prauitate prouide facta est. et ab utraque parte sponte recepta faciatis per censuram ecclesiasticam appellacione remota firmiter obseruari. Ad si non omnino hijs exequendis potueritis interesse, tu frater Episcopus cum eorum altero ea nichilominus exequaris. Datum Rome XV kal. Aug. Pontificatus nostri anno sexto.

XIIII.

Wysoki brzeg, 22 Decembris 1234.

Boleslaus dux Sandomiriensis (postea Pudicus dictus) comiti Clementi villam *Sicha* donat (1).

In nomine domini dei eterni amen. Nos Boleslaus dei gratia Dux sudomeriensis. Tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis. in perpetuum. Quoniam fidelitatis constantia. et assiduitas obsequendi. condignam retributionem pepetunt (sic), tanto liberalius nostros censuimus remunerandos milites, quanto magis perspexerimus eis predicta suffragari. Eapropter Nos de consensu et voluntate matris nostre. Dilecto nostro Comiti Clementi. Castellano de *Betheng* (2).

(1) Ex archetypo membranaceo monasterii Staniątcensis descripsit doctiss. Sławiński. Funiculis sericis coloris rubri erat appensum sigillum, quod nunc deest.

(2) In chartis geographicis: 1° Ducatus Silesiae tabula geografica prima inferiorem eius partem complectens, edita curis Homann heredum; 1745. et 2° Ducatus Silesiae tabula altera superiorem Silesiam exhibens Norimbergae edita curis Homann heredum 1746; omnes Silesiae provincias invenire possumus. In priori (1745) legimus provinciam: *Baronatus Bethaniensis* a *Glogów* septentrionem et occidentem versus jacentem, cujus caput, urbs *Beuthen* ad Odram (Viadrum). In posteriori vero (1746) habemus provinciam quae dicitur: *Dynastia Bythoniensis*, provinciam finitimam moderno Regno Poloniae, hujus etiam caput urbs *Beuthen*. In privilegio quod supra legitur ad an. 1228 (Nr. XI) urbs haec dicitur *Bitom*; inter testes enim ibi legimus: *Andream filium Stephani Castellanum de bitom*. Sławiński verisimiliter haud dubio putat, hujus nostri privilegii, Castellanum *de Betheng (Betenj. Beteń)* esse Castellanum urbis *Beuthen* id est *Bitom* in illo *baronatu Bethaniensi* jacentis: nam de oppido *Biecz* et Castellano Biecensi (oppidum non procul a Cracovia in Gallicia) nullo modo huc cogitare possumus. Conf. etiam apud Sommersberg (tom. I pag. 31). Sed tota haec conjectura pendet tantum a lectione Betheng non Becheng: nam in archetypo, inter characteres *t* et *c* nulla fere distinctio est.

fidelitatis ipsius erga nos intuitu. et obsequij respectu. villam nostram de *sicha* (³) cum suis appendicijs benigne et liberaliter contulimus perpetuo possidendam. quam post huiusmodi donationem. coram nobis de voluntate nostra. necnon et matris nostre. et consensu. Raslaue uxori sue contulit absolute. ita quod eandem villam legandi. vendendi. seu quicquid aliud faciendi. liberam habeat facultatem. Quod ut predicta donatio nostra robur in perpetuum firmitatis obtineat. nos in argumentum rei presentem paginam conscribi fecimus et appensione sigilli nostri. et etiam predicte matris nostre. necnon domini Fulconis Gnezdnensis Archiepiscopi quem super hoc duximus exorandum. testium etiam subscriptione roborari. Actum apud *Wissokembreghe* (⁴). Anno domini M°. CC°. XXX°. Quarto. feria quinta proxima ante Natiuitatem domini. presentibus hijs. Illustri viro Duce Cracouie et Zlesie. henrico filio ipsius. Pacoslao Palatino Sudomeriensi Boguzlao Castellano Vratizlauiensi. Adam filio Leonardi. Stresec. Otca subdapifero predicti. H. (Henrici). Ducis. Pribignevo suppincerna (sic) eiusdem. Virbenta. et alijs quampluribus.

(³) *Sicha*, in aliis vero privilegiis *Siche*, *Sicze*, *Sicev*, fortasse *Szyce?* Duae sunt ejusdem nominis in antiqua Cracoviensi republica villae, altera occidentem versus, altera in finitima Silesiae provincia. Doctissimus Sławiński putat, hoc loco de prima mentionem esse.

(⁴) *Wysoki brzeg*, villa veteris Cracoviensis reipublicae in confiniis Silesiae.

XIV.

Pragæ die 28 Septembris anno 1236. (¹).

Venceslaus Bohemiae rex libertates per patrem suum Praemislaum Ottocarum fratribus hospitalis S. Mariae Jerosolymitanis collatas, confirmat (²).

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Wencezlaus dei gratia rex boemorum quartus. universis Christi fidelibus hanc pagi-

(¹) Privilegium hoc in archetypo multas abbreviationes habet, nos illud totum per extensum prelo donamus.

(²) Ex archetypo membranaceo in archivo Staniątcensi asservato descripsit doctiss. Sławiński. Funiculi serici rubri coloris. Sigillum magnum, in quo altera parte repraesen-

nam inspecturis in perpetuum. Quoniam generatio uenit et generatio preterit sicque noticia omnis eorum que fiunt sub tempore finem habet nisi litterarum testimonio perhennetur, ideo ut speramus pater noster Odakir illustris quondam rex boemorum pie recordationis. deo deuotis fratribus domus hospitalis sancte marie teuthonicorum Jerosolimitati (?) (³) multas et bonas contulit libertates sub hujus privilegii firmamento.

In nomine sancte trinitatis et individue unitatis. Ego Odakir rex boemorum IIIus hermano magistro hospitalis sancte marie domus teuthonicorum Jerosolimitani ejusque fratribus tam presentibus quam futuris in perpetuum. Cum regie excellentie et munificentie beneficia ad omnes generaliter debeant extendi, nostra tamen consulte decreuit serenitas eos tueri potentius. et fouere clementius, qui diuinis insudantes obsequiis non solum res suas pro terre sancte defensione largiter expendunt, sed et corpora sua animo inperturbato et affectu pio grauissimis periculis devotius exponunt. Nouerit itaque tam presens etas quam futura posteritas, quod nos domus et possessiones. et fratres hospitalis sancte marie domus teuthonicorum Jerosolimitani et insuper omnes in eorum possesionibus habitantes constitutos in regno nostro tam in boemia quam in morauia seu in aliis provinciis regno nostro attinentibus sub nostre magnitudinis recepimus protectionem. et omnes possesiones cum omnibus appendiciis suis. quas uel nos eidem domuj contulimus. uel inclite memorie dux Cunradus boemie. uel pie recordationis frater noster Wladizlaus marchio morauie. uel etiam alij nobiles uiri. uel ingenue matrone. siue etiam alii christi fideles minoris facultatis et potentie prefate domui contulerunt eidem. libere et pacifice possidendas nostra regia auctoritate confirmauimus. Emancipauimus etiam omnia predia eis collata et conferenda cum eorum colonis et inquilinis. et omni familia. siue sint liberi siue serui ab omni iure

tatur persona sedens tenensque dextra manu vexillum, sinistra vero innixum scuto effigiem aquilae, in ambitu leguntur verba: *Sanctus Wencezlaus Boemorum dux.* Altera parte sigilli etiam persona sedens tenensque dextra manu quasi virgam, sinistra vero pomum cum cruce, in ambitu verba: *Pax Regis Wencezlai in manu Sancti Wencezlai.*

(³) Sic Sławiński scripsit verbum, quod in abbreviatione „iherlimitati" legitur.

ad usus nostros uel nobilium a nobis inbeneficiatorum. uel ceterorum officialium spectante. uel utilitate secundum morem terre pertinente uel accrescente hec statuentes ne quis prenominatam domum aliquomodo super hiis iusticiis uel consuetudinibus uel commoditatibus que usui regni uel nobilium uel ceterorum competere videbantur audeant (?) impetere uel grauare. uel ea que a nobis eis concessa sunt in irritum reuocare. Ubi autem eos ab omni iure generaliter absoluimus non est necesse ut de aliqua iuris specie aliquis questionem debeat mouere. Addidimus etiam quod firmiter sanccimus ipsos et eorum homines pro thelonea transeuntes nullum dare passagium pro se ipsis uel pro aliquibus rebus ad domum eorum spectantibus nisi sint mercatores eorum publici qui pro comodis propriis ampliandis laborant quos a theloneis non absolvimus. Si vero contigerit quod aliquis occidatur ab hominibus eorum. et amici occisi uelint occisores de homicidio impetere, in curia nostra respondeant. res uero occisorum in prouidentia fratrum permaneant. Si autem fur uel predo manifeste in ipso actu deprehenditur, bona furis fratribus remaneant. et ipsi secundum consuetudinem terre a nostris iudicibus puniantur. Si vero Narok quod latine uocatur accusatio furum uel nocturnorum predonum super eorum homines euenerit, iudicio astent curie secundum morem terre in nullo nostre celsitudini, nec nostris quo ad aliquam utilitatem responsuri. sed omnis culpe satisfactio cedat in usus fratrum. et tamen homines si rei fuerint comprobati aduersariis satisfaciant. Si uero homo accusatus per honestos uicinos suos fide eorum requisita fuerit absolutus, curie non respondeat. et hec diligenter notanda quod ubi eos ab omni utilitate nostra et nostrorum absoluimus, nichil iuris quo ad hec nostre magnitudini vel nostrorum comoditatibus retinemus. Nullus etiam cogat fratres aut homines eorum ad aliquod seruile officium. vel pro castrorum edificatione proque aliquo servitio tali quod eis sit ad impedimentum libertatis sue. quia plenam et integram in omnibus possessionibus suis eis concessimus libertatem: ita ut ipsi de hominibus suis disponant

omnia ad profectum ([1]) domus. Cum vero celebris memorie imperatores magnifici. et alii gloriosissimi reges prescriptam domum amplissimis ditauerint possessionibus. et muniuerint priuilegiis, nos etsi eis non equamur diuitijs, tamen pro posse nostro uolumus eis beatis parificare meritis. Ideoque indulsimus eis quod siue maiores siue minores in regno nostro constituti proprias possessiones eidem domui contulerint, uel ipsi aliquas justis conditionibus uel debitis modis acquisierint, ab omni prefato iure ad usus nostros uel nostrorum accedente. secundum quod superius est determinatum easdem possessiones esse liberas et absolutas. ut per hanc indulte libertatis concessionem. et utilitatis nobis debite collationem nostre clementie apud deum et ipsius matrem merita sint fauorabiliora et excellentiora. Ut autem hec nostre constitutionis pagina tam serenissimis temporibus nostris quam futuris robur habeat et firmamentum, eam nostre sublimitatis bulla aurea fecimus insigniri districte sanccientes, ut quicunque has libertates uel indulgentias temere transgressi fuerint uel ea que a nobis uel predecessoribus nostris. vel a fratre nostro. uel ab aliis fidelibus uiris eidem domui sunt collata uiolenter inuaserint uel abstulerint, pena decem marcarum auri. in nostram cameram soluendarum puniantur. ita tamen ut prius lesis satisfaciant. Hujus rei testes sunt. Ropertus Olomucensis episcopus. Abbas cladirubiensis (?) Abbas Welegradensis. Bavarus camerarius. Zauisa castellanus olomucensis. Chistiborius castellanus preroviensis. Zulizlaus dapifer. Weliz iudex. Zpitata. Zlaweta, magistri uenatorum. Jaros. Boruta castellanus de podwin. et filius ejus Boruta. Witigo. et frater ejus Henricus. Groznata subcamerarius regni. Boguzlaus filius zlaukonis. Stephanus de *Medilov*. Emmeramus de *bozkowiz*. Ones castellanus olomucensis. Luder et frater ejus Neplah. Gerhardus de *Zbrazlav*. Adlart filius razonis. Wogna de *bistricz*. presmirus (?) castellanus znoimensis. Eckchardus et frater ejus hardibus castellani Znoimenses. Petrus et frater ejus Zwoisc. Ulricus filius iuricis. Holadh subpincerna regni. Actum *Olomucii* anno dominice incarnationis. M°. CC°. XXII°. VII°.

([1]) In archetypo verbum abbreviatum: *pfēm*, Sławiński sic legit.

kalendas septembris. Indictione X. Datum per manus hermani magistri regii notarij.

Nos igitur ipsius libenter uolentes deuotionis uestigia imitari pro labore continuo quem fratres sepius memorati fideliter et feruenter in partibus faciunt transmarinis et etiam in prutia pro ecclesia dei contra barbariem paganorum, cujus uidelicet laboris participationem affectamus in premio, iam scriptum auctenticum sollempniter renouamus. et quicquid continetur in eo nullam facientes exceptionem habemus ratum. presentium auctoritate bulla nostre maiestatis apposita confirmantes. Hujus renouationis siue confirmationis testes-sunt hii. Peregrinus episcopus quondam Pragensis. Arnoldus Wisgradensis prepositus regalis aule cancellarius. Epo pragensis prepositus. Miztidruhe castellanus pragensis. et lipcz filius fratris sui. Brezizlaus frater Chirne. Boguzlaus filius zlauconis. Budizlaus filius Jerozlai. Nebelahz et Bugezlaus frater suus. Budiuoy et Witigo filii Zawisi. et alij quamplures. Actum Prage. Anno dominice incarnationis M°. CC°. XXX°. VI°. Quarto kalendas Octobris. Indictione Nona.

XV.

Sandomiriæ, sine die et mense, anno vero 1236.

Lesco dux Cracoviae, Sandomiriae et Siradiae concedit varia privilegia Civitati Sandomiriensi (1).

In nomine domini amen. Ad perpetuam quae sequitur rei memoriam. Sigismundus Augustus dei gratia Rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae nec non Terrarum Cracouiae. Sandomiriae. Syradiae. Lancitiae. Cuiauiae. Culmensis. Elbingensis Pomeraniae Russiae Prussiae. Masoviae. Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Significamus praesentibus literis nostris ad quos pertinet universis et singulis praesentibus et futuris harum notitiam habituris. Quia oblata sunt

(1) Privilegium hoc doctissimus nostri Codicis tomorum priorum editor Antonius Muczkowski ex actis Tabularii Regni, vulgo Metryki koronne dicti (lib. 93 fol. 318 et seqq.) ex transsumpto vero Sigismundi Augusti descripsit.

coram nobis per certos Consiliarios nostros Priuilegia tredecim numero famatorum Proconsulis, Consulum ac totius communitatis Ciuitatis nostrae Sandomiriensis nomine, Fundationem eiusdem Ciuitatis, ac donationes certas, immunitates et praerogatiuas, ab antecessoribus nostris, tam Ducibus, quam Regibus illis concessas, aliasque binas, unas Judicis Terrestris, alias supremi Juris Maydburgensis. Castri Sandomiriensis. Tametsi quasdam vetustate attritas, ita tamen ut legi omnia possent, nulla tamen in parte suspectas, et sigillis pensilibus sericeis et pargameneis communitas. Et quoniam in illarum omnium usu ac possessione continua et pacifica fuisse se semper et nunc esse asserunt, metuentes tamen, ne iniquitate temporis, aut casu fortuito illas intercidere, ut antea tam Tartarorum incursionibus, quam incendio accidit: contingeret: suplicatum est pro illis per dictos Consiliarios, ut praefata Priuilegia, omnia in unum volumen describi in Regestraque Cancellariae nostrae induci mandaremus. Insuper authoritate nostra Regia confirmare, approbare et ratificare dignaremur. Quorum omnium et singulorum tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis.

In nomine domini nostri Jesu Christi. Magnifica Principum Celsitudine, dignae (sic) retributionis praemia merentur obtinere, quos fidei puritas ex obsequijs reddit gratos. et acceptos. Ubi enim per operis euidentiam fidele patet obsequium, ibi remunerationis dignissimae praemium fit paratum. Proinde nouerint uniuersi praesentes et futuri. Quod nos Lesthco dei gracia Dux Cracouiae, Sandomiriae et Syraziensis, qui ex dignitate Principatus singulorum merita. diligenti consideratióne debemus intuerj. Volentes cuilibet, pro meriti qualitate, impendere gratiae quantitatem, in retributionem obsequiorum, nobis et Terris nostris multipliciter per Withconem Zupparium nostrum praestitorum, ipsi ac ipsius posteris Ciuitatem nostram Sandomiriensem (²) damus et titulo perpetuae donationis tradimus, sub Jure Theutonico, et libertate Maydburgensi locationis, locandi et conuocandi, ad eandem homines, quarum libet na-

(²) Sandomiria urbs antiquissima Poloniae ad Vistulam, olim ducatus, postea provinciae (województwo), nunc vero territorii regionisque caput, sedes episcopi, in Regno Poloniae.

tionum, et undecumque liberae tamen conditionis, liberam et omnimodam facultatem, concedentes omnibus qui ibidem locati fuerint super cultis seu agris extirpatis, octo annorum libertatem plenariam. a Census datione et ab omnibus tam ordinarijs quam extraordinarijs juribus et solutionibus qualicumque uocabulo censeantur, ad locandam siquidem praehabitam Ciuitatem addimus eidem Withconi, ducentos laneos Franconicos Ciuibus per agriculturam exercenda (sic) et habenda (sic), de quibus laneis omnibus, sextum mansum liberum, sextam Curiam liberam, sextumque ortum et liberum a solutione Census, et exactione praedictus Withco cum suis posteris ratione locationis, et aduocatiae, quam in ipsa Ciuitate, quam locauerit, Jure haereditario tenebit imperpetuum pacifice, et quiete possidebit. De mansis quidem cultis, euoluta libertate supradicta octo annorum, nobis cultores agrorum, per octo scotos argenti examinati soluent de quolibet manso. De noualibus vero et incultis, sedecim annis libertatem, a Census solutione, et exactione qualibet retinebunt, et quantumcumque nobis expirata cedet libertate, de quinque mansis, tantundem Aduocatus Withco, cum suis posteris, de sexto Manso, sexta Curia, et sexto horto, semper percipiet solutionis. Addimus insuper Ciuitati nostrae Sandomiriensi supradictae, viginti laneos eiusdem mensurae franconicae pro pascuis animalibus faciendis, de quibus nulla solutio durante libertate, et post libertatem nobis cedet. Praeterea etiam praedicto Aduocato cum suis posteris de gracia nostra spetiali (sic) superaddimus octo mansos liberos penitus, a Census solutione, et exactione exemptos. De judicijs vero singularibus annuatim nobis duo denarij et aduocato tertius semper cedet. Ad magnum Judicium quod fit ter in anno, a latere nostro destinabimus, militem siue Ciuem, quemcunque nobis fidelem, qui simul cum Aduocato, diudicans caussas eijsdem praesidebit. Item addimus promittentes Ciuibus nostris supradictis et Aduocato, quod nullum Prouincialem aduocatum super ipsos unquam statuemus, nisi ad magnum judicium. Ut diximus superius, nec pluries nisi ter in anno, de quo etiam nobis, sicut superius est expressum duo denarij, et Aduocato cum suis po-

steris, tertius semper pertinebit. Damus etiam et concedimus praedictae Ciuitati Sandomiriensi, de fluuio Wisla, superius et infra unius longitudine (sic) miliaris, ubi Aduocatus tantum. pro se et suis legitimis successoribus, et non alter, cum quotcumque rotis volet: quatuor habeat construere Molendina, et non plura quae Jure haereditario pacifice et quiete simul cum mansis octo, de gratia nostra additis absque census solutione, et exactione imperpetuum possidebit. Pronunctiamus etiam et concedimus sepe dicto Aduocato. Ut ullus (sic) in suum praejudicium aliquod audeat construere molendinum in fluuio nominato. donec ipse quatuor loca sibi in eodem fluuio quatuor molendinorum pro sua elegerit ac reseruauerit voluntate. Praeterea, si quis alter, pro se volet construere et comparare Molendina, non aliter audeat, nisi primo a nobis, vel a nostris suocedaneis locum emat, vel obtineat molendinum Piscandique in praedicto fluuio Wizla Ciuitati praehabitae iam assignato, Aduocatus cum Ciuibus eiusdem Ciuitatis, pisces qualescumque, et quocumque artificio voluerint, liberam habeant voluntatem. Volumus etiam quod non obstante alicuius perhibitione vel contradictione, in eadem parte Wislae, quam Ciuitati addidimus Sandomiriensi sepedictae fratres praedicatores de domo Sandomiriensi, pisces capiant libere, qualescumque, et quocumque artificio voluerint, tantum pro fratribus suae domus et non ad vendendum, nec alter nisi fratres, dictae domus Sandomiriensis, vel spetialis de eadem domo piscator pisces habeat pro fratribus capiendi potestatem, Molendinum etiam eorundem fratrum praedicatorum, super naues quod habent ab antiquo, volumus de loco suo non ammorerj (sic), nec aliquot a modo liceat eis construere. praeter hoc quod habent Molendinum. Sijluas etiam ubicumque locorum nostrae ditioni pertinentes, pro utilitate Ciuitatis praehabitae, damus et concedimus omnibus universaliter incidendi, et pontem per fluuium Wislam parandi, liberam et omnimodam potestatem ita tamen, quod si praedictus pons corruerit, a casu vel vetustate, seu a glacie suppressus, volumus tunc. quod Ciues praedictae Ciuitatis nauigium statuant, non autem eiusdem nauigij lucrum percipiat quisquam

praeter Ciues dictae Urbis, donec pons supradictus steterit ex integro reparatus. Damus insuper et concedimus praedicto Withconi Aduocato, et suis legitimis successoribus, in districtu suae Ciuitatis praehabitae, et in districtu laneorum Ciuitati adiacentium, et additorum capiendi ubicumque locorum et venandi, omne genus ferarum quocumque artificio voluerit, vel maluerit, liberam et omnimodam potestatem. Et ut Ciuitas praehabita Sandomiriensis, tanto facilius, tantoque citius corrigatur, volumus, quod nulla taberna praeter tres, unam Episcopi, et duas Ecclesiae Sanctae Mariae, quae nunc sunt et fuerunt, ab antiquo locatae, ad vnius spacium miliaris per aliquem locetur vel habeatur. Item concedimus Ciuibus praehabitae Ciuitatis, et omnibus alijs, in districtu eiusdem in dominijs nostris, videlicet Cracoviensi, Sandomiriensi et Syraziensi, infra spacium libertatis supradictae sedecim annorum transeundi cum mercibus qualibuscumque, et ubicumque locorum, absque omni genere solutionis Thelonei et quocumque vocabulo censeantur liberam facultatem. Expirata deinde libertate praehabita, ijdem Ciues nostri, et omnes alij Ciuitati adiacentes, per districtum, quocumque in negotijs suis transitum foecerint. seu de foro ad forum. seu mercimonia quelibet exercendo, ab omni solutione Thelonei cuiuscumque, et quocumque nomine censeatur, in perpetuum sint liberj, et immunes. Volumus itaque ab omnibus obseruarj inuiolabiliter, et inconcusse, quod post libertatem sedecim annorum supradictam. Theloneorum in confinibus et metis terrarum nostrarum iam dictarum constituti, a modo non plus, quam dimidietatem Thelonei, a nostris Ciuibus iam dictis, et in districtu Ciuitatis manentibus, ita si extra gades, seu metas transierint, pro mercibus accipere habeant et extorquere. Et ut Ciuitas nostra Sandomiriensis sepedicta, in temporalibus, de die in diem augeatur, et excrescat, statuimus, quod hospites undecumque cum mercimonijs qualibuscumque ipsam intrauerint, eadem mercimonia in ipsa Ciuitate deponant, nec alias educere audeant. vel praesumant, donec sua mercimonia supradicta, hospitibus de diuersis partibus et regionibus aduenientibus, seu nostris Ciuibus ex integro reuendant. Sta-

tuimus etiam et volumus, quod moneta communis denariorum in praedicta Ciuitate habeatur, et per totum dominium Sandomiriense a vendentibus, et ementibus, res qualescumque irrecusabiliter accipiatur, nec aliqua in praeiudicium Ciuitati iam expresse vrgentia, ab alijs Ciuitatibus, vel quibuscumque alijs inferri permittemus. Cum autem Ciuitas nostra praenominata, ex integro in opere suo steterit constructa et completa. volumus tunc, quod Camere pannorum, et institarum in eadem in modiate (sic) construantur. de quibus nobis et nostris successoribus quinque partes cedent solutionis, sexta vero ad Aduocatum haereditarium, cum suis legitimis successoribus pertinebit. De alijs omnibus, quae sequuntur. ut pote de Cameris vel macellis carnificum de bancis pistorum et calcipariorum, atque de cameris examinatorum argenti, et de domibus mactatorijs, quae Cuthlere (sic) nuncupantur, et de balneis. hijs omnibus per ipsum Aduocatum haereditarium constructis et comparatis, non alterj quam ipso Aduocato Withconi, et suis posteris, tanquam domino suo speciali deseruient, et solutiones qualescumque ex ipsis proueniunt, vel possunt in futurum prouenire persoluentur. Promittimus insuper Ciuibus nostris supradictis, in ipsorum Ciuitate Parochiam ut construant spetialem ab Episcopo obtinere. Item damus et concedimus. praedicto Aduocato Withconi, et suis posteris in omnibus riuulis et fluuijs agrorum Ciuitati per nos additorum, ubicumque locorum fuerint, siue prope vel remote construendi, molendina et piscinas liberas ab omni solutione, Jure haereditario in perpetuum possidendas, et habendas. Causas quoque leues et arduas Aduocatus cum suis posteris iudicare habeat, reos criminis et maleficos, qui in ciuitate aut extra ciuitatem in Territorio ipsius reperti fuerint. vel per quemcumque deprehensi, pro qualitate noxietatis, et culpae debita poenā puniendo. Item damus et concedimus, Ciuibus nostris supradictis in Ciuitate sua iudicium pugnae vel duelli occurente necessitate, vel dum opus fuerit exercerj, et habere libere, nihil horum propter nostram absentiam differentes, Item volumus, quod Ciues nostri Ciuitatis praehabitae Sandomiriensis non grauentur, ut in iudicio Prouintiali, non plus

quam triginta solidos soluant condemnatus (sic). In iudicio autem haebdomadali quatuor solidos soluant de Jure consueto. Cum autem caussa ad magis quam triginta solidos se extendet, tunc condigna solutio, sicut ius expostulat caussarum illam sequatur. Item volumus, quod omnibus transire volentibus Hungariam vel Russiam, et e conuerso de Hungaria vel Russia, per Sandomiriam Ciuitatem transitus communis habeatur. Item addimus promittentes Aduocato haereditario, et suis posteris, quod si aliquod lucrum metalli, ut pote auri, argenti, cupri, plumbi, et stanni, in districtu Ciuitatis Sandomiriensis, inventum fuerit et repertum, non alter quam ipse Aduocatus cum suis legitimis successoribus, idem lucrum quodcumque fuerit Jure montano occupabit sextum vero denarium ex dicto lucro haereditarie in perpetuum libere, et suis posteris usurpando. Promittimus etiam omnia vinaria, vel structuras in fluuio Visla, per quemcumque factas, et cuiuscumque fuerint, pro opere Ciuitatis Sandomiriensis supradictae, et alijs temporibus necessitatis, prout juris est aperire. Statuimus insuper in praedicta Ciuitate Sandomiriensi, forum annuale in festo assumptionis beatae Mariae quatuordecim continue diebus celebrarj semper et tenerj. Volumus itaque ut pro tali donatione haereditaria, et libertatis receptione, simul et pro aduocatia, aduocatus haereditarius, cum quatuor balistarijs, nobis et nostris successoribus mittendo ad expeditiones, quibus personaliter affuerimus, vel noster successor, teneatur cum suis posteris deseruire. Ad praedictas quoque locationes, tam Ciuitatis quam agrorum eidem adiacentium, qui fuerint vocati a Palatino et Castellano Sandomiriensibus, et omni potestate eorum inordinaria: propter jus Theutonicum, simul cum aduocato sint penitus absoluti. Nec alibi unquam cittabuntur Aduocatus cum Ciuibus suis, et alij jure Theutonico fruentes, nisi ad nostrum judicium, si opus fuerit. per literam sub sigillo nostro, non aliter quam jure Theutonico in omnibus caussis iudicandi. Verum tamen si aliquod Priuilegium emerserit in posterum, et per aliquem ostensum fuerit, continens forsan super praedicta Ciuitate, a Patruo nostro inclito Duce, quondam Cracouiae et Sandomiriae Boleslao, vel ab antecessore

ipsius donationem factam, vel emptionem, propter neglectionem tantam, quod a Tartaris primis eandem non curauit reformare desolatam. Volumus quod hoc idem Priuilegium, nullius sit vigoris, et a nostrae posteritatis succedaneis penitus frivolum reputetur. In quorum omnium stabilitatem perhennem, et firmissimam perhennitatem, ne possent nube tegi obliuionis, aut scrupulo calumniae aliquatenus praepedirj, praesentem paginam nostri sigilli munimine fecimus roborarj. Actum in Sandomiria. Anno domini Millesimo. ducentesimo trigesimo sexto (1236). Praesentibus his quorum ista sunt nomina. Comes Sulco Castellanus Cracouiensis, Comes Boxa Palatinus Sandomiriensis Comes Petrus Palatinus Cracouiensis. Dominus Procopius Cancellarius per cuius manum hoc Priuilegium est porrectum. Comes Nicolaus Castellanus Sandomiriensis et dominus Zyffridus Custos Ecclesiae beatae Mariae in Sandomiria.

XVI.

Actum in Ghedt (?) anno 1237, sine die et mense.

Henricus dux Silesiae et Poloniae notum facit, comiti **Teodoro** palatino cracoviensi filium villam *Rogoznik* resignavisse jure haereditario possidendam (1).

In nomine sancte et individue trinitatis Amen. Quoniam ea que a discretis hominibus in tempore geruntur, vetustate tamen, que mater oblivionis est, interveniente, sepius (deducu)ntur in errorem; Hinc est quod nos H. (2) dei gracia dux Zilesie et Polonie Notum esse volumus universis, tam presentibus quam futuris hanc paginam inspe-

(1) Apographon hoc a doctissimo Josepho Łebkowscio descriptum et sine ullis notis nobis Cracovia transmissum est, ut in Codice prelo daretur. Archetypon fortasse in monasterio Szczyrzycensi asservatum. Łebkowski multa privilegia, quae in suo per Galliciam de monumentis Poloniae historicis bene merito itinere, in variis monasteriis invenerat, maximo cum studio et opera descripsit, ut illustrandis domesticis rebus gestis inservirent. Verba uncis inclusa Łebkowscij sunt, cujus etiam sunt et signa interrogationis in apographo posita.

(2) Henricus dictus Barbatus Vratislaviensis dux, vir S. Heduigis, tutor Boleslai Pudicis, mortuus est anno 1238.

cturis, Quod Comitj T. ([3]) palatino de *Cracov*, coram concilio nostro et nostrorum baronum, filiolus suus, nomine J. quandam villam, que *rognosic* ([4]) n(uncupa)tur, pro quadam summa peccunie sibi concesse a iam dicto comite, iure hereditario resignavit possidendam, quoniam *eiusdem s(umme) peccunie persolvendi posse non habebat* (sic). Sepe autem iam dictus comes super filiolo suo pietate motus, addidit insuper ei d(uo)s (?) boves, VI ulnas de brunet et pelles vulpinas; hac de causa, ut iam ad dictam villam nullum penitus respectum habere uteretur (?), sed omni remota excepcione, ipsam sibi resignaret, quod gratanter filiolus suus sepe (?) iam dictus J. acceptavit, promittens se nullam contra (?) patruum suum sepe iam prephatum comitem T. pro dicta villa actionem habere; imo omnibus exceptionibus remotis, ipsam sibi sub nomine vendicionis resignavit possidendam, coram hiis testibus: Comite pacozlao, comite stephano filio Andree, Vicencio, janusio de *nalco*, Clemente filio clementis, vlodimiro, johanne filio cromole, tuoriano (?) scarbnik, jacobo venatore, predzlao vexillifero, pribizlao tribuno, cesara (?), ubizlao, vencezlao, petrcone, visemiro, scervacio (?), bozone, maria, vlostone, et Aliis quam pluribus assidentibus, Actum in ghedt. Anno in Carnacionis (sic) domini MCCXXXVII.

([3]) Teodorus de Ruszcza fundator monasterii Szczyrzycensis hodie in Gallicia, filius Joannis ap. Roepellium, an. 1234. jam palatinus cracoviensis, eodem anno palatinus etiam ap. Maciejovscium: Pamiętniki t. II, p. 377.

([4]) *Rogoznik*, villa est territorii Ilcussiensis, regionis Leloviensis, parochiae autem ad Siemoniam spectantis; sed an de illa hoc loco mentio? nescimus. Conf. Łebkovscii: „Ułamek z podróży archeologicznéj po Galicyi odbytéj w r. 1849". (Bibliot. Warsz. 1850, T. III, pag. 208).

XVII.

Sine loco—die 6—13 Januarii 1238.

Levos et Crisek filii Crisconis comiti Teodoro Palatino cracoviensi villam *Krzyszkowice* **vendunt** (1).

Noverint universi presentes et futuri, quod nos Levos et Crisek filii quondam Criskonis, vendidimus Comiti Theodoro Palatino Cracoviensi villam nostram, que dicitur *Criskovichi* (2) pro viginti Marcis Argenti et duabus tunicis Jure hereditario possidendam. Partem vero Argenti nobis ipse solvit, residuum vero a fratribus de Andrevo per manus fratris Hugonis ipsius domus quondam cellerarij Coram domino duce Henrico Cracoviensi in ecclesia beati Floriani percepimus et tunicas. In cuius rei testimonium Tam domini ducis quam Episcopi Domini Wizlai, quam eciam Palatini Pakoszlai et Clementis Castellani sigillis hanc Cartulam consensimus roborari. Nomina nichilominus virorum nobilium, qui huic confirmacioni nostre interfuerunt, et testes sunt subnotantes, videlicet: Dominus Wiszlaus Episcopus, Pakozlaus Palatinus, Clemens castellanus cracoviensis, Vincencius Abbas de *Brezk*, Gregorius archidiaconus, Buguzlaus Cancellarius, Clemens castellanus de *Brezk*, Wirbentha Comes Regotha (?) cum fratre Andrea de *Morawich*, Poznanus, Andreas Sulcovich, Cressatha (?). Boz gladifer, Henricus prepositus Mechoviensis, Mrokocha et plerique alii. Actum anno MCCXXXVIII, in Octava Epyphanie (3).

(1) Apographon a doctissimo Łebkovscio missum, descriptum ex archivo Szczyrzycensi.

(2) *Criscovichi* fortasse *Krzyszkowice* villa territorii Miechoviensis regionis vero Szkalbmiriensis. Alia villa Krzyszkowice apud Radomiam. Conf. Lebkowscii: „Ułamek z podróży", ut supra (Bibl. Warsz. 1850. T. III, pag. 208), et Paproccii „Herby rycerstwa" pag. 71.

(3) Habemus etiam ab doctiss. Łebkovscio aliud apographon ad monasterium Szczyrzycense spectans, ejusdem anni 1238, sed hoc judicio illustrissimi Venceslai Alexandri Maciejovscii non verum esse, imo etiam falsum, scimus. Privilegium, de quo agitur falsum esse, videmus ipsi, nam anno 1238. archidiaconus sandomiriensis fuit Pacoslaus ut tradunt fontes, id est: „Źródła do dziejów polskich" a doctissimis Alex. Przeździeccio et Michaele Grabowscio Vilnae editi (T. I, pag. 124), non vero Salomon, uti in apographo Łebkovscii legitur. Alium Salomonem archidiaconum cracoviensem anno 1239 scimus fuisse, vide privilegium infra. Hanc ob causam huc in notis privilegium falsum damus, tenor ejusdem vero talis:

Concordia inter Abbatem et Sdislaum Comitem.

In nomine Domini Amen. Nos magister Salomon archidiaconus Sandomiriensis et Uger (?) qui dicetur Buzakarinus juris professores arbitratores seu pacis compositores, electi per dominum Abbatem de Ludemir, suo et conventus sui nomine, ex una parte, et comitem Sdislauum ex altera, super controversijs, discordijs, questionibus et causis ortis et quae oriri possunt super ecclesia de Cirice, occasione iuris patronatus sive possessionis vel quasi eiusdem iuris, decimis, et omnibus alijs ad ipsam ecclesiam pertinentibus, statuimus, diffinimus et precipimus, ut dictus comes Sdislauus claves et ornamenta ipsius ecclesie sine mora in manibus ipsius abbatis restituat, nec de cetero per se vel successores suos, prefatos abbatem et conventum super jure patronatus, possessione, vel quasi ipsius, et ordinacione ipsius ecclesie, decimis, vel rebus alijs, ad ipsam ecclesiam pertinentibus, molestare seu inquietare presumat. Volumus autem et ordinamus propter bonum pacis et concordie, ut prefati abbas et suus conventus eundem Sdislauum et successores suos, heredes ipsius monasterij debeant reputare, et tamquam heredibus honorem exhibere. Haec omnia in virtute iuramenti ab utraque parte prestiti in manibus F. Dei gracia Gnestnensis archiepiscopi precipimus perpetuo observari. Actum anno Domini Millesimo ducentesimo trigesimo octavo. In Andrevo, in caminata hospitum; presentibus: Abbate ejusdam loci et Renero et Warnero et Theodorico monachis, et aliis.

Ego Sulislaus canonicus Cracoviensis .... domini Bunkarini subscripsi.

XVIII.

Staniątciis, anno 1238.

Vislaus de Koscielec cracoviensis episcopus ecclesiae virginum Staniątcensi decimas multarum villarum confert (1).

In nomine dominj Amen. Nos Wisslaus. dei. gracia. Cracouiensis Episcopus. notum facimus uniuersis presentibus et futuris. hanc paginam inspecturis, quod in dedicatione ecclesie de *stanantek*, quam in honore (sic) beate marie uirginis fundatam dedicauimus, ad instanciam et humilem supplicationem nobilium virorum. Dominj videlicet

(1) Ex archetypo membranaceo in archivo monasterii Staniątcensis asservato descripsit doctiss. Sławiński, idemque tribus sigillis funiculis sericis rosacei coloris appensis instructum esse tradidit: quorum alterum minus episcopale sine effigie est, alterius vero exemplar effictum in opere doctiss. Alexandri Przeździeccii, quod inscribitur *Wołyń i Podole* (T. 2 diploma anni 1235) conspici potest. Sigilli tertii abrupti denique reliquiae tantum videntur.

andree fratris nostri Episcopi Mazouiensis, ac fratrum eius. Comitis Clementis castellani Cracouiensis, et Comitis Jankonis castellani de *thesin*, considerata ipsorum fidelitate, quam nobis et ecclesie nostre multociens ostenderunt, nec non et cupientes tam nouelle plantationi misericordie operibus subuenire, ut deodicate uirgines ibidem sub regula beati Benedicti constitute. commodius deo famulentur. de consensu ac bona uoluntate fratrum nostrorum, Canonicorum ecclesie Cracouiensis. contulimus ac iure perpetuo donauimus sanctimonialibus monasterij supradicti. decimam in villa ipsarum *Wiscouicj* (²) dicta, et aliam decimam ubicumque elegerint inter hereditates proprias in vna uilla. dedimus etiam eidem monasterio libertatem in decimis de propriis aratris, ita sane ut ubicumque ipsarum monialium arathra (sic) fuerint. sint ab omnj decimatione absuluta. Preterea ex nostre specialis. gracie prerogatiua, supra nominatis uirginibus ad petitionem ipsarum et aliorum nobilium virorum qui eiusdem ecclesie dedicationj interfuerunt, dedimus eis iuramentum circa claustrum de uillis earundem, ita tamen quod quicquid de ipso iuramento uenerit, in usus infirmarum monialium conseruetur. nomina vero uillarum hec sunt, *Zacrew* et altera *Zacrew podlanse*. *Slomirog*. *Zagore, Gorka* (³). Confirmamus insuper, quod Comes Clemens fundator ipsius Monasterij de *Stanantek*. cum uidisset nos tantam graciam fecisse, ob reuerenciam beate uirginis Marie, cum ipsis Sanctimonialibus, in presencia nostrj constitutus, omnes suas hereditates eidem monasterio assignauit, ac perpetuo donauit. quarum hereditatum nomina ista sunt. *Nemodlim* totaliter, *Celazc* (Czeladź) uillam cum castoribus et cum thaberna. *Smolice Zagore* (⁴) *Roscochouice*. *Roscouice*. *Kanthi* (⁵). *Lubens* (⁶). vi-

(²) *Witkowice* villa Bochnensis territorii in Gallicia inter oppida quae *Wieliczka* et *Gdow* dicuntur.

(³) *Zakrzew*, *Zakrzówek*, *Podlęże*, *Slomirog*, *Zagorze*, hae omnes villae hodie monasterii Staniątcensis propriae, non procul ab ipso monasterio sitae. *Gorka* ad Vistulam non procul ab ostiis *Rabae*.

(⁴) Alia villa *Zagórze* in antiqua Cracoviensi civitate, non procul abest a castro dicto *Lipowiec*.

(⁵) *Kąty* in Crac. Republica.

(⁶) *Libiąż* in Crac. republica in medio itineris a Lipowiec versus Prussiae fines.

tow (7). *lipoua* (8). *Zagore. babici* (9). *roscochow* (10). *Lusouicj* (11). *dlugosin* (12). *Cescouici* (13). *Jauorno* (14). *podlanse* (15). *Lanscouicj* (16). *Premuchani* (17). *Ostrou* (18). *Kargou. siche* (19). *plachow* (20). Post quem dominus Andreas frater noster Episcopus mazouiensis. ductus zelo dei. suas proprias hereditates ipsi monasterio donauit. *Bresniciam* (21) uidelicet in jure theutonico cum ecclesia et cum decimis de nemore quod postea excoletur aloco (a loco) illo a quo decimas perciperent Canonici ecclesie nostre super noualibus, quarum noualium metas et terminos. Doman. et bernardus nostrj Canonici missi de communj consilio. inter *bresniciam* supradictam et *lopankam* (22) per uallem que *priseki* (23) nuncupatur et iuxta uineam per uiam aput (sic) *mogilice* (24) que ducit in *crecew* (25). assignarunt. *lopankam* cum sale, *visnice* (26) totaliter cum *Chronow* (27), in *dolusice* (28) quod frater suus

(7) *Witow*, duae villae sunt ejusdem nominis, altera territorii Miechoviensis suae parochiae caput et altera territorii Ilcussienis, parochiae Naclensis.
(8) *Lipowa* ad Vistulam in Gallicia.
(9) *Babice* in antiqua Rplica Cracoviensi.
(10) *Roskochow* ibidem locorum, ad Vistulam.
(11) *Luszowice* ibidem, septentrionem versus a Chrzanovia.
(12) *Długoszyn* ibidem loci.
(13) *Cieszkowice* ibidem.
(14) *Jaworzno* oppidum, ibidem.
(15) *Podłęże* in antiqua Crac. civitate in confiniis Prusiae.
(16) *Łężkowice* in antiquo Crac. palatinatu, regionis vero Czchovensis: hodie parochiae Chełmensis, villa in Gallicia.
(17) *Przemęczany* villa regionis Proszovicensis, parochiae Zielenicensis.
(18) *Ostrow* regionis Proszovicensis parochiae Miedznoviensis.
(19) Vide supra privilegium ad annum 1234.
(20) *Plechow* villa regionis Proszovicensis, parochiae vero Gorzkowicensis.
(21) *Brzeźnica* villa monasterii propria ad Bochniam.
(22) *Łopanka*, quinam locus sit hic indicatus, mecum ipse dubito; villam ejusdem nominis periisse, verisimile est. Nonnulli quidem putant, Łopankam nostram eo loco quondam locatam fuisse, quo hodie *Wieliczka*, illud Magnum Sal veteris Poloniae, invenitur.
(23) *Przysieki* non procul a Bochnia.
(24) *Mogilice* quinam locus? nescimus.
(25) *Krzeczow* non procul a *Bochnia*.
(26) *Wisznicz* oppidum Bochnensis territorii.
(27) *Chronow* non procul ab oppido *Wisznicz*.
(28) *Dołuszyce* villa ad bona Visnicensia pertinens.

Suentoslaus habuit. *Dobranouice* (29) *Gnatouice* (30) *Baulowice* (31) *bircow* (32), quod factum Comes Janko frater ipsorum dum uidisset retributionem eternam ante oculos ponens de bona uoluntate filij sui dominj Sulislay sepe fate domuj assignauit. *Zacrew* et alteram *Zacrew* (33). *rokow* et post mortem filij sui cum eiusdem uoluntate *Cosocice* (34). monasterio sepius dicto donauit. Ut autem hec nostra donatio et confirmatio firma et inuiolata permaneat. presentem paginam. Sigillis nostro et nostre ecclesie Cracouiensis duximus roborandam. Dominus eciam Andreas Episcopus Mazouiensis eidem sigillum suum appendere Curauit. Acta sunt autem hec in stanantek. Anno dominj M°. CC°. XXX°. VIII°). presentibus hiis testibus. Domino fulcone Decano Cracouiensi. Domino Prandota archidiacono. Domino throiano Custode. Domino Petro Canonico. Domino Waltero Canonico. Domino Symone. Canonico. Comite Wlodimiro Palatino Cracouiensi. Comite Clemente castellano de Osuencim. Comite sulcone fratre eius. Comite Andrea pincerna Cracouiensi. Cristiano Kamerario ducisse Pribislao tribuno Cracouiensi et aliis quam plurimis.

(29) *Dobranowice* regionis Proszovicensis, parochiae Poborovicensis.
(30) *Gnatowice* reg. Proszov. parochiae vero ad Koniuszam spectantis.
(31) *Bolowice* reg. Proszovicensis, par. Palesnicensis.
(32) *Biorkow* ibidem, par. Biorkovicensis.
(33) *Zakrzow* villa regionis Proszovicensis, par. Szkalbmiriensis; altera ejusdem nominis villa ibidem, in par. Młodzoviensi.
(34) *Kosocice* villa parochialis in palatinatu antiquo cracoviensi, regione Szczyrzycensi, in Gallicia. Omnes villae hic memoratae ex liberis manuscriptis Felicis Łojko.

XIX.

Cracoviae, 1239 anno.

Prandota de Białaczów episcopus cracoviensis decimam villae *Tropiszow* monasterio Staniątcensi, confert (1).

In nomine dominj Amen. Ne ipsa que temporaliter aguntur. longitudine dierum obducta amemoria (a memoria) hominum euellantur.

(1) Ex archetypo membranaceo monasterii Staniątcensis proprio. Duobus funiculis sericis, albo et rosaceo, erat appensum sigillum, quod jam desideratur. Descripsit doctis. Sławiński.

debent scripture testimonio. posterorum noticie commendarj. Proinde nos Prandota dei gracia Cracouiensis Episcopus notum facimus presentibus et futuris. quod Dominus Wisslaus pie recordationis Episcopus noster predecessor. cum ecclesiam *instanantek* (in Stanantek) dedicasset presentibus nobis et aliis quam plurimis. decimam eidem ecclesie contulit. ubicumque ipsius monasterij conuentus eligeret. in una uilla de propriis hereditatibus. quam donationem nos post decessum ipsius confirmauimus. consciencie ipsius et nostre satisfacientes. donantes. et perpetuo confirmantes de consensu et bona voluntate tocius nostrj Capituli Cracouiensis. supradicte ecclesie *destanantek* (de Stanantek) Decimam in uilla ipsius ecclesie *Tropisow* (²) dicta. perpetuo possidendam. Ut autem hec nostra Donatio et confirmacio firma et inconcussa permaneat. presens scriptum ad maioris roboris firmitatem. sigillis. nostro et nostri capitulj Duximus muniendum. Et si hanc nostram Donationem sev confirmationem quispiam. ausu temerario infringere attemptauerit. uel ei qualicumque modo contraire. indignationem beate dei genitricis semperque uirginis marie se nouerit incurrisse. et pro nostris delictis aput (sic) deum omnipotentem reus teneatur. Actum in Cracouia anno uerbi incarnati. M°. CC°. XXX°. VIIII°. Presentibus hiis testibus et consencientibus. Ivone decano. Salomone. archidiacono. TRoyano custode. Domino Waltero. Magistro. benedicto. Symone. Canonicis ecclesie nostre. et aliis quam plurimis (³).

(²) *Tropisztow* villa regionis hodie Proszovicensis, parochiae vero Igolomiensis.

(³) Multa nova in rebus gestis patriae nostrae ex hoc privilegio apparent. Imprimis, Vislaum episcopum non anno 1242, uti Starovolscius et alii scriptores tradunt, sed jam anno 1239 mortuum esse, certum est. Vislaus noster vivebat enim ipso anno 1239, quo in colloquio Przedboriensi simul cum duce Boleslao Pudico praesens fuit (Conf. nostri Codicis T. I, pag. 43). Postea Prandotam de Białaczow jam eodem anno 1239, episcopum fuisse, quis negare potest? Testium nostri privilegii jam notus est tantum Trojanus, qui custos fuit etiam 1253 (vide Gładyszewicz: „Żywot. Prandoty", pag. 254). Sed anno 1238 archidiaconum cracoviensem Gumbertum, non Salomonem fuisse scimus („Źródła do dziejów polskich Przeździeckiego i Grabowskiego", vide supra. T. I). Salomon archidiaconus jam in nostro privilegio, legitur. Itaque, quae nobis de archidiaconatu cracoviensi Prandotae dicuntur, omnia flocci habeantur. Prandota, haud dubio, ex praeposito Kielcensi electus est episcopus non ex archidiacono, nam verisimile nobis videtur, Prandotam hunc nostrum, non alium quemquam, adfuisse cum Vislao episcopo colloquio Przedboriensi anni 1239. Denique ap. Gładyszevicium l. c. legimus, Prandotam in epi-

scopum die S. Urbani consecratum esse: hanc ob causam, diem consecrationis ejusdem 25 maji anni 1239 fuisse, putamus. Pachozlaus senex de Sarnoe (Żarnów) Castellanus anni 1237 (vide Codicis nri. T. I, pag. 42) apud doctiss. et illustriss. Helcel: („O klasztorze Jędrzejowskim" pag. 81—87) ejusdem nominis quartus, in colloquio Przedboriensi, palatinus Visliciae, 1239 jam mense julio ejusdem anni, castellanus sandomiriensis (ap. Helcel pag. 87); Przedboriae autem castellanus sandomiriensis Jacobus fuit. Haec nonnulla de mense nostri privilegii, qui augustus, september, october, november, vel december anni 1239 esse videtur.

Prandota in memoriam sibi revocavit praedecessoris sui verba, in privilegio quod supra dedimus, dicta: „et aliam decimam ubicumque elegerint inter hereditates proprias in una villa"—et unde decimae Tropiszovienses nostri privilegii.

XX.

In colloquio super Myravam, die 4 Aug. 1243 anno.

Conradus Cracoviae et Lanciciae dux, privilegia a variis monasterio Staniątcensi data, confirmat (1).

In nomine sancte et indiuidue trinitatis Amen. Nos Conradus dei gracia. Dux Cracouie et Lancicie. notum facimus vniuersis presentibus et futuris, quod pro remedio peccatorum nostrorum. ob reuerenciam sacratissime uirginis Marie matris dei. Congregationi sacre sanctimonialium ordinis beati Benedicti Monasterij. de *Stanutek* Cracouiensis Dyocesis, super libertates alias quas specialiter ei dedimus. hec que sub tenore presenti declarantur, benigne et liberaliter. de fauore omnium nostrorum baronum conferimus. inperpetuum possidenda. videlicet ut omnes incole et inhabitatores omnium uillarum ad ipsam congregationem pertinencium. ab omnibus iudiciis Castellanorum et Palatinorum siue aliorum quorumcumque iudicum. penitus sint exempti. et abomnibus (ab omnibus) expeditionibus et castrorum edificationibus siue solutionibus *stroze* plenarie absoluti. preter hoc quod ad presenciam nostram quocienscumque citati fuerint littera nostra. coram nobis comparere et iudicari tenebuntur. Confirmamus eciam eidem Monasterio. omnes villas et hereditates. quas patroni et

(1) Ex archetypo membranaceo in tabulario monasterii Staniątcensis asservato descripsit doctiss. Sławiński. Sigillum et funiculi desiderantur.

heredes in Consecratione ecclesie ipsi Monasterio sollempniter contulerunt. et perpetuo donauerunt. cum omnibus aliis utilitatibus in *magno sale* et *in bochna*. Comes Clemens contulit. *Podlanze Lanskouice. Climentow* (²). *scithniki* (³). *Ostrow. Kargow. Negardow* (⁴). cuius dimidiam partem emit aput (sic) Jankonem uel commutauit pro *Plechow*. et aliam dimidietatem aput Sezemam et filium eius Marcum pro *dobranouice* que *rudno* (⁵) dicitur simili commutatione. et pro *vadow* (⁶). *Premuchanj. Lypouam. Zagore. Roskochouice. Smolice* cum castoribus. *Zathor. Canti* (Kąty). *Lubens* (Libiąż). *Celad.* (Czeladz) super fluuium brennicham (Brynica fluvius) cum castoribus. et cum thaberna. *vytow* prope *seveor*. et *de narok*. ad uiginti aratra de bona terra. scilicet in *posilow* in *luthouice*. in *makocice* in *kargow*. in *gosciradyce*. in *Ciuocici* in *radimici* in *pridrusici*. in *prizorudici*. in *Chusow*. in *Gluchow*. in *Grusow*. in *Radicow*. Item *Plonsk* (⁷). *Zagroce. Nabuze. Drusow*. Dominus Andreas Plocensis Episcopus. Contulit *Bresniciam* cum Jure theutonico. *Lopeankam. bochnam* quam emit a vincencio et *gnatouice. auzoria salis* et *pecini* (⁸) ad magnum salem. Comes Janko. contulit de consensu filii sui domini sulislay. *zacrew* et alteram *zachrev. Zabauam* (⁹) *Kosocice* (¹⁰). et *Rokow* (¹¹). Comes Sventoslaus contulit *Dolusice* et *Visnice* cum *Chronow*. Confirmamus preterea villam in castellatura Cracouiensi sitam *tropisow* dictam de qua homines nostros qui. Conare (¹²) dicuntur eduximus in uillam que dicitur *siche* ipsius monasterii per commuta-

(²) *Klimuntow* villa regionis et parochiae Proszovicensis.
(³) *Szczytniki* villa olim regionis Szczyrzycensis hodie vero Rochnensis in Gallicia, parochiae Brzeziensis.
(⁴) *Niegardow* in Regno Poloniae, regionis Proszovicensis par. Niegardoviensis.
(⁵) *Rudno* etiam regionis Proszovicensis par. vero Poborovicensis.
(⁶) *Wadow* regionis cracoviensis villa, parochiae ad Ruszczam spectantis.
(⁷) *Płońsk* est oppidum in Masovia, hodie caput suae parochiae in Plocensi regione situm; sed an de Masoviensi Plonsco hoc loco mentio?
(⁸) *Auzoria et Pecini* quae in aliis ejusdem temporis privilegiis etiam *Peczini et Corcze* dicuntur.
(⁹) *Zabawa* villa regionis Szczyrzycensis par. Wielicensis in Gallicia.
(¹⁰) *Kosocice* villa, suae parochiae caput, regionis Szczyrzycensis in Gallicia.
(¹¹) *Rokow* in antiquo Osviecimiensi et Zatoriensi ducatu, non procul ab urbe dicto *Wadowice* in dextra ripa fluminis Scavae.
(¹²) *Konare*, koniarze quid significantur? vide supra hujus tomi annotationem quartam privilegii Nr. V.

tionem. Item *Ceskouice* totam uillam et *lusouice* dimidiam quam eciam ipsi Conare inhabitabant. cuius medietatem alteram ipsum Monasterium ex donatione comitis Clementis qui eam emit a comite vitga. possidet perpetuo iure. Si autem quispiam de nostris successoribus hanc libertatem et confirmationem quod absit conaretur eneruare. ante districtum iudicem in nostris delictis reus teneatur. Acta sunt hec in colloquio super *myravam* ([13]). presentibus filiis nostris. Kazimiro Duce Kuiauie et Semouitho. et relicta ([14]) Ducis Leiztkonis (sic) cum filio suo duce Boleslao Sandomiriensi et eis huic facto benignum prebentibus assensum. et presentibus hiis baronibus. et consencientibus quorum nomina hec sunt. Mystiuuy Palatinus Cracouiensis. Bogusa castellanus Cracouiensis. Florianus tribunus. Smil venator. Cracouienses. Bronis castellanus *de bresesk* Pankoslaus Palatinus Sandomiriensis Pakoslaus castellanus visliciensis. Sdislaus Kopito. Sando palatinus de *Sarnow.* (Żarnow) ([15]). Ctiborius Palatinus Lancicie. Stephanus filius Andree Nicolaus castellanus de Rospra. Johannes iudex Curie. Et ut hec inconcussa maneant sigillum nostrum huic pagine duximus appendendum. Datum Anno uerbi in Carnati. M°. CC°. XLIII°. mense augusto. in die sanctorum oswaldi et Dominici confessoris.

([13]) Nec fluvius, neo locus est ubicunque ejusdem nominis: invenimus in territorio Kielcensi, regione vero Jędrzejoviensi villam Mierzawa (par. Krzcięcice) sed de illa hoc loco etiam cogitare non audemus. De aliis villis et locis huc memoratis jam supra in annotationibus diximus.

([14]) Id est, relicta uxore, vidua ducis Lesconis, Grimislava.

([15]) Conradus dux Masoviae, frater minor natu Lesconis Albi, palatinos Vislicenses contra Sandomirienses Boleslai Pudicis vel Henrici Vratislaviensis ejus tutoris nominabat, conf. Helcelii dissertationem de monasterio Andrejoviensi, (o klasztorze Jędrzejowskim). Sed hoc loco primam legimus mentionem de palatinis Żarnoviensibus. Żarnow est hodie parvum sed antiquissimum oppidum territorii Opocznensis, regionis vero Konscensis, et habuit suos castellanos. Primus de quo scimus castellanus fuit Falibog anno 1225. conf. doctissimi Ambrosii Grabowski „Skarbniczka naszéj archeologii", pag. 189. Postea Pachoslaus senex de Sarnoe castellanus, vide supra nostri Codicis T. III, pag. 38. Pacoslaum hunc sequitur noster Sando, jam palatinus non castellanus de Sarnow, denique etiam castellanus Zeugno a. 1252. (conf. Paprocki, „Herby rycerstwa", pag. 71 et Nakielski *Miechovia*, pag. 33). Unde apparet, et palatinos Żarnovienses Conradus nominavisse Boleslao Nepoti.

XXI.

Radogosti (Radogoszcz) mense decembri 1242 anno.

Conventus Sulejoviensis et Vitoviensis antiquam litem de haereditate villae *Borkowice* diriment et de aliis suis rebus ac finibus terrarum constituunt (1).

In Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti Amen. Noverint Universi tam praesentes quam posteri, quod cum inter Abbatem et Conventum de *Sulijow* ex una parte et Abbatem et Conventum de *Vitovia* ex altera coram Illustri Principe Conrado Dei Gratia Cracoviae et Lanciciae Duce super quadam parte haereditatis de *Barkowice* (2) Controversia verteretur, tandem pro bono pacis dictae partes subscriptam iniverunt Compositionem, videlicet quod Dominus Abbas et conventus de *Sulejow* cedunt Ecclesiae de *Vitovia* de parte haereditatis nominatae secundum quod protenditur a Fluvio *Koprzywnica* secus fluvium *Korytnica* usque ad viam de *Petricovia* retinentes partem ejusdem haereditatis secus fluvium *Lucięza*, secundum quod protenditur ultra pontem Joannis usque ad certas Metas inter dictas Ecclesias constitutas. Praefati vero Abbas et Conventus de *Vitovia* dictae Ecclesiae de Sulejow concedunt et permittunt construere molendinum supra eundem fluvium *Lucięza* ubicunque videbitur eis expedire. Insuper pro decima parte dictae hereditatis quam retinent ad eorum libitum procurandum decimam de *Kampino* dictae Ecclesiae de *Sulejow* concedunt liberaliter et benigne in perpetuum possidendam Venerabilis Patris F. (Fulconis) Gnesnensis Archiepiscopi interveniente Consensu, sub Cujus Dioecesi.... Decimae continentur. Acta sunt haec de

(1) Ex apographo monasterii Vitoviensis a Vladislao Wieczorkowscio nobis concesso, descripsimus.

(2) Villae *Borkowice*, *Kępina* et aliae huc enumeratae, hodie in Opocznensi vel in Lancinensi regionibus; de illis legas nostri Codicis Tomi I. privilegium sub Nr. XXXI. Rivuli *Lucięza*, *Pilica*, *Koprzywnica et Korytnica* fluunt in iisdem regionibus. De monasteriis vero Sulejoviensi et Vitoviensi, quae in propinquo sunt *Piotrkoviae* (huc *Petricoviae*) jam saepe et in prioribus tomis et in hoc nostro diximus.

Consensu Communi Conventuum dictarum Ecclesiarum in *Radogoszcz* (³) Anno Millesimo Ducentesimo Quadragesimo Secundo Mense Decembri. Praesentibus Supranominato Illustri Principe Semovito Filio Ejus et Venerabili Patre M. (Michaele Godziemba) Episcopo Cujaviensi, Mestvione Capellano de *Sieradz*, Brikcio Canonico Vladislaviensi, Luciano subjudice Curiae dicti Ducis, Gottardo Subpincerna, et Paulo filio Petri quondam Haeredis de *Kampino*. Ut autem haec Compositio in perpetuum Plenum robur obtineret praesentem paginam Sigillis praedictorum Ducis C. (Conradi) F. (Fulconis) Archiepiscopi M. (Michaelis) Episcopi et proprio muniverunt. Locus Sigillorum pensilium.

(³) *Radogoszcz* villa territorii Lanciciensis, regionis Zgierscensis, parochiae Łodzensis, in via ex oppido Łódz Zgiersium ducente. Conradus dux Lanciciae et Cujaviae hoc tempore in colloquio fuit Radogosti (Conf. Codicis nostri T. I. privil. Nr. XXXI).

XXII.

In colloquio super Miravam, die 4 Augusti 1243 anno.

Conradus Cracoviae et Lanciciae dux, monasterio Staniątecensi proprio motu villam *Podolany* confert (¹).

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Nos. Conradus. dei gracia. Dux Cracouie et Lancicie notum facimus vniuersis presentibus et futuris. quod. pro Remedio peccatorum nostrorum deo et beate uirgini, matri eius. Domuj uidelicet de *Stanantek* Congregationi sacre Sanctimonialium ordinis beati Benedictj Cracquiensis Dyocesis. super libertates alias quas ei specialiter dedimus. hec que subnotata presenti scripto declarantur. benigne et liberaliter contulimus iure hereditario perpetuo possidenda. videlicet villam *podolani* (²). quam quondam Comes Evstachius ex nostra donatione possedit. sine diminutio-

(¹) Ex archetypo membranaceo monasterii Staniątcensis proprio. Funiculis sericis rosacei coloris appensum olim erat sigillum, cujus hodie tantum reliquiae sunt. Descripsit doctis. Sławiński.
(²) *Podolany* villa regionis Szczyrzycensis par. ad *Gdów* spectantis, in Gallicia.

ne sicut eam ipse tenuit. eo enim mortuo et filio eius post ipsum. ad nos sicut desolata hereditas que puscina wlgariter sonat. rediit. et hec est sita in Castellatura de *Bresesk*. quam nos dedimus supradicte Domuj pro debito. Octoginta marcarum argenti. Item uillam uillam (sic) *tropisow* in Castellatura Cracouiensi sitam de qua homines nostros qui Conare dicuntur, pro securitate et perpetua quiete prefate domus educentes. partim in uilla (sic) super rabam. que dicitur Conare (3). quam aliquando habuit Comes vitga. partim in uillam *sicew* que erat ipsius domus hereditas. sed de ipsa cessit eisdem hominibus pro suo bono. transtulimus perpetuo ibidem permansuros. Item mediam partem de *Luseuich* quam inhabitabant homines, nostri eciam Gonare. alteram enim partem uille domus predicta non ex nostra donatione possedit. sed ex collatione Comitis Clementis. qui eam emerat a supra dicto Comite Witga. et hec est sita in castellatura de *Chranow*. de qua similiter prenominata medietate nostros homines eduximus et in predictam uillam *Sycew*. eo modo mansuros transmisimus. Item in eadem castellatura. uillam *Bogumilow* (4) totam. Item mensuram salis in *bochna*. octauo die semper percipiendam. que actenus spectabat castellano Cracouiensi. Item plenius prouidere Cupientes sepe dicte domus tranquillitatj et paci. hominem nostrum Sandkonem cum fratre et filiis qui habitabant in uilla ipsius domus. que dicitur *Gosciracicj*. et Pedonem cum Pardusone filio. et golassio filiolo suo. qui similiter manebant in uilla sepedicte domus. que dicitur *Makocici*, qui omnes ad tribunatum Cracouiensem pertinent. Item Zelazonem cum patre suo Radoslao. et fratribus suis omnibus. qui pstroscici (5) dicuntur. qui habitabant in uilla eiusdem domus. nomine *Kargow*. Item Jacobum cum filiis et fratre suo. qui pertinebant agazoni Cracouiensi. et habitabant in uilla ipsius domus. *Cyuocici*. uocata. Item nicolaum fabrum nostrum qui in uilla eiusdem domus. *Lutouici* dicta manebat.

(3) *Konary* regionis Szczyrzycensis, parochiae vero ad *Mogilany* spectantis in Gallicia, sed in nostro privilegio villam Konary ad fluvium Rabam sitam esse legimus, quod hodie re vera non est.

(4) *Bogumilowa*, villam ejusdem nominis invenire non possumus.

(5) In privilegio, quod dabimus infra sub a. 1245. idem verbum significat: „*varium centum, vulgariter pstre sto.*"

Omnes istos de propriis sortibus educentes in uillam que erat ipsius domus nomine *malosow* (6). de qua cessit eisdem perpetuo. transtulimus. ibidem sine spe reditus ad priora. permansuros. et eorum sortes sicut priores domui assignauimus in ueram possessionem. Item bogumilum et vogen (7). cum sua cognatione qui habitabitabant (sic) in iam dicta uilla *Makocici*. et pertinebant in *beiec* (8), in uillam *Gluchow*. de qua eis eodem modo Domus ipsa cessit. deduximus ibidem perpetuo permansuros et eorum sortes domui contulimus. Item alueum salis ad magnum salem. iam pridem domui collatum. iterato contulimus. confirmantes. perpetuo possidendum. ville autem quas possidet legitime domus de *stanantek* ex collatione suorum patronorum. absque eis quas adhuc patroni quidam uiuentes possident, tandem ab ipsa domo possidendas. hec sunt. Ipsam *Stanantek* integraliter. sicut illud (sic) possedit Dominus Andreas Episcopus nunc Plocensis. cum uillis. *Slomirog*. *Zacrew*. et altera *Zacrew*. que fuit Comitis iohannis. Item *Podlanse*. *Lanskouici*. *Lypoua*. *Zagore*. *Kanthi*. *Lubenyz*. *Premuchanj*. *Gosciracici*. *Diuocicj* (9). *Kargow*. *Posilow*. *Luthouicj*. *Makocicj*. *Byrkow*. que fuit quondam episcopi Cracouiensis. commutata cum Comite Clemente, pro uilla de *Jauorno*. quam modo ipse episcopus possidet. Hiis autem uillis omnibus prenotatis que iam in possessionem dicte domus deuenerunt uel que ad huc possidentur a patronis. tandem deuenient. earumque incolis omnibus specialem libertatem contulimus que plenius in priuilegio super hoc prius anobis (sic) donato continetur. videlicet vt gaudeant ascripticiorum ecclesie libertate. Et hec acta sunt in Colloquio super *mirauam*. presentibus filiis nostris Kazimiro Duce Kuiauie et. Semouito. et Domina Leztkonis relicta (10) cum filio ipsius boleslao Duce Sandomiriensi. et eisdem benignum huic fa-

(6) *Maloszow* caput suae parochiae, villa regionis Proszovicensis.

(7) Haec ipsa verba in privilegio, quod sub a. 1254 dabimus infra, sonant: „*Bogumilum et voynonem.*"

(8) De oppido *Biecz* hoc mentio? Doctissimus Sławiński putat, castellaniam olim fuisse in villa regionis Proszovicensis, quae *Bejsce* hodie dicitur. In alio privilegio Vladislai regis dicti Łokietek legimus distincte, clare: „*Castellanus de Beyce*". Conjecturam itaque Sławińscii justam esse et hoc loco Bejsce non Biecz intelligendum, non dubitamus.

(9) Hunc locum in charta geographica non invenimus. De aliis villis jam supra.

(10) Vide privilegium, quod hoc nostrum sequitur.

cto consensum prebentibus. Affuerunt quoque et barones nostri quam plurimj. quorum nomina hic placuit annotarj. Mstiuug palatinus. Bogusa Castellanus. Florianus tribunus. Smil venator. Cracouienses. Sando palatinus de Zarnow. Stiborius palatinus lanciciensis Bronisius Castellanus de Bresesk. Pacoslaus Palatinus Sudomiriensis. Pakoslaus Castellanus Visliciensis. Sdislaus Copitow. Stephanus filius Andree. Nicolaus Castellanus de Rospra. Johannes iudex Curie. Dobeslaus Thesaurarius Cracouiensis. Domicianus thesaurarius noster. et alij quam plures. Et ut hec in concussa permaneant sigillum nostrum huic scripto Duximus appendendum. Datum Anno uerbi inCarnati. M°. CC°. XL°. III°. mense augusto. in die sanctorum Ozwaldi et Dominicj.

XXIII.

In colloquio Chroberiensi, die 2 exeunte majo (?) 1244 anno.

Boleslaus Pudicus Cracoviae et Sandomiriae dux, donationes villarum ab avo Henrico et patre Lescone fratribus hospitalis Beati Joannis Baptistae de *Zagost* collatas, authoritate sua confirmat (¹).

In nomine Sanctae et Indiuiduae Trinitatis Amen (²). Quoniam saepe facta absorbet obliuio, propter instabilitatem humanae naturae, quia (³) generatio praeterit, et generatio aduenit. Et ideo ego (⁴)

(¹) Doctissimus Antonius Muczkowski descripsit privilegium hoc ex transumpto Sigismundi III. Regis, asservato in Tabulario publico Regni Poloniae (Księgi Metryczne, vol. 177, fol. 305—307: „Cui supplicationi nos benigne annuentes", dixit rex in confirmatione sua, „praeinsertas literas ad Acta Cancellariae nostrae suscipi et inscribi, atque ex ijsdem extradi mandauimus. In cujus etc. Actum et datum Varsaviae XXII Mensis Martij Anno Domini MDCXXIX (1629)". Sed postea Muczkowski nactus est archetypon ipsum in Bibliotheca Nieboroviensi Principum Radziviliorum asservatum, quod et nos in manibus habuimus. Edimus igitur archetypon, variantes lectiones vero a doctiss. Muczkovscio ex transumpto anni 1629 descriptas in notis citamus (sub sig. M.). Adest et aliud archetypon etiam Nieboroviensis Bibliothecae proprium, cum variantibus lectionibus, quas etiam citamus (sub signo N.). De villis in privilegio memoratis jam supra diximus.

(²) *M. N.* In nomine Domini Amen. (³) *N.* quae. (⁴) *M. N.* nos Boleslaus Dei gratia Dux Cracouiae et Sandomiriae.

diuina miseratione Dux Boleslaus Cracouiae et Sendomiriae, una cum carissima Matre mea ([5]), Domina Grimislaua, Notum facimus, tam praesentibus, quam futuris, quod ([6]) nobis in *Chrober*, cum Domino Fulcone Gnezdnensi ([7]) Archi Episcopo et Domino Prandota Cracouiensi Episcopo, et baronibus nostris colloquium celebrantibus, fratres Hospitalis Beati ([8]) Joannis Baptistae de *Zagost* accesserunt ad nos rogantes, ut priuilegia eorum, quae per Auum meum ([9]) bonae memoriae ([10]) Ducem Henricum et Patrem meum ([11]) Ducem Lestconem ad libertatem dictae Ecclesiae, et villis eidem attinentibus collata fuerunt, scripto nostro ([12]) innouaremus, donationi praedecessorum assentientes. Quorum justis petitionibus acquiescentes, praesentem paginam construi praecepimus, libertatem dictam perpetuo confirmantes ([13]). Quia dignum est, ut omnis Ecclesia semel sibi reddito ([14]) priuilegio libertatis, sine aliqua molestia ([15]) debet ([16]) (sic) gaudere perpetuo. Nomina autem villarum, quae plena libertate sunt declaratae ([17]), haec sunt: praenominata *Zagost*, in qua ipsa Domus fratrum est sitta ([18]). Alia *Janina*, tertia *Vloschoua* ([19]). quarta *Janusouici* ([20]) et omnes aliae, quae in senibus (sic) priuilegijs scriptae continentur. Modus enim libertatis hic est, ut homines in dictis villis sedentes *Pouoz* ([21]) non ducant. neque *strozis* ([22]) (sic) soluant, neque post boues soluant, neque hospitem, neque falconarios, neque Canum ductores, neque venatores castrorum ([23]) pascant, neque Castro vel alicui ([24]) aliorum judiciorum ([25]) subditi sint, praeter ipsos ([26]) Dominos (sic!), nec citati respondeant coram aliquo, nec ad aedificia castrorum, neque ([27]) ad expeditionem vadant, sed solummodo suis Dominis sint subditi, ut autem in priuilegijs antiquis est, ab omni jurisdictione polonicali ([28]) praefati homines, liberi maneant ([29]). Ut autem

([5]) *M. N.* nostra. ([6]) *M. N.* quia. ([7]) *M.* Gneznensi—*N.* Gnesnensi. ([8]) *N.* B. (non „Beati"). ([9]) *M. N.* nostrum. ([10]) *N.* bona memoria (sic). ([11]) *M. N.* nostrum. ([12]) *M. N. nostro* deest. ([13]) *N.* confirmando. ([14]) *M. N.* collato. ([15]) *M. N.* violentia. ([16]) *M. N.* debeat perpetuo gaudere. ([17]) *N.* declarata. ([18]) *N.* sita. ([19]) *N.* Vloschowa. ([20]) *N.* Janusowici. ([21]) *N.* Powoz. ([22]) *M. N.* strozam (ap. *N.* Strosam) soluant, neque Poradne soluant, neque hospitem. ([23]) castorum. ([24]) Ap. *M. alicui* deest. ([25]) *M. N.* judicio. ([26]) *M. N.* proprios Dominos, neque octo mensuras auenae soluant, quam Castro de Chechou (ap. *N.* Chochow) omni anno soluere tenebantur, neque cotati respondeant etc. ([27]) *M.* nec. ([28]) *N.* Polonicali. ([29]) *M. N.* permaneant.

hanc libertatem nullus ultra audeat violare, sigilli nostri munimine roborauimus, omnibus perpetuo obseruandam. Si quis autem ([30]) eam violare praesumpserit, ultioni diuinae committimus puniendum. Testes hujus rei, Archi Episcopus ([31]) Fulco, Episcopus Prandota, Theodricus Cancellarius, Clemens Palatinus Cracouien. ([32]) Florianus ([33]) Sandomirien. Nicolaus ([34]) Palatinus de Sierac ([35]), Prebislaus Laurentius ([36]) Ceuic ([37]), Gerardus Abbas ([38]) de *Clara tumba*, et alij quam plures qui ibidem fuerunt ([39]). Datum in Chrober ([40]) Anno Domini M. CC. XL. IIII. (Millesimo ducentesimo quadragesimo quarto 1244) die secundo exeunte Majo.

([30]) Ap. *M.* et *N.* *autem* deest. ([31]) *N.* Archiepiscopus. ([32]) *N.* Cracoviensis. ([33]) Add. ap. *M.* et *N.* Palatinus. ([34]) *M.* *N.* Suentozlaus. ([35]) *M.* de Syraz—*N.* de Sieraz. ([36]) *M.* Prebislaus Laurencowych. *N.* Praebislaus Laurencouich. ([37]) *M.* *N.* *Cevic* deest. ([38]) *M.* *N.* *abbas* deest. ([39]) *M.* *N.* Affuerunt. ([40]) *Chroberz* oppidum hodie territorii Miechoviensis, regionis vero Szkalbmiriensis.

XXIV.

In colloquio Chroberiensi—die 5 julii 1244 anno ([1]).

Sulislaus filius Joannis canonicus cracoviensis, venditionem villae *Szczyrzyc* **ab Andrea Patruo Episcopo Masoviense comiti Teodero palatino cracoviensi, confirmat** ([2]).

Villae Czyrzyc pro Centum Marcis emptio 1244.

In Nomine Sancte et Individue Trinitatis Amen. Ut omnis humane opinionis penitus error in rebus presentis submoveatur varietatis, Ego Sulizlauus Johannis filius, Canonicus ecclesie Cracoviensis, notum facio presentibus et futuris fidelibus, quod patris mei et patrui

([1]) Dies septima julii apud Romanos fuit *nonis julii;* itaque *pridie nonas julii* apud nos dies sexta; hanc diem sequitur apud Romanos *tertio nonas julii*, quae apud nos est quinta mensis. Quid igitur significat privilegii nostri: *secundo nonas julii?* Hanc ob causam per conjecturam tantum diem quintam huc posuimus.
([2]) E fasciculo copiarum quas in suo archeologico per Galliciam itinere ex variis monasteriorum tabulariis descripsit doctiss. Josephus Łepkowski.

mei domini Andree tunc Scolastici Cracoviensis, postea episcopi Mazoviensis, vendicionem, quam cum Comite Theodoro, tunc palatino Cracoviensi, de villa que *Cyrich* (3) nominatur, cum omnibus eius apendicijs integraliter fecerunt, gratam et ratam habens presenti scripto confirmo. Que villa quia pro Centum Marcis argenti est vendita, quibus mee necessitati, per patruum meum iam nominatum, cum essem Padue in studio, est subventum; et maiori hac racione et pietatis opere, quoniam in proprietatem monasterij in honorem beate virginis Marie transunt (sic), quod nominatus comes Theodorus fundavit, ita non solum vendicionis, verum etiam donacionis titulo, libera et quieta, iure hereditario in perpetuum permaneat. Ut nullus cognatorum meorum aliquem respectum ad ipsam habeat, hanc formam vendicionis et mee tolalem voluntatem (sic) consensionis, presencia ducis Bolezlaui filii Lesteonis Sudomiriensis (sic) et Cracoviensis principis corroboravi; viva voce protestatus, et testibus presentibus sigilloque autenticis communiens; Scripta igitur nomina sunt, qui presentes affuerunt: Dux Bolezlauus filius Lestconis cum matre sua domina Grimelli (4), Fulco Archiepiscopus Gneznensis, Prudota (sic) Cracovien. Episcopus, Clemens palatinus Crac., Florianus palatinus Sudom., Michael Castellanus Cracov., Sudo Castellanus Wisliciensis, Stephanus filius Andree de Cehow Castellanus, Pribizlaus filius Laurencii, Sulco filius Clementis, Clemens cum fratre eius filii Marconis, Sbigneu filius Egidij, Selizlaus de *Grog.* (sic) et Magister Theodricus, ducis Bolezlaui Cancellarius Crac. Acta sunt hec anno domini Millesimo ducentesimo quadragesimo quarto, in Colloquio habito in Hrober. (5) II Nonas Julii, Indictione II.

(3) *Szczyrzyc*, apud Starowolscium (Vitae episcoporum Crac.) *Maria vallis*, oppidum in Gallicia, jam supra memoratum. De monasterio Szczyrzycensi fusius in suo opere, seu potius in fragmentis ex opere (Ułamek z podróży archeologicznéj) editis, ipse Łebkowski scripsit (conf. Bibl. Warsz. 1850. T. III, pag. 204—216).

(4) Olim uxor, vidua Lesconis dicti Albi, Grimislava.

(5) Chroberz oppidum hodie in Regno Poloniae, regionis Szkalbmiriensis. (vide superius privilegium ejusdem 1244-ti anni).

XXIV.

Chroberz—die 16 maji 1245.

Boleslaus Cracoviae et Sandomiriae dux, sententiam suam in controversia inter abbatem Andrejoviensem et castellanum Cracoviensem Michaelem, de libertatibus monasterii Andrejoviensis, dicit (¹).

In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Quoniam facta humana quantumcumque memorabilia facile labuntur ex hominum memoria. nisi literarum officio posterorum noticie fuerint conservata. Nos Sigismundus dei gratia Rex Polonie etc. nec non terrarum etc. Significamus tenore presencium etc. Quia Venerabilis Albertus de Clodawa Abbas Monasterij Andrzeowiensis. exhibitis coram nobis literis infrascriptis in pelle pecorina conscriptis Illustris olim Boleslaj Ducis Cracoviensis et Sandomiriensis libertatem a prestacione seu solucione boum nec non a stroza. a powos. a bellicis expedicionibus. ac ab extruendis arcibus seu castris concessam in se continentibus. supplicavit eas propter vetustatem ipsarum innovari. auctoritateque nostra Regia per nos confirmarj. Quarum quidem literarum tenor est talis.

In nomine domini nostri Jesu Christi amen. Cum esset controversia coram nobis Boleslao dei gracia duce Cracoviensi et Sandomiriensi et Venerabili matre nostra Grimislawa nec non (?) colloquio nostro in *Pijassech* (²) celebrato inter abbatem de *Andrzeow* nomine monasterij sui ex una parte. et comitem Michaelem Castellanum Cracoviensem ex altera nomine Castellanie eiusdem super libertatibus functionum prestacionem (?) (³) vel munerum inferius annotatis. dicente eodem abbate se habere privilegia ducum Kazimirz scilicet et Leschkonis super hijsdem libertatibus. idem comes

(¹) Hoc transumptum Sigismundi regis confirmationis literarum monasterii Andrzejoviensis, ex actis publicis Tabularii Regni descripsit doctissimus Muczkowski (Metryka Vol. 48, fol. 953).

(²) Colloquium in *Pijassech*, fortasse *Piasek*. Ejusdem nominis tres villae sunt in territorio Opocznensi, alia vero in territorio Ilcussiensi spectat ad parochiam villae *Potok*.

(³) Fortasse debet esse *prestacionum?*

pecijt sibi privilegia a predicto abbate exhiberj. cumque sibi exhibita fuissent. in colloquio habito in *Cracovia* dixit ea esse falsa. et hoc probare se velle. cumque postmodum in mora longa essent (?) probandj. nec ab infestacione dicti Monasterij et eius hominum medio tempore cessaret. nos qui iniuste oppressis nostre dominacioni subiectis et precipue viris Relligiosis quos ampliorj gracia et favore merito complectimur in sua justicia deesse non debemus. nec volumus ex officio nostro, eadem privilegia fecimus diligenter examinarj. quibus examinatis invenimus ea non cancellata. nec abolita nec in aliqua parte sui viciata. attento eo quia maxima racio est. que pro relligione facit talem pro Monasterio Andrzeouiensi super hisdem privilegijs ferimus sentenciam. ut monasterium de *Andrzeow* cum omnibus villis suis. et incolis earundem. liberis sive seruis. plenaria gaudeant libertate. ut neque *strosam.* neque *powos.* neque solucionem boum solvere teneantur. nec ad aliquod castrum construendum ab aliquibus constringantur. nec alicui intersint expedicioni nec ab aliquo iudicentur. tantum coram nobis per literas cum sigillo nostro cittatj de se querelantibus (sic) teneantur respondere. et hanc nostram sentenciam sic ratam et firmam manere volumus. ut sepefata privilegia de cetero necesse non habeant exhiberj. Testes vero qui presentes fuerunt in prolacione huius sentencie sunt isti. Fulco Archiepiscopus Gnesnensis. Prandota Episcopus Cracoviensis. Clemens palatinus Cracoviensis. Michael Castellanus Cracoviensis. Sando palatinus Sandomiriensis. Stephanus Castellanus Sandomiriensis. Abraam Castellanus Visliciensis. Joannes Castellanus de *Chelco* (Chechov?) (4). Adam pincerna Sandomiriensis. Thomas Thezaurarius Cracoviensis. Nicolaus palatinus de Siraise (5). Petrus cantor (?) (venator?) (6) Sandomiriensis.

(4) Fortasse Castellanus de Czechow (oppidum hodie territorii Stobnicensis), nam Joannem Castellanum Czechoviensem eodem fere tempore sub a. 1252 ap. Michaelem Wisznievscium (l. c, Hist. lit. pols. T. II, in privilegiis), postea ap. Gładyszevicium (Żywot Prandoty), denique in opere: „Pamiętnik religijno moralny T. IV, pag. 229" et in nostro Codice, legimus. Ante Joannem ap. Gładysz. anno 1243, castellanus czechoviensis legitur Stephanus.

(5) Haud dubio „de Siradia", Sieradz.

(6) *Cantor*, mala lectio Muczkovscii, nam Otto de Zdyszowice (villa territorii Opocznensis, regionis vero Konscensis, ad oppidum Żarnow sita), uti scimus ex actis authen-

Voiscelaus Agazo Sandomiriensis. Gecceca. Virbenta. Przibislaus nutritor (?) ducis. et plures alij. Et ne super premissis aliqua valeat in posterum oriri dubietas presentem cartam duximus sigilli nostri munimine et sigillorum personarum superscriptarum in testimonium roborandam. Acta sunt hec. anno ab incarnacione dominj. Millesimo. ducentesimo. quadragesimo quinto (1245) Datum in *Crober* mense Maijo decimo septimo kalendas Junij. indicione tercia (7).

Nos itaque Sigismundus Rex prefatus. Supplicacioni prefati Venerabilis Alberti Abbatis tanquam juste benigne annuentes. considerantesque literas preinsertas esse. salvas. illesas. non viciatas et omni prorsus suspicionis nota carentes eas innovari fecimus. auctoritateque nostra Regia in omnibus illarum punctis. clausulis et articulis approbavimus. ratificavimus. et confirmavimus. approbamusque ratificamus et confirmamus presentibus decernentes easdem literas nec non omnia et singula in illis contenta. in quorum usu et possessione continuata idem Abbas et predecessores sui Abbates. semper fuerunt. robur debite perpetueque firmitatis debere obtinere. In cuius rei testimonium Sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum Cracovie sabbato ante festum Sanctissime Trinitatis proximo. Anno domini Millesimo quingentesimo trigesimo tercio (1533). Regni nostri anno vigesimo septimo. Presentibus quibus supra.

ticis, quae collegimus in nostro archeologico itinere, primus fuit temporibus Vladislai Jagellonis fundator praelaturae Sandomiriensis ecclesiae, quam cantoriam appellavit.

(7) *Jędrzejów*, Andrejovia monasterium Cisterciensis ordinis, urbs in Regno Poloniae, territorii hodie Kielcensis, regionis suae nominis caput. *Chroberz* vide supra.

XXV.

Koreczynii—die Annuntiationis Beatae Virginis Mariae, 1247 anno.

Boleslaus Pudicus Cracoviae et Sandomiriae dux villam *Krzyżanowice* iure theutonico regi jubet et a variis angariis immunem reddit (¹).

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Amen. Quoniam longi tractus temporum pariunt antiquitatem antiquitas obliuionem obliuio vero rerum actarum exinanitionem Eapropter necesse est ut res digna memorie scripto debeat commendari quo canescens antiquitas crebrius valeat renouari. Nos quoque dux Bolezlaws dei gratia Cracouie et Zandomirie cum dilecta matre nostra Grimizlaua notum facimus omnibus tam presentibus quam futuris presens scriptum inspecturis quod animarum mature saluti nostrarum prouidentes et totius nostre posteritatis concedimus domino Symoni preposito de *Crizanouiz* (²) premonstratensis ordinis et suis omnibus successoribus et dominabus ibidem degentibus et domino famulantibus locare uillam forensem iure theuthonico ut sub eo hospites ibidem manentes regantur iure noui fori diocesis Wratizlauiensis et facimus liberam villam prefatam ab omnibus exactionibus uidelicet a *ztrosa* a *pouoz.* a *ztan.* a *poduodj.* a *povolove* a *targove* et ubicunque per fora nostre terre transiuerint non soluant thelonea. non teneantur ad edificationem castri. non ad expeditiones non ad (³) ..... non recipiant caniductores. non falconarios. non aliquos uiolentos exactores. Nulli preterea teneantur respondere. nec inuitati comparere. nisi coram suo preposito. iudicare coram ipso sculteto suo iure. siue in magnis. siue in paruis causis. siue uidelicet ad suspendendum siue decolandum. siue rotandum. Et presens scriptum ut robur firmitatis obtineat sigilli nostri curauimus mu-

(¹) Ex archetypo in tabulario olim ecclesiae Cisterciensis ordinis Vitoviensis asservato. Archetypon hoc communicavit nobiscum unus adolescentium magnae spei, qui illustrandis rebus gestis patriae sedulam operam-dat, Vladislaus Wieczorkowski.

(²) *Krzyżanowice*, villa parochialis ad Nidam fluvium sita, Stobnicensis territorii regionisque.

(³) Verbum quod nullo modo perlegere possumus.

nimine roborari. Quicunque hoc factum nostrum irritauerit indignationem omnipotentis dei se nouerit incursurum. Datum anno gratie MCCXLVII in die annuntiationis beate Marie in corchin ([4]).

([4]) *Korczyn* vel *Nowe miasto* oppidum Stobnicensis territorii et regionis.

XXVI.

Lugduni—18 Februarii 1249.

Innocentius papa quartus privilegium fratribus monasterii *Miechoviensis* confert ([1]).

Innocencius episcopus seruus seruorum dei dilectis filiis. preposito, canonicis et fratribus dominici sepulchri de *mechouia* ([2]) et de *Glogouica* ([3]) salutem et apostolicam benediccionem. Licet pro deuocione quam ad ecclesiam romanam habetis subuencionem ad quam auctoritate nostra dilectus filius frater Gottifredus penitenciarum (?)..... tibus ([4]) vestris eidem faciendam ecclesie, sedis apostolice ac .... ([5]) sancte nomine requisiuit tanquam deuoti filii necessitate.. ([6]) sedis ac..... ([7]) pfate propensius attendentes liberaliter duxistis impendendam. quia (?) tamen fratres ordinis sancti sepulchri pari cum milicie (?) templi et hospitalis jerosolimitani fratribus in hac parte debent libertate gaudere cum prouentus vestros ad terram sanctam sicut illi teneamini destinare, auctoritate vobis presencium indulgemus ut pretextu subuencionis prefate quam sic ex deuocione fecistis nullum vobis et successoribus vestris in posterum preiudicium gignetur (?). Nulli vero omnium hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare

([1]) Ex transumpto quod benevolus lector ad an. 1302. legere potest illustrissimi Leonis Rzyszczewscii proprio. Multae rimae chartam hanc nostram laedentes, multa verba legere impediverunt. Annum designamus 1249, nam Innocentius papa die 24 Junii 1243. electus, ab hac die 1248. Pontificatus sui annum sextum incipit.

([2]) *Miechovia* urbs sui territorii caput, 5. milliariis a Cracovia distans.

([3]). *Glogowica* nulla est; in regione Miechoviensi hodie villam Głogowiany invenimus.

([4]) Rima. ([5]) Rima. ([6]) Rima. ([7]) Rima.

presumpserit indignacionem omnipotentis dei et beatorum petri et pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum lugduni XIII Kalendas Marcij. Pontificatus nostri anno sexto.

XXVII.

Klobiae, 1250 anno.

Casimirus Lanciciae et Cujaviae dux, litem de fluvio *Luciąža* **inter** *Sulejoviensem* **et** *Vitoviensem* **abbates dirimit** (1).

In nomine Domini Amen. Que geruntur jn tenpore (sic) simul cum labenti labuntur tenpore (sic) nisi testimonialis littere memoria roborentur. Nos igitur Kazimirus dej gratia dux lanchicie ac cujauie notum facimus vniuersis tam presentibus quam futuris. quod cum venerabiles virj. videlicet dominus abbas de *vitouja* ex vna parte. et abbas de *Suleou* ex altera. pro littoribus fluuij qui vulgariter dicitur *luthasa.* coram nobis judicio decertarent dictus dominus abbas de *vitouja* legitimis causis. et attestationibus veridicis conprobaujt. quod a ponte usque in *preglouu* (2) jn vtroque littore et eciam jn *Chopriunicha* jn molendinis construendis et piscationibus (3) nec non et in castoribus capiendis de *preglouu* autem usque in plilcam (sic) jn piscationibus et jn castoribus et jn utroque littore omnem haberet dicti fluvji jurisdictionem. hoc eciam addlto quod dominus abbas de *Suleou* jn vtroque littore per vnum juger a fluuio. in pratis. lignis. et haratura (sic) nullam ualeat habere ulterius utilitatem. Et quia volujmus quod factum hoc jnuiolabiliter in posterum obseruaretur presentem paginam jn huius rei testimonjum sigilli nostrj munimine fecimus roborarj. hu-

(1) Ex archetypo membranaceo monasterii Vitoviensis proprio, quod a Vladislao Wieczorkowscio habueramus, descriptum. Filis pergameneis erat olim appensum ex cera sigillum, cujus hodie tantum reliquiae sunt.

(2) *Preglou* hodie *Przyglow* villa territorii et regionis Petricoviensis, parochiae vero Sulejoviensis.

(3) In archetypo cum abbreviatione: „in piscatoib" leguntur, talem etiam abbreviationem et infra legimus.

ius autem facti testes sunt. Budjzlaus filius Stasconis (?). Jacobus subcamerarius. Vitus subjudex. Thomas subdapifer. Sbilutus subdapifer. Johannes subpincerna Suentozlaus Cristinus subcamerarius. Pribislaus subagazo. et mauricius subcancellarius. Actum in *cloba.* (4) Anno domini M. CC. quinquagesimo.

(4) *Klobia* villa hodie territorii Vladislaviensis (Włocławek), regionis Brzescensis, suae parochiae caput.

XXVIII.

Sandomiriae – die 23 Februarii 1254.

Boleslaus Pudicus privilegia monasterio Staniątcensi a Conrado duce collatas innovat et multas alias donationes confert (1).

In nomine patris et filij et spiritus sancti Amen. Quoniam ut ait sapiens. non est priorum memoria. sed nec eorum quidem qui postea futura sunt. erit recordatio apud eos qui futurj sunt in nouissimo. necesse est ut gesta cum tempore labentia per scripture testimonia posterorum memorie commendentur. Eapropter nos bolezlaus dej gratia dux cracouie et sandomirje filjus lestchonis ducis clare memorie presentj scripto presentibus et futuris duximus declarandum. quod dominus conradus quondam dux cracouie sanctimonialibus de *stanetek* ordinis sanctj benedictj dyocesis cracouiensis donauit intuitu pietatatis (sic) alueum salis cum stilla de caldario in ignem distillante wlgariter pecina dicta apud *magnum salem.* Item ausoria et glebas salis a uulgo grudas uocatas. que agazoni ducis cracouie pertinebant. jtem mensuram salis in *bochna* octaua die semper recipiendam. et perpetuo possidendam. que actenus spectabat cracouie castellano. jtem in uilla *lopanka* que erat propria cenobij de *stanetek.* salem in perpetuum pos-

(1) Ex archetypo membranaceo monasterii Staniątcensis proprio descripsit doctiss. Sławiński: funiculis sericis rubri coloris appensum cereum sigillum non parvum et non magnum, repraesentat figuram usque ad genua hominis stantis solemni ornatu, tenentis dextra longam hastam, cujus manus vero sinistra innixa scuto triangulari, in quo effigies aquilae uniuscapitis. E literis in ambitu nonnisi reliquiae verborum..... „slai dei gra ducis cracovie..... omirie”, leguntur.

sidendum. Ad hec cupiens amplius utilitatj monialium predictarum prouidere. donauit eis seruos glebe. uidelicet latkonem et filium suum bogdassium cum fratre suo et filio fratris. et fundum cuj addictj erant nomine *gostiradicij*. jtem. pedonem et filium suum pardussonem cum golassio filio fratris et gostcone fratre suo originarios in uilla que dicitur *machocicj* cum eadem uilla. qui ad tribunatum cracouie pertinebant. jtem jacobum cum filijs et fratrem ejus. ac predium cujus colonj erant djuoticj nuncupatum. qui erant cracouiensi agazonj obnoxij seruitute. jtem nicolaum fabrum spectantem ad dapiferum cracoujensem cum gleba cujus seruus erat lutouicj nominata. et cum sorte ad beneficium ungarj dictum pertinente. jtem sortem in *ostrov* camerarijs ducis spectantem. jtem sortem in *zator* seruj glebe pertinentis ad cracouie palatinum. jtem sortem in *cargov* seruj glebe qui uocatus est uuencezlaus (sic) cognomine broda. cum eodem seruo. jtem terram in *lubesi* (Libiąż?) habentem mellificjum per uirbutam (Wierzbięta) prepositum de *stanetek* petitam. et in *zarech* (²). Has siquidem omnes uillas et usus earum cum colonis terris eisdem addictis, donauit prefatis monjalibus iure hereditario possidendas. Memoratos tamen seruos cum liberis suis uirbuta prepositus iam dictus, et originarios de predio *dubniz* (³) in ripa wizle sito ab oppositis cracouie, bartossonem. raschonem. razlaum. et uthechonem cum liberis et cognatione eorum. ac omnes taliter donatos manumjsit. preterea commutauit uillam hominum censitorum *tropissev* dictam in castellanie (sic) cracouie positam ante dictis monialibus, quia est eisdem in uicino, pro uilla ipsarum *siche* dicta, et separauit predictos censitos qui dicuntur conare a sua gleba prefata, fretus auctoritate sua et consuetudine prescripta, transferens in uillam permutatam *siche* eosdem seruos glebe ibidem perpetuo permansuros. jtem zelasonem ac patrem suum razlaum cum sua cognatione, qui spectabant ad beneficium cracouie. latine uarium centum, wlgariter pstre sto dictum. de gleba sua nomine *cargov*, ce-

(²) *Zarzecze wielkie i male*, villae ducatus Osviecimiensis, septentrionem versus a Calvaria (Kalwarja Zebrzydowska).

(³) *Dębniki*, villa regionis Szczyrzycensis, parochiae vero ad s. Jacobum in suburbio cracoviensi, Podgórze dicto, spectantis.

nobio prehabito per commutationem tradita, transtulit in uillam nomine *posilow*. datam ab eodem cenobio uice *cargov*. Item bogumilum et vognonem filium suum cum sua cognatione. qui erant ascripti glebe in uilla *machocice*, pertinentes in *begch* (4). sita ex una parte riuulj *sklec* dictj, transtulit in uillam cenobij prenominatj similiter *machocice* dictam ex altera parte positam riuulj supradictj. et glebas seruorum predictorum dedit pro permutatione cenobio ejdem iure perpetuo duraturas. Suprascriptas igitur donationes salis et seruorum cum suis usibus omnibus et permutationes nostrj patruj sepe dictj pro cultu diujno et beate Marie uirginis genitricis dominj nostrj Jesu Christj et sanctorum ejus ampliando, ac pro remedio nostrorum peccatorum; secundum instantiam dilectissime matris nostre domine GRjmizlae ducisse illustris; suprascriptis monialibus in perpetuum confirmamus. Insuper confirmamus permutaciones et donationes infra scriptas. In primis permutationem duarum sorcium de uilla *cargov* uocata. pertinentium ad beneficjum cracouie ungarj (5) dictum. factam ab ipsa matre nostra claustro sepe fato pro predio nomine *mislaucicj* (6). Item commutationem ab eadem matre nostra celebratam de predio *viscouice* pre (?) foribus ejusdem claustrj sito. quod spectabat cracouie castellano, pro uilla ipsjus claustrj *sborov* (7) dicta. empta a fratribus pomnanj abbatis plocensis. Item donationem duarum sorcium in *nesohowic* (8) factam per wladizlaum olim ducem cracouie. Item donationem uel traditionem tocjus porcionis salis de *bochna* obtentj a pomnano preposito claustri de *stanetek;* nunc abbate plocensj. quam fecit idem. P. (Pomnanus) monialibus ante dictis. ponens prepositum earum in corporalj possessione salis ipsius sub testimonio uenerabilis in Christo patris prandote episcopi cracouiensis et assessorum ejus, iure injolabilj

(4) Vide supra privilegium ad a. 1243. Castellanus de *Bejsce* fortasse de *Biecz?*

(5) In ipsa regione cracoviensi villa est *Węgrzce* non procul ab oppido *Promnik*, fortasse villa haec in nostro privilegio *ungari* dicitur? Itaque villa *Kargow*, quae huc memoratur, non erit villa territorii Stobnicensis, regionis Szydłoviensis. (in opere: „Tabela miast i wsi 1827).

(6) *Mysławczyce*, villa regionis Proszovicensis, parochiae Koscielecensis.

(7) *Zborow*, regionis Szczyrzycensis, par. Biskupice in Gallicia.

(8) *Nieszkowice*, villa reg. Czechoviensis parochiae Chelmensis in Gallicia ad dextram Rabae ripam.

confirmamus. Retinuit tamen, ipse abbas usumfructum duarum parcium, tercie partis usum ejsdem tribuens in presentj. Item donationem sortis de *bolechouic* ([9]) seruj glebe, spectantis ad cracouie castellanum, factam a nostro patruo predicto Janconj patrono claustrj antefatj, et donatam ipsj claustro, ratam censentes confirmamus. Que sors uacabat tunc, colono ejus ad terras exteras fugiente. Item alteram sortem seruj ejusdem conditionis ibidem donaujmus cum matre nostra, monasterio sepefato. Dedimus nichilominus unum caldarium quod a uulgo *chran* nominatur. cum *pecina*. in *bochna* claustro de *stanetek*, constituentes ut singulis diebus de fonto nostro liquidi salis in *bochna* septem tine (sic) ad prefatum caldarium perpetuo conferantur. Item prouidentes conscjentijs ipsarum monjalium leuigandis quo securius? ([10]) (facilius?) puras orationes pro nostra salute ac nostre matris dilectissime nec non et cunegundis nostre coniugis ualeant leuare ad deum, sortem de *zacrew* seruj spectantis ad cracouie castellanum, quam janco prefatus clam occupauit, jtem terras per clementem princjpalem patronum et fundatorem claustrj de *stanetek* optentas (sic) uj aut clam in *smirducha* et in *belanj* ([11]). Item terram in *grusev* a uirbuta ui aut clam occupatam, et pemutatam (sic) michaelj preduogij pro terra adiacente predio *premuchan* nominato, jtem quicquid de terris et iurjbus ac de usibus terrarum ad ducis ius pertinentium per uirbetam uj aut clam est usurpatum in predijs prenotatis. ujdelicet *ostrow. cargov. lutouici climentow* dictum ([12]). *gostiradicj. Machocicj. zacreu. zator*. et in alijs predijs monasterij de *stanetek*, ujcium rej per uim aut clam possesse purgantes, donamus in perpetuum monialibus monasterij suprascriptj. Ad hec confirmamus omnia predia collata ejsdem monialibus per clementem quondam castellanum cracouie fundatorem monasterij ejusdem. et per fratres ejus dominum andream episcopum plocensem

([9]) *Bolechowice* villa reg. Cracoviensis, suae parochiae caput.

([10]) Ita legimus abbreviationem: q° scius.

([11]) Fortasse villa *Smierdząca* regionis Cracoviensis, par. ad Liszki spectantis, non procul a monasterio Camalduliensi in villa *Bielany*, ad ripam Vistulae, uno tantum milliario a Cracovia distantis.

([12]) Clarum est igitur, villam antiquam *lutouici* postea *climentow* dictam esse; privilegium sequens novum ejusdem conjecturae dat testimonium.

bone memorie. ac Janconem tunc castellanum de *Ruda*. et zulizlaum filium suum. cum iuribus et usibus suis. jd est mellificijs. Molendinis. piscarijs. pratis. pascuis. tabernis. frutectis (sic). quercetis. et alijs siluulis et siluis. nec non et alijs reditibus. iure perpetuo possidenda. Quorum nomina sunt hec. *stanetek*. quod prenominatus monasterij fundator contractu permutationis a fratre suo. A(Andrea). episcopo jam dicto acquisiuit. in quo idem monasterium est constructum. et uille ipsj *stenetek* (sic) pertinentes in ejsdem terminis constitute. cum uinea et cum portu *uirbete* ([13]) nuncupatum (sic); super fluujum wandalum. a uulgo Wisla nominatum. et cum una ripa fluuij nominatj. *Podluse* (Podłęże). *luschouicj*. *bresnjcha*. cum castoribus a domino. a(andrea). episcopo prescripto inmissis. *visniche*. *lopanka*. apud *dolusich* (Dołużyce) de terra ad duo aratra mediocra cum luco (lacu?) magno. *zacreuw* et alterum *zacrew*. *zabawa*. *negardow*. *chechi* ([14]). *gnatouicj*. *ostrów*. *Machocicj*. *luthouicj*. dictum *climentow*. *premuchane*. in quibus duobus predijs proximo dictis relicta clementis fundatoris monasterij sepe fatj retinuit usumfructum. *blogochice* ([15]). *zator* cum castoribus ex una ripa *scaue*. Apud *dubnic* area partim pro debito insolutum (sic) a leonardo razlaj accepta, partim a fratre ipsjus empta. et alia area cum edificijs duarum familiarum habentibus inquilinos. et terra ad unum bouem sufficiens cum lacu prope *pichouic* ([16]) quondam spectantes ad beneficium wratizlauie wlgariter naroch dictum. In *olesnicka* ([17]) prope *belanj* de terra ad duo aratra plugones a uulgo dicta. optenta (sic) per sentencjam apud nostrum tribunal. *Ludinj* ([18]) cum castoribus et uenatione ac mellificio. et alueus salis ad magnum salem hereditarjus latine. dedische wlgariter nominatus cum pecina. et cum alia obuentione salis que slobj (żłoby?) wlgariter nominatur. Quod predium nouissime predictum cum sale proxime prefato permutauit

([13]) Aliud privilegium anni 1262 portum hunc appellat *Wirbencin preuoz*; est vero portus hic in Gallicia, non procul ab oppido *Niepolomice*.
([14]) *Czechy*, villa reg. Proszovicensis, parochiae Niegardoviensis.
([15]) *Blogocice* ejusdem regionis et parochiae villa.
([16]) *Pychowice* villa regionis Szczyrzycensis, parochiae Scalensis (Skała) in Gallicia.
([17]) *Olszenica* reg. Cracoviensis, parochiae ad villam Zwierzyniec spectantis.
([18]) Villam hanc non possumus invenire.

supradictus episcopus noster monialibus ipsis pro *lipoua* ac *babicj*. ab utraque parte predijs permutatis et reditibus iure inujolabilj retinendis. Confirmamus nichilominus uillis sepe dictj monasterij et omnibus in ejsdem habitantibus libertatem ad peticjonem dominj Kazimirj patruelis fratris nostrj ducis Lanchicie et Kuiavie illustris, a patre ipsius et patruo nostro. C(Conrado). duce suprascripto datam. ita quod nec coram palatino. nec coram castellano. nec coram eorum iudicibus debeant iudicarj. uel ad iudicium euocarj. Quod si ad tribunal eorum fuerint euocatj de facto. non teneantur per se uel per aliquem alium responsaliter comparere ad idem tribunal ad allegandum priuilegium libertatis. Item colonj et inquilinj uillarum monasterij prelibatj *strosam* minime soluere teneantur. Ceterum si quid questionis fuerit ortum contra habitatores predictarum uillarum litteris nostris sigillo nostro sigillatis. ad tribunal nostrum solummodo sunt euocandj. Confirmamus etiam libertatem ab eodem patruo nostro innouatam in forensi uilla *bresnicha* nomine, secundum ius teutonicorum, quod habetur in *sroda*. et damus libertatem uille adiacentj *bresniche*. que uocatur *visneuiche* ([19]), eandem quam habent uille iure teutonico utentes ad *srodam* pertinentes. Vt uero hec nostre (sic) donationes et confirmationes deuote maneant inconcusse. munimine nostrj sigillj presens instrumentum duximus roborandum. Acta sunt hec *sandomirje* anno natiujtatis dominj. M°. CC°. L°. IIII°. jndictione. XII. presentibus hijs testibus et rogatis. Petro Camerario ducisse. Thoma thesaurario cracouiensi. Falislao subcamerario Sandomiriensj. Slaua pincerna ducisse. Damarato subiudice cracoujensj. Kyliano subiudice sandomirjensj. Janussio. Alberto subagazone ducis. Egidio filio ade (sic) Ctanone filio johannis. Kethla. militibus. Nicolao. Walthero. Nedanech. Alexandro. Capellanis curie. VII°. kalendas Marcij.

([19]) *Wiśnicz mały* villa reg. Czechoviensis, parochiae Wisnicensis in Gallicia, non procul a Brzeźnica distans. Aliae villae jam supra in notis.

XXIX.

Cracoviae—die 10 maji 1254.

Boleslaus Dux Cracoviae et Sandomiriae, fundationem et dotationem monasterii Szczyrzycensis tam in bonis quam decimis, per Comitem Marconem Palatinum Cracov., confirmat, et novam donationem duarum villarum per Clementem et Marcum factam approbat (¹).

In nomine Christi Amen. Noverint universi praesentes et futuri, Quod coram Nobis Boleslao Dei gratia Duce Cracoviae et Sandomiriae, et serenissima matre nostra Grimislawa accedentes milites nostri Clemens et Marek, fratres uterni, filii quondam Marconis Palatini Craoviensis, donationes omnes, quas piae memoriae Comes dictus Czader, eorum patruus, quondam etiam Cracoviensis Palatinus fecit Coenobio sacro de *Strzyritz* Cisterciensium ordinis, Cracoviensis dioceseos, quod ipse fundavit et dotavit tam in possessionibus quam decimis de villis hic nominatim expressis, videlicet villa, quae dicitur *Sthiritz, Pobransthin* (²), *Abramowicze, Podolan, Pogorzane, Godusa, Criscovitze* (³), *Corduanow, Bonpaszow, Mogilany, Głowaczow, Cissow, Stiboritz* (⁴), agris quoque his: *Dunatia nigra* (⁵), *Dunatia alba* (⁶), *Rogosnik major*, et *Rogosnik minor, Lipetnicza, Norousowa, Słona, Stradoma*..... *Kasina*, que fluit de *Gnesna*, *Olchena* quae fluit de lapide.... *Wlostowa*, quae fluit.... *Moschena* una cum *Wirborowa*, *Cricna* magna, quae fluit.... fluvius *Cobula* magna, item *Przesna*, item *Raba* cum litore, item aquae, quae dicuntur *Poronin*, ambae; addentes et campos et prata sic nominatos *Długopole, Luzemer, Dambno, Ostrowitz, Wilczepole*, et insuper sal de *Rapschytza*, item mons..... nuncupatus, cujus medietas ad supradictum claustrum *Schyritz* pertinent (sic). Et sciendum, quod

(¹) Apographon hujus privilegii a doctiss. Josepho Łepkowscio habemus, cujus archetypon quale sit, nobis relatum non est. In monasterio vero Szczyrzycensi asservatur. (conf. Bibl. Warsz. 1850. T. 3, pag. 208).

(²) *Pobrenczyn.* (³) *Krzyszkowice*, conf. privilegium supra ad a. 1238. Nr. XVII jam editum. (⁴) *Sczyborzyce.* (⁵) *Czarny Dunajec,* (⁶) *Biały Dunajec.* Villae in Gallicia, olim monasterii Szczyrzycensis propriae.

in omnibus his nominatis agris, sylvis et montibus fratres praedicti Claustri *Schyritz* locare potuerint civitates, villas et alias utilitates quascunque, prout eis melius et utilius videbitur expedire. Porro nihilominus *Strzelicze*.... atque taberna de *Magno sale* ([1]), et ceteris superius dictarum rerum attinentiis et quibuscunque possessionum emolumentis et fructibus, liberaliter et devote ratas habentes confirmarunt. Praeterea praefati milites Clemens et Marek suorum progenitorum vestigiis piae devotionis effectuosissime inhaerentes, sicut veri heredes et devoti patroni, pro remedio animarum suarum successorumque progenitorum, in puram eleemosinam supradicto cenobio de *Schiritz* et fratribus ibidem Deo famulantibus ex suis propriis facultatibus duas villas, videlicet: *Droginam* cum molendino et..... *Brentzowicz* cum una sorte *Popowitz*, nomine hereditario in perpetuum possidendas conferentes, Nobis cum saepedicti cenobii domino.... Abbate et fratribus humiliter supplicaverunt, ut easdem patrui sui et eorum donationes et confirmationem, tamquam legitime et provide factam, approbaremus. Nos igitur cupientes dicti cenobii orationum vel potius totius ordinis praefati participes effici, ipsam benigno favore recipimus, et eam, quae a veris heredibus et patronis facta dignoscitur, clementer approbamus. Et ne quid coram facto ejusmodi desit, quod minus forte posset aliquibus qualitercunque videri, auctoritate nostra supplemus, volentes ut illud semper maneat inconcussum. In cujus rei memoriam perpetuam et roboris firmitatem, praesentem paginam sigilli nostri munimine duximus consignandam. Datum Cracoviae Anno Domini Millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto, mense Maijo VI Idus. Praesentibus his testibus, quorum hic nomina continentur: Michaele Castellano Crac. Nicolao Judice Cracov. Sandcone Subcamerario, Bartholomeo et Sulislao filiis Brilitonis, Ssantosio..... et aliis multis idoneis et fidedignis.

([1]) *Wieliczka*, olim Magnum Sal dicta.

XXX.

Raciensi—anno 1254.

Burhardus de Hornhusen „vicepreceptor fratrum domus Theutonicae in Prussia” tertiam partem terrae Jatwezanorum Danieli regi Ruthenorum et Semovite duci Masoviae subjugandam et jure perpetuo possidendam, confert (¹).

In nomine domini nostri (Jesu Christi) Amen. Frater Burchardus de Hornhusen vicepreceptor fratrum domus Theutonice in Pruscia [Vniuersis Christi] fidelibus presens scriptum inspecturis presentibus et futuris Salutem in domino sempiternam. Nouerit vniuersitas uestra quod nos de fra[trum nostrorum consilio et con]sensu, excellenti viro Danielj Primo Regi Ruthenorum, et Illustri Principi Szamovito Duci Mazouie et eorum liberis terciam partem [Terre Jatwezenorum] Christiano nomini subiugandam cum omni iurisdictione et iure temporali conferimus inperpetuum possidendam. Pro eo vt quotienscumque a nobis req[uirerentur contra] eandem gentem Barbaram, et quamlibet aliam, fidem christianam inpugnantem, eorum nobis personale prestent auxilium et iuuamen. Quod si ex [aliquo] casu prepediti forsitan facere non poterint, absque dolo eorum inpotentiam vel absentiam, suppleant per suorum hominum missionem, ac si eorum exhiberent presentiam personalem. Et quia discidij seminator odit concordiam hominum ut fructus concordie depereant, et odium inter homines generetur, pro concordia inperpetuum inter nos obtinenda, cum predictis Nobilibus conuenimus in hanc formam ut nobis non solum assistant contra predictas gentes christiani nominis inimicas, verum eciam contra quemlibet vel quoslibet cuiuscumque professionis et conditionis iuxta predictum

(¹) In charta pergamena archetypon cum multis abbreviationibus monasterii Staniątcensis proprium. Sigillum, quod desideratur, in filo serico rubri coloris olim suspensum erat. Descripsit per extensum doctiss. Sławiński, qui etiam verba, hic uncis interclusa, secundum chartae tenorem restituit, nam rimae legere impediverunt. In altera privilegii pagina, quaedam seculi, uti videtur, tertii decimi manus cum abbreviationibus scripsit: „Puilegiu. in quo tra Jatwezenor. dat. danieli pmo regi Rutenor. et duci mazouic mazouie p. ordie”, unde conjectura de terra Jatwezanorum.

modum impertiantur auxilium et iuuamen. et nos versauice (sic) predictis Nobilibus prestabimus auxilium et iuuamen, contra quos suum nobis iuuamen prestiterint, quousque male retenta vel violenter ablata restituerint vel amicabili compositione non satisfecerint. nec cum inuasoribus aliquo modo concordabimus nisi premissa omnia compleantur. Adicimus etiam quod si predictis Nobilibus aliqua Gw[erra imminuerit, et] si de nostris hominibus aliqui ad eos declinauerint pro Salario obsequium prestaturi, ipsos non impediemus, sed ad nos redire [non defendeamus] quousque gwerra sopita fuerit inchoata, et ab omni impetitione que contra ipsos moueri posset ratione predicte Gwerre fuerint [liberi et exempti. Qui]cumque autem predicte compactionis seu compositionis violator extiterit, omni iure prenotato priuetur. Pro hiis autem [omnibus et sin]gulis obseruandis imperpetuum presens scriptum Sigillo venerabilis Patris nostri Andree Episcopi Plocensis Ecclesie et nostro et [supradictorum Prin]cipum fecimus communiri. Datum in Rathzens (²) Anno gratie. Millesimo. Ducentesimo. Quinquagesimo quarto. Octauo, Kalendas....

(²) *Raciąż*, oppidum, olim castellani sedes, in antiquo palatinatu plocensi, hodie in regione Mlavensi situm.

XXXI.

Cracoviae—anno 1255.

Boleslaus Pudicus, Cracoviae et Sandomiriae dux, multas libertates monasterio Szczyrzycensi una cum matre Grimislava et uxore Cunegunde confert (¹).

In nomine Domini Amen. Quoniam tempus imprimit quandam infectionem rebus calumpniae, a qua res corrumpuntur; ne id, quod geritur in tempore, per corruptionem temporis ab humana memoria elabatur, et ne possit scrupulo praepediri, ullius, assolet scripto, testium et apicum testimonio perhennari. Quamquam et cuilibet secun-

(¹) Apographon a doctiss. Josepho Łepkowscio descriptum ex archetypo, quod in monasterio Szczyrzycensi asservatur. Sigillum desideratur, funiculi virides.

dum merita ipsius respondere debeamus, illorum propensius fidele servitium tenemur pensare, qui professione sanctae religionis nostris ministeriis arctius studuerint inservire; proinde noverit tam praesens aetas quam postera, quod Nos Boleslaus Dei gratia Dux illustris Cracoviae et Sandomiriae, una cum dilecta matre nostra Domina Grimislawa, ac etiam carissima nostra conjuge Domina Cunegunde filia superillustris Regis Hungarum, ducissa terrarum; eorundem nostrorum progenitorum vestigiis piae devotionis effectuosissime inhaerentes, libuit nobis super Ecclesiam et coenobium Sanctae Mariae in *Ciric* specialem habere devotionem. Volumus itaque et cupimus pro remissione nostrorum omnium peccatorum, et pro animabus nostrorum parentum, ut hoc monasterium temporibus nostris potiatur felici ac perpetuo incremento; Ideo dominum Tesselinum Abbatem de *Ciric* et omnes ejus successores et ipsius Ecclesiam in honorem Beatae Mariae Virginis constructam, in nostram et nostrorum successorum perenniter protectionem recipimus specialem; villas tum ac praedia ipsorum in nostro ducatu, et eos qui in eisdem habitabunt, sive liberi, sive servi, sive adscripticii, ab omni liberamus exactione, praestatione, factione, labore et servitute, quae singulariter de verbo ad verbum volumus enarrare: *Powoz, Strose, Poradlne, Łanowe, Stroża, Targowe, Pomocy, odprawczowe, statie, Podwoda*.... ac militale.... *rogowe, stan, wojna, gród,* a variis et omnibus; et si stationem nos habere contingat, in villis ipsorum, a statione venatorum et aucupum, a statione panificum, a statione nostrorum equorum, a statione braxatorum, ab omni *pogoń* et expeditione; excepto si pagani vel alii homines in terra nostra, volentes eam destruere, steterint. Absolvimus insuper eorum homines ubilibet constitutos ab aedificatione et reformatione castrorum, praeter solum Castrum Cracoviense. Etiam absolvimus eos ab omni theloneo nostri ducatus illarum tantummodo rerum, quae pro ipso monasterio, nomine ipsorum ad quamcunque villam eorum deducuntur. Absolvimus insuper homines ipsorum liberos et servos a judicio Castellanorum et omnium judicum forensium. Et licet haec ante annos quinque late et longe contulimus, tamen ob certitudinem majorem haec repetendo, majora addimus in fide firmiores. Demum prae-

dictos homines Cmethones Jabagones in villis eorundem, licet ipsae villae sint junctae et contiguae villis, civitatibus, castris, praediis, fortaliciis nostris, aut aliquorum nobilium villis, a laboribus vel servitiis, si quos vel quae per consuetudinem aut quocunque jure, vel praescriptione nostri praedecessores et nos habuerunt et habuimus seu habituri sunt, ac praedicti nobiles nostri habuerunt et habebunt, liberamus, absolvimus et eximimus, harum scilicet terarum; excepto Privilegio supremi dominii nostri pro nostra curia ducali, in qua nostra curia quae alias residentia...., ex villis quae sunt propinquiores, dictae nostrae curiae duos dies infra annum, singulis annis unum, scilicet tempore messi ad metendum et hinc in horreo reponendum, alium ad falcandum et in allodio ordinandum sunt adstricti; demptis villis quae sunt prope montem *Obidowa*, qui mons est monasterii.... quum hominum ibi habitantium terram nives longo tempore obsident, premunt, et frigora premunt ac detinent, ideo hos homines a labore fortalitii nostri ibi consistentis perennitus liberamus et absolvimus. Item quod Dominus Henricus Dux et fundator loci ejusdem hac libertate dictum Abbatem et successores dotavit, et quod per pias largitiones fecerunt praedecessores, dignum est, ut per successores confirmetur, ratumque et firmum temporibus perpetuis perseveret. Conferimus insuper eidem Abbati liberam et omnimodam venationem in sylvis circumjacentibus usque ad montes qui dicuntur *Tatry*, et piscationes in aquis fluviorum ibidem fluentium, quas aquas et sylvas, anno elapso, in privilegio nostrae confirmationis ad punctum consignare demandavimus. Licet autem in eodem territorio circumquaque, villae nostri ducatus et nobilium sint permixtae, tamen in sylvis et fluviis dictis eis venationes et piscationes non debent prohiberi. Insuper si aliquod metallum in territorio eodem et bonis dicti monasterii poterit reperiri, medietas ejus ad ducale dominium, Abbati medietas residua sine haesitatione semper reddetur. Postremo per has literas nostras de villis *Ciric, Pobrantin, Dobrognew, Abramowicze, Gruszowecz, Godusza, Pogorzany, Smikan, Ludmierz, Crauszow, Głogoczow, Włosan,* jam dictus Abbas et conventus de decima aliqua tenentur et decernentur respondere nemini, quoniam a veris heredibus et devotis patronis hae villae et de-

cimae per eas pervenientes, sunt liberatissime exemptae et eidem monasterio collocatae; De *Krzysłowicze* autem, *Mogilani, Stiborzice, Corduanow*, de agris duntaxat praedialiis ad jam dictum locum dignoscitur et definitur pertinere. Et hanc insuper gratiam specialem et libertatem nostrae jurisdictionis huic monasterio conferimus; si aliquo casu decimam aliquam aut partem earum de supra notatis villis ab hoc monasterio quis aliqua donatione aut consuetudine in praescriptionem juris induxerit, ab ipsa praescriptione nostra auctoritate hunc locum eximimus, et qui has abalienaverit et is qui tenuerit et non cum satisfactione restituerit, indignationem Omnipotentis Dei incurrat; quoniam justo judicio juris canonici, quo pollet ordo horum coenobitarum, nec is qui tenet juste dare potuerit, nec accipiens juste tenere poterit, et si mille annis tenuerit, ratione circumstantiarum praecedentium. Ut autem haec nostra donatio inconcussa permaneat, memoria et testimonium ejusdemque, praesentes literas nostri sigilli munimine dignum statuimus designandas. Acta sunt haec in Cracovia. Anno Domini Millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto. Praesentibus: Michaele Castellano Crac. Sandcone Succamerario, Johanne Subpincerna Crac.... Capitano d'*Osek*, et Arnoldo capitano nostro et aliis quam pluribus militibus idoneis clericis et laicis fidedignis.

XXXII.

Obrazoviae, die 4 Februarii 1256.

Boleslaus Pudicus dux Cracoviae et Sandomiriae privilegia ab avo Casimiro et patre Lescone Albo monasterio *Dlubnensi* alias *Imbramovicensi* sacrarum virginum ordinis praemonstratensis confirmat (¹).

In nomine sanctae Trinitatis, et indiuiduae unitatis patris et filij et spiritus sancti amen. Quoniam, ut ait sapiens, non est priorum me-

(¹) Ex apographo in Tabulario publico Regni Poloniae (Metryki kor. Vol. 82. fol. 646 et seqq.) doctissimus Muczkowski descripsit. Apographon vero fuit in transumpto Sigismundi Augusti, Sigismundi primi et Casimiri magni (vide infra) insertum. De *Dlubnia* vel *Imbramowice* conf. privilegium LX. Tomi I. nostri Codicis et annotationem praecipue 2.

moria, nec non eorum quidem, quae postea futura sunt, erit recordatio apud eos, qui futuri sunt in nouissimo, opere precium est gesta transitoria instrumentorum testimonio commendare. memoriae posterorum. Eapropter nos Boleslaus miseratione diuina dux Cracouiensis et Sandomiriensis, universis et singulis praesentibus et futuris duximus declarandum. Quod quia nobis legitime constitit omnes villas Monasterij de *Dlubna* ordinis Premonstratensis Cracouiensis diocesis constitute (sic) per nostros praedecessores duces Jll. Kazimirum auum nostrum et Leschkonem patrem nostrum inclytę memoriae hujusmodi libertatibus fuisse dotatas ut omnes coloni ipsarum villarum, et tam ipsius Monasterij de *Dlubna* ordinis Premonstratensis, quae amplioribus priuilegiis merentur, quam praedictorum Colonorum aratores ac mercenarij et aduenae, qui vulgariter *zalassi* vocantur a seruitute exactionis custodiae, quae *stroza* in vulgari nuncupatur, et a pensione mensurae *Srzezna*, quę vulgariter nuncupatur, perangaria quod a vulgo *Poduoda* appellatur, sunt in perpetuum absoluti, praefatas haereditates ratas habemus et acceptas, ut pote pias et honestas et in fauorem Sancti Petri Apostoli, in cujus honorem est Ecclesia fundata et consecrata, et pro remediis animarum nostrarum parentum jam dictorum, et in remissionem peccatorum nostrorum, necnon pro salute matris nostrae Grzimaslae, nec non amantissimae sororis nostrae Salomeae venerandae sponsae Christi, simulque conjugis nostrae Gunegundis Illustrium dominarum, easdemque libertatibus plenissime confirmamus jure perpetuo praefato Monasterio valituras. Et quia nemo debet. benificijs decipi, sed juuari, addicimus accedentibus ex superabundanti consensu Baronum nostrorum Adami Castellani, Nicolai Palatini Cracov. Castellanus et Palatinus idem et eorum successores, et quicunque alij beneficij praescriptas exactiones et praeangariam memoratam ac expensas et jura quod (sic) circa hujusmodi peti solent vel fieri, nullatenus in suprascriptis villis et inhabitationibus earum, ut supradictum est, valeant extorquere nomine nostro vel nomine eorundem. Sane si super hijs exactionibus et juribus commorantes (sic) homines in villis saepedictis a Castellano vel Palatino vel aliis. Judicibus quibuscunque, praeter Tribunal nostrum

fuerint in judicium evocati, nequaquam teneantur in Judicio comparere ad praescriptionem et *fere allegandam* (sic), ad hoc si ob hoc, quae suprascriptas ex actiones antedicti habitatores villarum non soluerint vel Jura circa has non reddiderint, aut Civitati in Judicio non astiterint, voluerint ipsos Castellanus vel palatinus saepefati vel alij Judices rebus aliquibus spoliare, vim vi repellendi habeant potestatem. Caeterum si majore vi fuerint spoliati, spoliatores eorum et quorum antea fuerint spoliati, teneantur eisdem habitationibus ipso jure ablata restituere, ac omne interesse. Ut autem praesens scriptum robur publici obtineat instrumenti, sigilli nostri munimine ipsum duximus roborandum. Testes vero hujus rei hij sunt, Adam Castellanus, Nicolaus supradicti, Sbigneus Palatinus, Boguslaus Castellanus Sandomiriensis, Voislaus Castellanus de Malogoscz, Subislaus Castellanus de Zawichost, dominus Lyassotha Praepositus Scarmiriensis frater de ordine minorum, Janussius ducissae Camerarius, Petrus Tribunus Visliciensis, Varaoslaus Subcancellarius, Nodencius sacerdos, Jacobus, Joannes Clerici et Capellani nostri et alij plures. Datum in *Obrazow* (²) tempore colloquii, Anno a nativitate domini, millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto Indicione quinta decima, pridie nonas Februarij.

(²) *Obrazow* parochiae suae caput, villa hodie Sandomiriensis regionis et territorii.

XXXIII.

Korczynii — anno 1256.

Boleslaus Pudicus Cracoviae et Sandomiriae Dux, una cum matre Grimislava omnes haereditates, libertates, donationes et immunitates monasterio *Zwierzyniecensi* a praedecessoribus concessas, in perpetuum confirmat (¹).

In nomine domini amen. Quoniam dies hominum transeunt velut umbra, et nunquam statu permanent in eodem, unde necesse est ea

(¹) „Proemium hujus privilegii vide in privilegio anni 1254 ex eodem libro Metrices 24 fol. 270 deprompta." Nota Antonii Muczkowscii, quae certos nos facit, apographon hoc ex Tabellario Publico Regni Poloniae descriptum esse.

tenaci memorie imprimere, que pia deliberacione principum disponuntur, ne processu temporis thabescentis a memoria hominum evanescant. Notum sit igitur universis presentibus et futuris hanc paginam inspecturis, quod nos Boleslaus dei gracia dux Cracouie et Sandomirie, una cum nostra charissima matre domina Crimislaua (sic) ducissa terrarum earundem, magno fauore, affectu et devocione ecclesiam sancti saluatoris Monasterii de *Sverincia* ([2]) ordinis premonstracensis pie et sinceriter prosequentes, quem (sic) nostri predecessores principes Cracovie fundauerunt pro suorum remedio peccatorum et hereditatibus dotauerunt. Nos eciam pro nostra et nostrorum salute parentum, eidem Monasterio misericorditer providentes, confirmamus omnes hereditates, libertates, donaciones et immunitates, cum omni jure ducali, forma et condicione tali, quod prepositus cum omnibus hominibus ac incolis villarum ad claustrum de *Sverincia* pertinentibus, coram nullo castellano, palatino aut alio Judice aliquo comparere teneantur siue respondere pro qualicunque causa. Sed quum per literam cum sigillo nostro et ministerialem nostrum fuerint citati, tunc judex noster ad claustrum descendens cum preposito causas qualescunque iudicabit et penas omnes judiciales prepositus super homines suos recipiet, nullo alio judice ipsum impediente. Facimus insuper omnes incolas villarum, quarum nomina subsequuntur, ab omnibus exactionibus, que wlgariter *Staan*, *stroza*, *pouoz*, *preuod*, *ouis*, *vacca*, *bobri* nuncupantur cum omni posteritate sua liberos perpetuo et im munes. *Sverincia* cum tabernis apud *Ostrigoweam* et *krecovek*, *Dambe* cum pratis et omnibus utilitatibus. *Negrbea* taberna cun agris et pratis, *Rudaua* cum molendino et tabernis, *Liski* cum hominibus ascripticijs, *Olseuicia* cum hominibus ascripticijs, *Rogoznik* cum hominibus ascripticijs, *Modlnicia* cum hominibus ascripticijs, *Bibice* et *Mescow*

([2]) *Zwierzyniec*, *Sverincia*, suburbium Cracoviae. Ecclesiam S. Salvatoris jam seculo X. a S. Adalberto aedificatam, posteaque vero a Petro Dunino restauratam esse, tradunt. Anno 1181. Jaxa stemmatis Gryff de Miechovia penes ecclesiam monasterium deodicatarum virginum condidit. (Conf. Starożytna Polska I, 59, et Pamiątka z Krakowa Józefa Mączyńskiego, t. 2—28). Villae memoratae in privilegio fere omnes proximae monasterio sunt.

cum hominibus ascripticijs, *Luboce* et *domascow* cum silva, agris, pratis, lacu et campo ogetri (sic), *pobednie* cum agris, silua, pratis, taberna, molendino et stagnis. *Spitaarj* cum hominibus ascripticijs, *Chranstonia* cum agris, pratis, taberna, molendino et silua, *Klonow* cum agris, pratis, taberna, et silua, *Losceyow* cum agris, pratis et taberna, *Sarbe* cum agris, pratis, taberna, et molendino, *Kamencice* cum agris, pratis, taberna et molendino, *Polistras* cum agris, pratis, silua et omnibus utilitatibus, *Facimech* cum taberna, silua, agris, pratis et utroque littore Vysle *Kczanczin* cum agris tabernis, silua et pratis, *Rokow* cum agris taberna silua, pratis et utroque littore fluvij Scaue, *Muchar* cum taberna, agris, pratis, silua et utroque littore Scaue. *Grodiscze* cum agris, pratis, taberna et silua. *Grodecz* cum agris, tabernis, molendinis, silua, et pratis. *Mons sancti Benedicti* et *Plazow* cum taberna, pratis, silua et stagnis. *Pregoral* cum hominibus ascripticijs et cum Visla. *Belani* cum taberna, agris, pratis, silua et Wisla. *Crathkowicze* cum hominibus, ascripticijs. Aput (sic) *Sicinam* sarthago pro sale decoquendo et pratum ibidem. *Skomsin, Vetrna gora* a wlgo dicta in Lublensi provincia cum alijs adjacentibus hereditatibus cum *Woysin, Recicza, Crampa* et *Javorecz* (cum utroque) littore Visle et cum clausuris ad piscandum, cum castoribus et cum stagnis. *Jacsici* cum hominibus ascripticijs, cum agris, tabernis, silua et foro. Ut autem hec nostra donacio et confirmacio apud posteros robur obtineat perpetue firmitatis, presentem paginam ad perpetuam memoriam fecimus nostri sigilli munimine roborarj. Si quis vero nostrorum successorum hanc nostre donacionis paginam ausu temerario presumpserit violare, aut ei in aliquo contraire, in nostris delictis et commissis, pro quorum indulgencia hec fecimus ante districtum judicem reus teneatur. Actum publice in *Corczin* anno incarnacionis domini nostri millesimo ducentessimo quinquagesimo sexto. Presentibus hijs testibus, comite Adam Castellano Cracoviensi, Comite Nicolao palatino cracoviensi, domino fulcone cancellario nostro, Comite Boguslao Castellano Sandomiriensi, Comite Bogusa castellano visliciensi, Comite Woyslao Castellano de Malogoscz, comite Dobeslao castellano de Zawichost, co-

mite Jacobo castellano de Woijnijcz et alijs quam plurimis. Datum per manum domini Fulconis cancellarij nostri supradicti (³).

(³) Ex transumpto Sigismundi regis in quo hoc privilegium Boleslai invenitur, finem tantum in nota huc ponimus. Ab hoc loco itaque cancellaria Regis Sigismundi scribit: „Quibus quidem supplicacionibus tanquam justis et racioni consonis benigniter annuentes, priuilegia et literas preinsertas in omnibus earum punctis clausulis, condicionibus et articulis ratas et gratas habentes, de certa sciencia et liberalitate nostris regijs ac consiliariorum nostrorum consilio innovandas, approbandas ratificandas et confirmandas duximus, in hijs presertim, in quorum possessione et usufructu prefatus prepositus cum suo conventu in hactenus fuerunt et realiter existunt. Innovamusque, approbamus, ratificamus et confirmamus presentibus, decernentes ejusmodi priuilegia et literas robur perpetuo firmitatis obtinere, juribus tamen nostris regalibus semper saluis permanentibus. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus est subappensum. Actum Cracouie die dominico festi sanctissime et indiuidue trinitatis, anno domini millesimo quingentesimo decimo. Regni vero nostri anno quarto. Presentibus reuerendis in Christo patribus dominis Joanne electo et confirmato ecclesie gnesnensis et cancellario, Joanne cracouiensis, Mathia premisliensis ecclesiarum episcopis et vicecancellario Regni nostri, nec non Magnificis, venerabilibus et generosis Nicolao de Camyenyecz palatino et capitaneo cracouiensi, campiductoreque generali, Jacobo de Syekluka Woyniciensi, Nicolao de Schidlovyecz Radomiensi castellanis, Stanislao de Chodecz marsalco, Andrea de Coeczyelecz thezaurario Regni nostri Scepusiensi Ossvyacimensi Juniwladislauiensi et Bidgostiensi capitaneo, zupparioque ac procuratore generali nostro cracouiensi, Joanne Latalski gnesnensis, cracouiensis et lanciciensis ecclesiarum preposito, Sigismundo Targoniczkij decretorum doctore custode, Joanne Karnkowski scolastico sandomiriensi, canonicis cracouiensibus, Stanislao Goreczki preposito calissiensi secretarijs nostris, Stanislao Chroberskj vexilifero, incisore et suppincerna, Nicolao Oczyeski capitaneo costensi et magistro agazonum curie nostre, ceterisque dignitarijs, officialibus et curiensibus nostris testibus ad premissa fide dignis, sincere et fidelibus nostris dilectis. Datum per manus prefati reuerendi in Christo patris domini Mathie Episcopi premisliensis et Regni nostri vicecancellarij, sincere nobis dilecti. Relacio ejusdem, cujus supra. scilicet prefati Reuerendi in Christo patris domini Mathie Episcopi Premisliensis et R. P. vice cancellarii."

XXXIV.

Korczynii — 2 martii 1257 anno.

Boleslaus Dux Cracoviensis et Sandomiriensis monasterio Sanctae Clarae in oppido *Zawichost* varias villas donat (1).

In nomine domini amen. Quoniam omnes morimur et quasi aquae dilabimur, ne mortalium gesta, celebri et perpetua memoria semper digna, temporum decursu in oblivionem adducta queant apud posteros nostros pati, ex ambiguitate discrimen digne solent perpetuare (sic), res instrumentorum munimine cum expressione testium perhennare: hinc est quod nos Boleslaus dei gratia Cracoviensis et Sandomiriensis Dux, Universis Christi fidelibus in omne saeculum praesens pariter et futurum praesentibus facimus manifestum, Quod pro remedio foelicis animae patris nostri clarae memoriae Illustris Cracoviensis et Sandomiriensis Ducis Lesconis, et incolumitate nostra et nostrae ingenuae genitricis Grzimislauae et Cunegundis nostrae Generosae consortis, semper proponentes Deum in conspectu nostro, a quo habemus quod qui vivimus et primorum principatuum gubernacula possidemus, constructo per nos de consensu Illustrium Principum fratrum nostrorum, Cazimiri Lanciciensis et Cuiaviensis, et Semoviti Mazoviae Ducum et Venerabilis patris Prandothae dei gratia Episcopi Cracoviensis, nec non et de totius Ducatus nostri consensu Baronum fundato et constructo Monasterio ordinis sanctae Clarae in Oppido nostro *Zauichosth*, pro sustentatione sororum eiusdem ordinis,

(1) Ex libro Metrices Regni sub literis Z. K. annorum 1548—1549, Nr. 76, fol. 415—418, descripsit doctiss Ant. Muczkowski, ubi in transumpto Regis Sigismundi Augusti, et in confirmatione Palatini Cracoviensis Spytconis invenitur. Sed privilegium hoc ipsius ducis Boleslai jam in Tomo I, pag. 77. ex apographo privilegii Augusti II. Regis male descripto, editum est. Quum tamen in recensendo Muczkowscii apographo multas variantes et magni quidem momenti deprehendissemus lectiones, maxime ad nomina villarum in privilegio memoratorum spectantia, tabulam totam, quamvis jam typis descriptam in hoc volumine repetendam esse duximus. Confirmationem vero Spytconis palatini infra ad anno 1395 edimus. De villis legas Codicis nostri Tomum I, loco citato.

ipsum Monasterium praediis, proventibus, libertatibus seu immunitatibus infrascriptis duximus dotandum. Contulimus siquidem eidem Monasterio villas infra nominatas, cum omnibus suis utilitatibus et pertinentijs, Molendinis videlicet, Tabernis quae nunc sunt vel erunt in posterum, et cum pratis, nemoribus, piscationibus, et cum venationibus castorum et aliarum bestiarum, et si quae aliae sunt commoditates quibuscunque nominibus censeantur. Ipsum scilicet oppidum *Zauichosth*, iure theutonico locatum cum utilitatibus et piscationibus Vislae, cuius termini erunt superius usque in *Usce* et inferius usque ad miliare et cum villis adiacentibus quorum (sic) nomina sunt haec: *Vinary* cum lacu qui iacet in *Comorzin*, *Peccarij*, *Czerzinin*, *Dzurow*, *Pudrowicze*, *Borowo*, *Psthrągij*, *Hostrow*, *Cossino*, *Turina*, *Lypczina*, *Darouino*, *S....* (2), *Brescane*, *Wangrcze*, *Dauidany* (3), *Vinari* (sic) inferius super Vislam cum clausura, *Sobothka*, *Wezolbinge* quae nunc *Ostrowo* dicitur, et aliquas sortes in *Pzlliod* et *Cobnici* cum vinea et agris *Sdigodonis*, *Unonicze* *Wloscewicze* et Ecclessiam in *Zarnowiecz* cum sanctuarijs quorum sunt haec nomina: Paulus cum duobus fratribus, Michael cum fratre et duobus filijs et Camerariis, quorum haec sunt nomina Domanus. Sdeslaus Eissel et omnibus pertinentijs suis et annuis redditibus qui sunt hij: Tabernae cum theloneo eiusdem villae et aliarum pertinencium ad eandem de Celario Ducis sex tunnas mellis. *Stroza* duarum provinciarum quod *Opole* vulgariter appellatur. Decimae villarum subscriptarum *Zarnowiecz* et *Coriczanij* et *Wrema* et *Wdow* (4) et *Wirbicza* (5) et *Dobrakow* et *Hotopa* et *Malisylcze* et *Wilkow* et *Holuza* et *Wimowa* villa per nos collata et *Mislonici* et *Moramonici* (6) et *Pdmoscane* (7) et *Rokythno* villa Ecclesiae cum decima et *Volia* et *Moczidlane* et *Costolly* (8) *Bobreth* (9) et *Przichodij* (10) et *Kuroznechi* (11) et *Osmenici* et *Babra* et *Zachssa* et medium *Sendeimo* (12) quod possidet Comes Adam, Dedimus etiam ipsi Monasterio centum marcas argenti puri et totum valorem duorum alueorum salis qui *Corito* vulgariter appellantur in loco qui magnum

(2) Vacuum. (3) Vacuum. (4) Udorz. (5) Wierzbica. (6) Marcinowice.
(7) Przedmościany. (8) Koslowy. (9) Bobrek.
(10) Przychody. (11) Kurozwęki. (12) Studeniczno.

sal communiter nu cupatur (sic) et marcam auri in theloneo Cracoviensi, ac duas marcas auri in plumbo in *Ilkusz* singulis annis percipiendi, et decem marcas argenti in *Tharsse* villa Episcopi, quae singulis annis in signum dominii recipere consuevimus pro utilitatibus eiusdem Monasterji informandis. Incolas vero et inhabitatores villarum supradictarum, ea libertate eaque immunitate gaudere volumus ut per terram Cracoviensem et Sandomiriensem negotiacionis causa transeuntes, in nullo loco theloneum persoluant, quos etiam absoluimus ab omni prestacione praediali seu personali cuiuscunque census vel tributi, ad Ducem, Palatinum, Castellanum, Judicem vel quemcunque alium Supremum vel beneficiatum pertinente. Neque enim *przewod, strozam, poduzne* (13) (sic), *narub* (14), *Targowe, poradlne* caput quod vulgariter dicitur *glowa,* et ab omni causa sanguinis, et ab omni furto et *powolane* neque aliquas annonas, vacas, porcos, oues, vel quaevis pecora alia pro expensis Ducalibus persoluent, nec nuntios vel legatos Ducum seu aliquos Venatores recipere cogentur inviti. Generaliter autem eosdem incolas absoluimus, ab omnibus seruitutibus, angarijs et preangarijs quibus cunque nominibus denotentur, et quae nunc sunt vel in futurum poterunt excogitari. Siue sint ordinarie casuales vel repentine ab aedificatione Castrorum vel reparatione et ab omni expeditione vel exercitu ipsos penitus absolventes. Qui etiam Incolae conuenti coram nobis super quibus cunque causis vel negotiis, vel coram aliquo Palatino. Castellano et quovis alio Judice vel officiali comparere vel respondere non teneantur, sed suorum tantummodo rectorum iuditio sint subiecti. Ut autem nulli alteri, sed solum dicto Monasterio et sororibus suprascriptis praefatae villae, quas etiam iure theutonico locare concedimus, cum omnibus utilitatibus suis deseruiant, et ad ipsum Monasterium pleno iure pertineant Decernimus ut Rectores villarum earundem per sororem nostram dominam Salomeam, Reginam quondam Galiciae, nunc autem sub regula Beatae Clarae domino famulante, et Abbatissam sororum eiusdem regulae, in ipso Monasterio *Zawichost* constituantur et earum de-

(13) Podwożne. (14) Narąb.

stituantur arbitrio. In robur autem et perpetuam memoriam suprascriptorum praesentes literas, nostro sigillo duximus consignandas. Datum in Tharczin (sic) ([1]) Anno domini Millesimo ducentessimo quinquagesimo septimo, sexto nonas Marcij. Praesentibus his testibus Illustribus Cazimiro Lanciciensi et Cuiaviensi, Semouito Mazoviae ducibus, Janusio (sic) Gnesdnensi (sic) Praeposito et Cancellario Cazimiri, Falcone Cracoviensi et Sandomiriensi Cancellario, Nicolao Cracoviensi Signeo (sic) Sandomiriensi, Abraham Masoviae Palatinis; Boguphalo Sandomiriensi, Joanne de Czechow, Bronisio (sic) de Weich Castellanis, Warssone Dapifero, Sulislao agazone Sandomiriensi et aliis quam plurimis Clericis et Laicis.

([15]) Legas: *Korczin*, Conf. Tomi I. Nostri Codicis privilegii XLVI annotationem undecimam.

XXXV.

In villa Kostki — 10 Junii 1257 anno.

Boleslaus Cracoviensis et Sandomiriensis Dux fratri Theodorico de *Zagost*, tum et incolis villarum *Skornik* et *Sukow* privilegia confert ([1]).

In nomine Domini Amen. Vt principalis donatio robur perpetuo (sic) firmitatis obtineat Ego ([2]) Boleslaus Dei gratia Dux Cracoviae et Sendomiriae filius Lestconis: Notum facimus presentibus et futuris, quod ad petitionem Comitis Warsonis Dapiferi Sendomiriensis Fratri Theodrico de *Zagost* et ceteris rectoribus post eum successione ([3]) ibidem Domino famulantibus talem gratiam duximus faciendam: quod currus eorum liberi ([4]) sine omni exactione et theloneo nostro sal tantum ad coquinam ipsorum siue cetera victualia deuehent et transibunt

([1]) Archetypon in Bibliotheca Nieboroviensi asservatum. Nacti tamen sumus et apographon quod e libris Tabularii publici Regni Poloniae (Metryki koronne, vol. 177. p. 306) doctiss. Ant. Muczkowski descripsit. Variantes ex apographo Muczkovscii in annotationibus edimus.
([2]) Verbum „ergo" in apographo additum. ([3]) successorie. ([4]) libere.

per vniuersum Dominium nostrum et Ducatum. Caeterum ([5]) indulgemus eisdem quod omnes Incolae ipsorum de *Scornik* et *Sucow* pascuis libere vtantur in campis villarum hominum nostrorum de *Scoruchich* (sic) et *Worche*, ita tamen si nocumentum hominibus haereditatum praedictarum aliquoties intulerint, et de se quaerelantibus ([6]) vllam satisfactionem exhibuerint, gratiam per nos factam subtrahere propter hoc poterimus ab eis. Ut autem concessio et donatio robur perpetuae firmitatis a nobis et nostris successoribus obtineat, praesentibus nostrum sigillum duximus apponendum. Acta sunt haec Anno Domini MCCLVII, praesentibus hominibus quorum ista sunt nomina. Comes Wars. praefatus procurator huius negotii. Jacobus Venator de Globsek, Domaratus Subiudex Crac: ([7]) Petrus Tribunus Visliciensis, Ratiborius de Podlase ([8]), Sdigodius qui sigillum apposuit et alii quam plures. Datum per manus Twardoslai Sub-Cancellarij Curiae in territoriis militum de *Costchich* ([9]) quarto idus Junii ([10]).

([5]) Ceterum. ([6]) querulantibus. ([7]) Cracoviae. ([8]) Podluse. ([9]) Costechich.

([10]) Villae hic memoratae fortasse sunt: *Costchich*, hodie *Kostki* vel *Kostkowice*, ilia regionis Stobnicensis parochiae vero Buscensis; haec vero territorii Ilcussiensis, regionls Pilecensis, parochiae Kroczycensis. Villam *Skornik* nullibi invenire potuimus, *Skorkow* vero villa est regionis Kielcensis parochiae Małogostensis. *Scoruchich* fortasse hodie *Skorzeszyce*, villa regionis Kielcensis, par. Daleszycensis. *Worche* qui significat? Nescimus.

XXXVI.

Cracoviae — 1259 anno.

Dobieslaus filius Sudonis et Benedictus filius Bresciani sortem villae *Klimentow* monasterio Staniątcensi vendunt ([1]).

In nomine domini Amen. Humane facilius inprimuntur memorie que munimine Litterarum ac nube testium fuerint roborata, Hinc est

([1]) Ex tabula pergamenea in monasterio Staniątcensi asservata descripsit doctiss. Sławiński nosque docuit, funiculis sericis rubri coloris appensum esse idem sigillum quod jam sub anno 1254 (vide supra privilegium N. XXVIII die 23 februarii) descripsimus. In ambitu sigilli clare leguntur verba: „S. Boleslai dei gra dvcis Cracovie et Sandomirie."

quod nos Bolezaus (sic) dei gracia Cracouie et Sandomirie Dux vniuersis Christi fidelibus in omne seculum presens pariter et futurum presentibus facimus manifestum quod Dobezlaus filius Sudonis et Benedictus filius Bresciani in presencia nostra constituti Sortem vnam in uilla *Lutouich* nomine que nunc *Climontow* ([2]) appellatur relicte pie recordacionis Comitis Clementis pro Domo de *Stanetek* pro viginti marcis fusi vendiderunt argenti iure hereditario possidendam. Unde ne qua inposterum super huiusmodi vendicione possit oriri calumpnia presentes nostri sigilli munimine fecimus roborari presentibus hijs testibus Fulcone Cancellario nostro. Nicholao Palatino Cracouiensi Jacobo fratre eius Judice Cracouiensi. Clemente filio Marci. Marcho fratre eius subpincerna Cracouiensi. Michaele subdapifero Cracouiensi et alijs quam pluribus. Datum Cracouie Anno domini M°. CC°. LIX.

([2]) Quis igitur dubitare potest, villam antiquam *Lutouici* postea *Climontow* nominatam esse?

XXXVII.

Cracoviae, feria tertia post octavas Pascae—13 Aprilis 1260 anno.

Boleslaus Dux Cracoviae et Sandomiriae fratribus sancti sepulcri de domo ***Miechoviensi*** **theloneum in villa ipsorum** ***Chelm*** **confert** ([1]).

In nomine domini Amen. Ad perpetuam (sic) Quitquid (sic) Regia Majstas suis fidelibus iusto vel denuo concedit, vel jamdum per diwos predecessores suos concessum innovat, corroborat et confirmat, Id ne e memoria humana evanescat, tenoribus literarum mandare Sigillisque autenticis et testibus fide dignis perhennare conswevit. Proinde Nos Alexander etc. Significamus etc. Quomodo constitutus personaliter coram nobis Venerabilis Magister Martinus de *Radom*

([1]) Ex apographo quod in Tabulario publico Regni Poloniae (Metryki kor., vol. 21 fol. 81) asservatur, doctiss. Ant. Muczkowski descripsit. Conf. Miechovia pag. 182.

prepositus Mijechoviensis devote nobis dilectus suo et tocius sui Conventus nomine exhibito privilegio infrascripto donacionem thelonej in Villa *Chelm* (²) dicto Monasterio factam continente In cuius possessione licet fuerit, Tamen quia Sigillum eiusdem privilegij pro parte fractum fuerit pecijt illud per nos approbarj et confirmarj Cuius sequitur tenor.

In nomine domini nostri Jesu Christi. Quoniam generacio perit, et generacio advenit evanescunt sepe negocia que sub tempore volubilj geruntur, necesse est *ergo* litterarum apicibus ac testium annotacione singula declarare. Noverint igitur universi presentes et posteri quod nos Boleslaus dei gracia dux Cracovie et Sandomirie Cupientes Elemosinas fratrum Sancti Sepulcri de domo Myechoviensi amplius augmentare contulimus eisdem theloneum in villa ipsorum que *Chelm* wulgariter conswevit appellarj, perpetuo possidendum. Ita quod omnes currus qui duobus equis trahitur (sic), quartam partem de Scoto solvere teneantur argenti videlicet usualis. Qui vero uno equo trahitur mediam partem solvere debeat *extimacionis* prenominate ut autem nostra donacio in perpetuum robur obtineat firmitatis et nullj in posterum ausu temerario eandem liceat infringere presentem codicem supradictis fratribus notarj feceramus nostri sigilli appensione roborando sub testimonio nobilium nostrorum quorum hec sunt nomina Comes Adam Castellanus Cracoviensis, Comes Nicolaus Palatinus Cracoviensis, Comes Sangneus Palatinus Sandomiriensis Dominus Fulco Cancellarius Curie et Custos Sandomiriensis Laurencius subdapifer* Sandomiriensis Michael subdapifer Cracoviensis Ota subagazo Cracoviensis. Datum Cracoviae proxima tercia feria post Octavas Pasce Anno domini Millesimo ducentesimo sexagesimo Per manus Petrj Clericj ducalis.

Nos itaque privilegium insertum cognoscentes esse justum peticionibusque prefati Martini prepositi veluti iustis annuentes illud de

(²) *Chelm* villa territorii et regionis hodie Ilcussiensis, parochiae ad Gołaczowy spectantis.

certa sciencia et gracia regijs nostris approbandum ratificandum et confirmandum duximus. In omnibusque eius punctis clausulis et articulis approbamus ratificamus et confirmamus decernentes illud debite et perpetue firmitatis robur obtinere tenore presencium mediante. In cuius rei etc. Actum Cracovie feria tercia intra octavam Sancti Martini Anno domini Millesimo quingentesimo quarto. Presentibus Reverendissimo et Reuerendis in Christo patribus Andrea Archiepiscopo Gneznensi et primate. Joanne Cracoviensis et Erasmo Plocensis Ecclesiarum Episcopis. Nec non Magnificis Venerabili et Generosis Petro Kmitha de Visnycza Cracoviensi et Regni Marsalko (sic) Petro Miskowskj Lanciciensi Nicolao de Curoszwąkj Lublinensi palatinis Dobrogostio de Ostrorog Poznaniensi Jacobo Syekluczkj Voynijczensi et Capitaneo Byeczensi Petro Schaffranyecz de Pyeskowa skala Visliczjensi et Joanne Jordan Byeczensi Castellanis Joanne de Lasko Cancellario Jacobo de Sydlowyecz thezaurario Regni nostri Joanne Rapstynskj de Tanczyn Marsalko (sic) Et Stanislao Schafranyecz de Pyescowa scala (sic) Succamerario Curie nostre, Ceterisque Consiliarijs et Curiensibus nostris sincere et fidelibus dilectis. Datum per manus eiusdem Venerabilis Joannis de Lasko Ecclesie Gneznensis et Regni nostri Cancellarij sincere nobis dilectj.

XXXVIII.

Sine loco—anno 1261.

Boleslaus Pudicus Cracoviae et Sandomiriae dux una cum conjuge Cunegunda villam *Bezden* monasterii Andrejoviensis propriam Rinoldo civi Cracoviensi donat et pro hac villa Monasterio alias villas *Rudniki* et *Suchodol* confert (¹).

In nomine domini Amen. Quoniam cuncta trahit secum, uoluitque uolubile tempus, ne humana gesta labantur a memoria cum

(¹) Ex archetypo membranaceo doctissimus Ant. Muczkowski privilegium hoc descripsit. Aliud apographon ejusdem haud dubio archetypi communicavit nobiscum doctiss. Sławiński descriptum ex archivo Staniątcensis monasterii, sed apographon Sława-

uolubilitate temporis, opere precium est, ut uoce testium uel testimonio apicum perhennentur. Nos itaque Bolezlaus dei gracia Dux Cracouie et Sandomirie, una cum dilecta coniuge nostra Cunegunda terrarum ducissa prefatarum, ad presentium futurorumque volumus notitiam deuenire, quomodo habita bona ac matura deliberatione cum consensu domini Hugonis abbatis, totiusque conventus de *Andreyov,* nec non cenobij eiusdem, animadverso Rinoldi nostri ciuis cracouiensis frequenti seruitio et fideli, dedimus et contulimus sibi suisque successoribus villam wlgariter *Bezden* (²) nuncupatam, libere et quiete iure hereditario possidendam, cum agris, molendino, pratis et omnibus vsibus, que ibi sunt vel post modum fieri poterint per ipsius industriam prouenturi. Constituentes ipsum super predicta villa verum et legittimum heredem et suos succedaneos post ipsum. Pro hac autem, villa prenominata *Bezden* dedimus supradicto Abbati in cambium duas villas *Rudnyky* (³) videlicet cum molendino, quod ibidem materiam ferri massam in quam (?) siue metallum molit, et cum alijs usibus et pertinentijs sicut est, taberna et uenationes castorum et cum usibus apum ubi mella proueniunt, qui usus wlgariter Barci nominatur, nec non et alijs usufructibus (sic) quibuscumque que ibi sunt, uel post modum poterint provenire, contulimus iure hereditario et *Suchdol* im perpetuum possidendas, perpetuam commutationem facientes pro ipsorum villa *Bezden* sepe nominata. In qua memoratum ciuem nostrum Rinoldum verum heredem effecimus cum sua posteritate. Nos itaque exuberante magnificentie nostre dextera, et sepefati ciuis nostri cracouiensis exigente multiplicis meriti probitate,

scii multas habet abbreviationes, Muczkowscii vero per extensum est descriptum. Variantes lectiones invenimus nullas, et propterea edimus privilegium hoc secundum apographon Muczkowscii. Funiculis viridis coloris appensum erat sigillum, in quo effigies ducis dextra hastam, sinistra vero scutum cum aquila tenentis repraesentatur. In ambitu sigilli leguntur verba: *S. Boleslai Dei gratia ducis Cracovie et Sandomirie* (teste Muczkowscio et Sławinscio).

(²) *Bezden* villam nullibi invenire potuimus.

(³) *Rudniki*, sunt duae villae ejusdem nominis, in Kielcensi et Lelowiensi regionibus (parochiae ad *Kurzełów* et *Mrzygłód* spectantes). *Suchodol* vero haud dubio *Suchodol;* multae villae sunt ejusdem nominis in Polonia, hodie proxima Andrejoviae *Suchodolka,* villa Sandomiriensis regionis, parochiae autem ad Przybysławice spectantis.

Suchdol prenominato abbati et conuentui prenotato attentius confirmamus; non obstante priuilegio cracoviensis ciuitatis prius dato quondam super villa memorata, per quod ad districtum ipsius ciuitatis dicebatur pertinere. Item dedimus sepe dicto ciui nostro suisque succedaneis super memorata villa *Bezden* liberam facultatem donandi, vendendi, legandi, recommutandi, seu quocumque modo voluerit, liberum sibi sit alienare. Et ne quispiam hanc nostram donationem seu commutationem perpetuam publice peractam ualeat irritare, vel ausu temerario attemptare, presentem kartam appensione nostri sigilli duximus muniendam. Testes autem qui aderant, hij sunt, quorum nomina sunt subscripta: Comes Sulco palatinus cracouiensis, Fulco cancellarius, Comes Jacobus judex cracoviensis, Petrus thesaurarius, Comes Miroslaus, Laurentius camerarius cracoviensis, Segota subcamerarius sandomiriensis, Petrus cosenov (sic) Dethmarus advocatus cracoviensis, Salomon, Gozvinus cives cracovienses. Datum anno domini M°. CC°. LX° primo.

XXXIX.

Cracoviae—1262 anno.

Boleslaus Pudicus Dux Cracoviae commutationem, quam haeredes de *Staniątki* cum hominibus regalibus de *Kargow* fecerunt confirmat. Item monialibus in villa *Staniątki* varia privilegia concedit (1).

In nomine domini amen. Quoniam ea que scripto commendantur perpetuo in memoria retinentur. Proinde Nos Boleslaus dei gracia Dux Cracouie et Sandomirie notum facimus uniuersis presentibus et futuris hanc paginam inspecturis quod ad peticionem nostri karissimi

(1) E tabula pargamena monasterii Staniątcensis propria descripsit doctiss. Sławiński. Reliquiae tantum sigilli sunt ejusmodi quale ad annum 1254 descripsimus. Funiculi serici virides. In Tabulario Regni publico nactus est doctiss. Muczkowski confirmationem hujus privilegii a Sigismundo primo Rege factam (Metryka vol. 34 fol. 48 et vol. 98, pag. 84 et seqq.) Variantes lectiones in apographo Muczkowscii invenimus nonnullas sed parvi momenti et tantum ad orthographiam spectantes. Vidua v. g. Clementis castellani in apogra-

fratris Kazimiri illustris Ducis Kuyauie et ad instanciam dilecte Matris nostre Domine Grimislaue. pro fideli et honesta matrona Raczslawa relicta comitis Clementis quondam Castellani Cracouiensis. que predicte matri nostre dilecte et eciam nobis exhibuit seruicia magna et honesta. omnes commutationes, donationes et ordinaciones, innouamus nostro priuilegio confirmantes, quas tempore dilecti Patrui nostri Ducis Conradi. heredes de *stanantek* ecclesie beate marie uirginis. ordinis sancti Benedicti. fecerunt. cum hominibus nostris de *Kargow*. qui wulgariter *Pstresto* dicuntur. transferentes eos de bona uoluntate eorum et Patrui nostri supradicti sicut in priuilegiis eius inuenimus in *posilow* uillam ad monasterium de *stanantek* pertinentem facta commutacione cum eisdem. Preterea confirmamus et concedimus supradicto Monasterio de *stanantech* libertatem ligna excidendi qualiacumque in silua nostra *Clay* (2) uulgariter dicta pertinente ad hereditatem nostram *Nepolomice*. dictam. a talibus terminis, uidelicet a uia que ducit de *thargouisce* (3) ad nauigium circa *Rudno* (4). usque ad vadum. et abinde usque ad palum qui dicitur *Kulinoze* (5) et ab eo loco ad pratum *Campicza* (6) dictum tenendo (sic) (7) ad sinistram *campiczam* directe ad magnum uadum. et per ipsum vadum circa riuulum usque ad Dreuenam fluuium (8) qui diuidit siluam per medium usque ad nauigium quod dicitur *Wirbencin preuoz* (9) quod cum utroque litore pertinet ad claustrum memoratum, quod eciam pascua porcorum libere habet ac quiete. Si vero quod absit quispiam de nostris successoribus

pho *Raczlaua* dicitur. Majoris momenti sunt lectiones: „usque ad palum qui dicitur *Culmosche*" (in archetypo *Kulinoze* legitur), postea sequitur „pratum Campycza;" fluvius non *Drevena* sed *Oreuena* in apographo legitur; navignim *Vijrzbijentni przeuoz*, non Wirbencin. Ultima apographi verba sunt. „Praesentibus his testibus;" reliqua desiderantur.

(2) *Klaj*, silva et villa regionis Szczyrzycensis parochiae Niepołomicensis.

(3) *Targowisko*, villa regionis Czchovensis, parochiae Chelmensis.

(4) *Rudno*, villa regionis Proszovicensis par. Poborowicensis.

(5) Villam hanc quae in apographo Muczkowscii *Culmosche* appellatur, invenire non potuimus.

(6) *Tendendo* fortasse? *Tenendo* legitur et in apographo Muczkowscii.

(7) *Kępiany* ad Vistulam regionis Szczyrzycensis villa.

(8) *Drwienia* villa regionis Czchovensis, parochiae Mikluszowicensis; idem fortasse nomen et rivuli ibidem fluentis.

(9) Vide privilegium anni 1254.

hanc nostram confirmationem donationem et concessionem ausu temerario infringere conabitur. ante districtum iudicem in nostris et nostrorum parentum delictis pro quorum indulgencia hec fecimus reus teneatur. Et ne hec nostra confirmatio tractu temporis aput (sic) posteros iniquorum perfidia corrumpatur et suffocetur in memoriam premissorum presentem paginam nostro sigillo fecimus communirj. Actum publice in *cracouia* anno incarnationis domini M°. CC°. LX°. II°. indictione quarta. presentibus hiis testibus et consencientibus. Comite Adam castellano Cracouiensi Comite Nicolao Palatino Cracouiensi. Domino Dirsicraio preposito cracouiensi. Domino Lassotha Sandomiriensi et Scarbimiriensi preposito. Sulislao Dapifero Sandomiriensi Clemente filio marci camerario ducisse et aliis multis. Datum per manum domini Predpelconis cancellarij nostri.

XL.

Cracoviae — 1262 anno.

Boleslaus Pudicus Cracoviae et Sandomiriae dux, precibus Raslavae viduae castellani Cracoviensis Clementis commotus, omnes commutationes, donationes et ordinationes a haeredibus factas monasterio Staniątcensi cum hominibus de *Kargowo*, confirmat (1).

In nomine domini Amen. Quoniam ea que scripto commendantur, diucius in memoria retinentur. Proinde Nos Boleslaus dei gracia Dux Cracouie et Sandomirie, Notum facimus vniuersis presentibus et futuris, quod ad petitionem nostri carissimi fratris Kazimirj ducis Kuyauie, et ad instanciam dilecte Matris nostre Domine Grimislaue, pro fideli et honesta matrona, Domina Razlaua relicta Comitis Clementis quondam castellani Cracouiensis, que eciam nobis et matri nostre iam dicte. multa seruicia exhibuit fideliter seruiendo, omnes commutationes donationes et ordinationes innouamus nostro priuilegio con-

(1) Ex archetypo membranaceo Staniątcensi descripsit doctiss. Sławiński; filis sericis rubri coloris appensum erat sigillum in quo, quod exaratum fuerat, nunc plane evanuit; tale sigillum supra ad tabulam anni 1254 descripsimus. De villis etiam supra.

firmantes, quas tempore dilecti patrui nostri Ducis Conradi. heredes Monasterij de *stanutec* fecerint cum hominibus nostris de *Kargouu* ([2]) qui uulgariter *pstressto* dicuntur. transferentes eos de bona uoluntate patrui nostri predicti. sicut in priuilegiis eius inuenimus, in *Posilou* ([3]) uillam eorum uidelicet, monasterii supradicti. ad *narok* pertinentem. facta commutatione cum eisdem hominibus nostris. Confirmamus eciam quod Comes Petrus de *Coscelech* agros omnes quos in ipsa *Posilow* habuit. iam predicto monasterio de *stanutec* dedit pro *nouosin* villa ipsorum simili commutatione. Nos vero ob reuerenciam beate uirginis Marie pro salute ac incolumitate omnium nostrorum parentum contulimus agros ad dominium nostrum spectantes, sepedicto Monasterio in prehabita uilla *posilou*, qui commixti erant agris eorum mittentes nostrum fidelem militem Domaratonem, ut eis metas in eadem fideliter assignaret, prout actenus tempore nostri patrui antescripti. fuerant assignate. Si autem quod absit quispiam de nostris successoribus hanc nostram donationem promissionem et confirmationem ausu temerario infringere conaretur. ante districtum iudicem, in nostris delictis et commissis pro quorum indulgencia hec fecimus. reus teneatur. Et ne hec nostra donatio confirmacio et promissio. aput (sic) posteros tractu temporis in obliuionem transeat, uel perfidia impiorum corrumpatur et suffocetur. in memoriam supradictorum presentem paginam super hiis confectam, nostro sigillo fecimus communiri. Acta sunt autem hec in *cracouia.* anno domini. M°. C°C°. LXII. indictione quarta presentibus hiis testibus. et consencientibus. Comite Adam Castellano. Comite Nycolao palatino. Cracouiensibus. Domino Dirzicrayo preposito Cracouiensi. Domino Lazota sudomiriensi. et Scarbimiriensi preposito. Sulislao dapifero Sudomiriensi. Clemente filio Marci. Camerario Ducisse et aliis quam pluribus.

([2]) *Kargów* villa est parochiae caput territorii Stobnicensis, regionis vero Szydłoviensis.

([3]) *Posilow* villa regionis Szkalbmiriensis parochiae ad villam *Kościelec* spectantis in territorio Miechoviensi.

XLI.

Cracoviae — 12 maji 1264 anno.

Prandota de Białaczow episcopus cracoviensis monasterio Szczyrzycensi decimas de villis *Poznachowice, Goszczachowa*, *Dlichow* et *Czarnylas* et centum mansos franconicos confert (1).

P. Dei gratia Cracoviensis Episcopus Universis praesentem paginam inspecturis salutem in omnium Salvatore. Quamvis omni petenti dare debeamus, tamen secundum Ambrosium perfecta liberalitas fide, causa, loco, tempore commendatur; item et si omnibus debetur misericordia, justo amplius est praestanda. Unde ordinem Cisterciensem plenae caritatis brachiis amplectentes, omni favore et auxilio, quo possumus, prosequendo, perpensa non modica paupertate monasterii de *Ciritz* ac ibidem Domini Abbatis totiusque ipsius conventus, degentium honesta vita, sancta conversatione, devotioneque laudabili consideratis; cum in eo concurrant omnes circumstantiae supradictae, donamus et conferimus una de communi consensu ac unanimi voluntate nostri totius Capituli eidem monasterio de tribus villis, scilicet: de *Poznachowice* (2), aput *Sustachum* (sic) (3) et in *Glichow* (4) decimas in perpetuum possidendas. Ita tamen quod quantitatem moderni valoris decem marcarum argenti videlicet, non exce-

(1) Apographon habuimus a Josepho Łepkowscio ex archetypo in tabulario monasterii Szczyrzycensis asservato descriptum. De sigillo nihil scimus. Conf. ejusdem auctoris jam citatum opus: „Ułamek z podróży archeologicznéj" (Bibl. Warsz. l c. pag. 209).

(2) *Poznachovice* villa parochiae quae ad villam *Wieniawa* pertinet, sita temporibus Reipublicae Polonorum, in regione antiqua Szczyrzycensi, vide librum manuscriptum illustrissimi Alexandri Przezdziecci proprium sub titulo: „Konskrypcya miast, miasteczek i wsi z regestrów oryginalnych dwojga Pogłównego anni 1676, przez województwa, ziemie i powiaty". Altera villa *Poznachowice* etiam regionis Szczyrzycensis sed parochiae ad villam *Raciechowice* spectantis, eodem anno 1676.

(3) Secundum Łepkowscium significat hoc verbum villam *Goszczachowo*, quam in indicibus locorum nullibi invenire potuimus. *Goszcza* vero villa hodie ecclesiastica sita est in Regno Poloniae, in territorio Miechoviensi, regione Proszovicensi.

(4) *Dlichow* apud Łepkowscium (conf. Ułamek l c.); sed in libro manu scripto: „Konskrypcya" (vide supra) villam ejusdem nominis legimus nullam.

dant. Et si quando forte in eisdem fundis decimalibus collocari contigerit villam vel oppidum, licet, possit fieri, compensata eis praedicta quantitate. Praeterea addimus de terra dicto monasterio decimam in *nigra sylva* (⁵) post centum mansos franconicos, quam ibidem poterunt extirpare, in perpetuum percipiendam. Has autem donationes idcirco facimus, ut fratres inibi Deo in perpetuum servientes, nobis et fratribus nostris canonicis videlicet Ecclesiae majoris, universis et singulis, et nostris ipsorumque successoribus, sint magis obnoxii familiaritates impendere, et Deo continue orationibus commendare. Ut igitur hec nostrae donationes, quas de consensu, ut diximus, nostri Capituli fecimus, inconcussae permaneant, et robur perpetuae obtineant firmitatis, praesentem paginam super eis confectam munimine nostri, atque praedicti Capituli sigillorum, dignum duximus muniendam. Actum publice in Cracovia Anno Dni Millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, IV Idus Maij,—praesentibus in Capitulo fratribus nostris, uidelicet: Ivone decano, Nicolao Praeposito, Trojano Cantore, Petro Custode Crac. Magistro Jacobo Praeposito Vislicensi et canonico Crac. Paulo Cancellario Domini Ducis et canonico Cracoviensi, Valtero Lambino, Petro Hermanno, et Nicolao canonicis Cracoviensibus.

(⁵) *Magna silva*, Łepkowski interpretatur *Czarnylas* et docet nos, eandem villam jam evanuisse.

XLII.

Cracoviae —1266 anno.

Nobilis de Chrober vidua Barani de Pelchist vendit Salomeae moniali Sanctae Clarae sorori Boleslai ducis Cracoviensis et Sandomiriensis villam *Baranow*, quam venditionem idem dux confirmat (¹).

In nomine Domini Amen. Quoniam ea, quae sub mutabili vicissitudine aguntur temporis, contingit labente tempore a notitia elabi

(¹) Apographon e Tabulario Regni (Metryki Kor. vol. 98 fol. 106) a doctiss. Muczkowscio descriptum. Rex Sigismundus Augustus confirmat hoc privilegium 3 martii 1564.

futurorum, si non fuerint serie literarum cum expressione testium roboratae (sic). Hinc est, quod nos *Boleslaus* Dei gratia Cracoviensis et Sandomiriensis Dux, Universis Christi fidelibus in omne seculum praesentibus pariter et futuris, praesentibus facimus manifestum. Quod nobilis mulier filia Joannis de *Chrober* (2), relicta bonae memoriae Barani de *Pelchist* (3), vendidit Catharinae germanae sorori nostrae germanae Salomeae, ordinis Sanctae Clarae haereditatem, quae *Baranow* (4) nuncupatur, quae sita est iuxta *Stetnyow*, pro XV marcis argenti, cum omnibus utilitatibus habitis et habendis, iure hereditario in perpetuum possidendam. Ne igitur super huius venditione et emptione aliqua dubitatio in posterum oriatur, in robur et memoriam supradictorum praesentes literas nostri sigilli munimine fecimus communiri. Acta sunt haec in Cracovia 1266 indictione nona. Praesentibus.

In fine confirmationis legitur: „D. Nicolaus Baranowski solus per se accepit literas suprascriptas." Idem dominus Nicolaus Anno 1564 fuit cracoviensis consul.

(2) *Chrober, Chroberz* villa suae parochiae caput, territorii Miechoviensis, regionis vero Szkalbmiriensis.

(3) Doctissimus Felix Bentkowski olim Tabularii Regni praefectus, de re litteraria Polonorum optime vir meritus legit pro *Barani*, *Bornomi* uti in apographo Muczkowscii cernitur, sed nobis lectio haec falsa, lectio vero Muczkowscii melior esse videtur. Conf. nostram dissertationem de Ivone episcopo cracoviensi l. c. (Iwo z Końskich Odrowąż, in opere: Dziennik Warszawski 1854, Nr. 179—180) et Gładyszewicium in opere: „Żywot Prandoty," maxime vero privilegia sub. Nr. 10—11 typis edita.

(4) *Pelczyska* villa, parochiae suae caput, regionis Szkalbmiriensis.

(5) *Baranow:* tres villae sunt ejusdem nominis in provincia Cracoviensi; duae Szkalbmiriensis (parochiae *Luborzyce* et *Szkalbmierz)*, una Stobnicensis regionis, parochiae ad villam *Dobrowoda* pertinentis.

XLIII.

Cracoviae — 1270 anno.

Boleslaus Pudicus Dux Cracoviae et Sandomiriae incolis villarum ad Coenobium monialium in villa *Staniątki* pertinentium, varias libertates tribuit et antiquas ordinationes confirmat (1).

In nomine domini Amen. Cvm mobilitas temporis secum temporalia cuncta precipitet, ne humana gesta mobilitate temporis amemoria (sic) hominum elabantur. solent scripto testium ac testimonio apicum perhennari. Proinde tam presens etas nouerit quam futura. Quod nos. *Boleslaus* dei gratia Dux Cracouie et Sandomirie. pro honore dei ac Beate uirginis Marie, atque pro nostrorum remedio peccatorum.

(1) Ex archetypo membranaceo in tabulario Staniątcensi asservato descripsit doctiss. Sławiński. Sigillum desideratur, appensum vero erat filis sericis rubri coloris. Confirmationem hujus privilegii a Sigismundo Augusto factam 17 Januarii 1564, in Tabulario Regni asservatam descripsit doctiss. Muczkowski (Metryki vol. 98, pag. 86). Sed in confirmatione redactio alia privilegii, quae sequitur: „Boleslai Ducis Cracoviensis. Libertatio Sanctimonialibus ordinis S. Benedicti Cenobii de *Staniątek* Cracoviensis diocesis concessa, videlicet ut omnes incolae et inhabitatores villarum, sive omnes, qui ad ipsum cenobium pertinent, ab omnibus exactionibus et solutionibus sint liberi et exempti. Ita sane, quod neque *stan*, neque *vaccam*, neque *strosam* solvent, hoc addito, quod nec coram Castellanis, nec coram Palatinis vel quocunque iudicio respondeant, Sed tantum Regie Maiestati. Item ab omnibus expeditionibus sive aedificationibus castrorum, praeterquam castrum (sic) Cracoviense, et castrum de *Cirich*, ad quae aedificanda ire tenebuntur, et ad expeditionem quamlibet, 16 homines cum clipeis mittent de omnibus villis monasterij praedicti. Item. forum circa claustrum cum quinque chabinis (?) datum. Item. Castores venandi in aquis. Item. Confirmatio ordinationis, quam Comes Marcus Procurator Cenobij praefati fecit, cum Stanislao filio Henrici Joanne fratre et filio Nicolai, redimens ab eis unum litus fluvij Rabae ad alterum, quod iure haereditario ipsum claustrum habet, pro 10 marcis argenti denariati, tali ordinatione, ut a gadibus superioribus usque ad terminos inferiores molendinum construendi, vel transponendi Idem monasterium liberam habeat potestatem, super quo permittimus, ut taberna quae in *Łanskomech* erat, ad molendinum transferatur. Item. Confirmatio omnium emptionum et commutationum, haereditatum et sortium, quas haeredes monasterij fecerunt cum quibuscunque; Relicta sorte Comitis Clementis, quam emit apud Sechium et Boxam in *Karczow* pro 19 marcis argenti denariati, et uno equo valente, (*) etc. Cracovie Anno 1270. Per manus Twardislai Subcancellarij."

(*) Debet esse: „Valentem" (Nota Bentkovscii).

Vt Christo dicate Sanctimoniales Ordinis Sancti Benedicti. Domus atque Cenobij De *Stanantek*, Cracouiensis Dyocesis ibidem Deo commodius famulentur. Vniuersis et singulis uillis eiusdem Cenobij, hanc nostre gratie damus inperpetuum libertatem. vt omnes incole et inhabitatores uillarum siue omnes qui ad ipsum cenobium pertinent, ab omnibus exactionibus et solucionibus sint liberi et exempti. Ita sane, quod neque *Stan.* neque *vaccam.* neque *Strosam* soluant, hoc addito. quod nec coram castellanis nec coram palatinis aliquibus, nec coram iudicibus eorum aut aliorum quorumcumque respondeant neque citati compareant. Sed tantum littera sigillo nostro sigillata citati, coram nobis iudicabuntur de quacumque Causa fuerint euocatj. Volumus eciam ut ab omnibus edificationibus castrorum siue expeditionibus quibuscumque sint liberi et absolutj. preter Castrum Cracouiense et Castrum de *Cyrich* (²), ad que Corrigenda uel reedificanda ire tenebuntur. et ad expeditionem quamlibet sedecim homines cum clypeis mittent de omnibus uillis Monasterij supradictj. Preterea uolumus ut omnes incole et inhabitatores uillarum Cenobij suprascripti. ab *Opole* et ab omnibus solutionibus que in *Opole* contingunt, totaliter sint excepti et liberati. sed si quid aput (sic) eos contigerit pro quantitate excessus satisfacient domino nostro, iuxta consuetudinem et dispositionem. Damus insuper Monasterio prehabito forum circa Claustrum cum quinque thabernis inperpetuum. in quo foro neque iudex neque Monetarius presit uel dominetur. sed si aliqua causa ibi orta fuerit. a sepedicti Claustri prelato discuciatur. Statuimus eciam et donamus omnibus uillis Monasterii, hanc libertatem, ut in omnibus aquis que ad eos pertinent. castores uenandi liberam habeant facultatem. Item confirmamus ordinationem quam Comes Marcus heres et procurator sepe fati Cenobii. fecit. Cvm Suentoslao filio henrici. et Johanne fratre eius filio nicolay redimens ab eis unum litus fluuij *Rabe* ad alterum quod iure hereditario ipsum Claustrum habet. pro decem Marcis argenti denariatj. tali ordinatione ut agadibus (sic) superioribus usque ad terminos inferiores Molendinum construendi uel

(²) *Szczyrzyc* oppidum et monasterium (vide supra).

transponendi idem Monasterium liberam habeat potestatem. super quo permittimus ut thabernam que in *Lanskouich* (3) erat. ad molendinum transferant de nostra bona uoluntate. in quo molendino predicti Milites nullam habent potestatem. Confirmamus preterea emptiones omnes et commutationes hereditatum et sorcium omnium. quas procuratores et heredes monasterij iam nominati fecerunt. cum militibus et aliis quibuscumque. Relicta Comitis Clementis emit aput Setheum et fratrem eius Boxam sortem unam in *Kargow* commixtam suis agris pro decem et nouem marcis argenti denariati et uno equo ualente octo marcas argenti denariati. Aput Andream militem emit sortem in *blogocice* (4), pro uiginti marcis argenti denariati. Aput Comitem Dobeslaum filium Sandonis emit sortem in *Climentow* pro triginta Marcis argenti fusi et examinati. Wirbenta emit ibidem sortem pro triginta Marcis argenti denariati. et pellibus uulpinis. aput Comitem domaratum. et aliam sortem emit pro triginta Marcis argenti denariati. et pro duobus equis a filijs Cosme. Episcopus Prandota cum filia Wiceslay nomine Petrumila. contulit Claustro Duas sortes in *dolunos* (5). et in *grodouic* (6) tres sortes. Modlibosius prepositus emit a conuentu de *cyrich* in *balechouic* (7) partem hereditatis que erat ipsorum. pro uiginti quinque marcis argenti denariati. Pomnanus prepositus commutauit *Lubens* (8) pro sorte et thaberna in *satkouic* (9). Budiuoyo et fratribus eius filiis iohannis. Ratiborius prepositus emit *Crusinouam* (10) a filiis Jacobi Petro et fratre eius pro quadraginta marcis argenti denariati. Hermannus assumens ordinem contulit Monasterio de *stanantek* in *blogocic* unam sortem ipsius he-

(3) Łężkowice? (4) Villa regionis Miechoviensis, parochiae vero Niegardoviensis.

(5) Dolunos, est-ne hoc nomen villae *Dolany* quae in provincia Cracoviensi, regione Proszovicensi, parochia ad villam *Xiążnice Wielkie* pertinente sita est?

(6) Fortasse *Grodkowice* villa, regionis Czchovensis, parochiae Chełmensis in Gallicia.

(7) *Bolechowice? Bolechowiec* villa regionis Kielcensis, parochiae Chęcinensis.

(8) *Libiąż?*

(9) *Satkowice*, in indicibus locorum jam memoratis Felicis Łojko, Sławiński villam ecclesiasticam ejusdem nominis invenit in antiquo palatinatu (provincia) Cracoviensi, sed sine aliis annotationibus.

(10) *Krusinowa:* villam hanc nullo modo invenire potuimus.

reditatis. Vt autem hec nostra confirmatio, et nostre specialis gracie donatio inuiolata et firma permaneat. presentem paginam nostri sigilli munimine duximus roborandam. quam si quis de nostris successoribus ausu temerario infringere attemptauerit. in nostris et nostrorum parentum delictis aput deum reus teneatur. Acta sunt hec in *Cracouia* Anno domini M°. C°C°. LX°X°. presentibus hiis. Comite Warsio Castellano. Comite Petro Palatino. Cracouiensibus. Comite Laurencio venatore de *Clobucesk* (11). Comite Marco Castellano de *Polanec* (12). Comite Johanne subiudice Sandomiriense. Comite Poznano. subpincerna Sandomiriense. Datum per manus Twardoslay subcancellarij. Curie nostre.

(11) *Kłobuck* villa et oppidum territorii Wieluniensis, regionis Częstochowiensis, parochiae caput.

(12) *Połaniec* oppidum, parochiae caput, regionis Staszowiensis, Sandomiriensis territorii.

XLIV.

Cracoviae — 16 februarii 1271 anno.

Boleslaus Pudicus dux Cracoviae et Sandomiriae, privilegia a praedecessoribus suis monasterio *Andrejoviensi* collata, confirmat, postea abbati et conventui facultatem locandi civitatem *Andrejoviam* jure teutonico concedit, denique quatuor villas loco contiguas *Laskow, Suchodol, Landchin et Choloszyn* eidem civitati locandas donat et homines monasterii ab expeditionibus et castris aedificandis liberat (1).

In nomine domini amen. Nos Boleslaus Cracouie et Sudomerie dei gracia Dux illustris Vniuersis huius temporis et futuri Ad quos presentis pagine noticia peruenerit temporalis uite prosperitate perfrui et eternam felicitatem adipisci. Quum illo disponente a quo potestas omnis egreditur istarum regionum gubernacula possidemus quorum insuperabili pondere premimur et inextricabilibus curis in uaria sem-

(1) Ex archetypo illustrissimi Leonis Rzyszczewscii proprio descriptum.

per rapimur et insuper aliunde tam hostium quam molestacionum iaculis indesinenter (²) stimulamur nobis etiam inuitis contingit vt talibus occupati arma milicie christiane saluti nostre necessaria interdum negligamus. Ea propter necesse est vt remedium oportunum ea parte qua possumus annuente domino. non segniter acquirere satagamus. Ideoque personas ecclesiasticas et maxime religiosas duximus totis affectibus amplectendas qui spiritualibus oracionum videlicet Jeiuniorum obsequiorum dei et aliorum caritatis armis premuniti pro statu christianitatis et ecclesie fidelium quoque saluti contra nequicias spirituales et hostium humani generis incursus dimicant indefesse quatenus in eis diligentes ea que forte in nobis virtutum opera non habemus per compassionem fauorem protectionem et munificenciam nostram eorum deuocionis et laborum participes effecti diuine misericordie munus cum ipsis et per ipsos facilius assequi valeamus. Hinc est quod domus Andreouiensis sacre congregacionis cenobium Ordinis Cisterciensium Cracouiensis dijocesis in qua sanctorum organa iugiter resonare noscuntur et diuini cultus vigor et decor die noctuque diligencius exercentur gracia speciali prosequi tam in assequenda vtilitate quam pace eorum conseruanda et quod prouidere cupientes vt quanto quiecius tanto efficacius ibidem domino famuletur Abbati et conuentui supradicte domus de *Andreov* coram deo promittimus ipsorum priuilegia tam a nostris predecessoribus quam a nobis hactenus obtenta et in futurum domino concedente obtinenda inconcussa conseruare et mandare conseruari et ad nostros posteros transmittere conseruanda. Hiis nihilominus adijcientes et ob incolumitatem nostram nostreque coniugis generose domine Kunegundis illustris Regis Hungarorum filie nec non et ob salutem tam nostrarum quam progenitorum nostrorum animarum Ducali Largicione devota de voluntate et consensu predicte coniugis nostre et nostrorum Baronum Warsonis videlicet Castellani. Petri palatini Cracouiensis et aliorum nobilium terre nostre assensu et collaudacione concedentes vt dictis Abbati et Conuentui locare liceat et hedificare Ciuitatem.

(²) Et in apographo Muczkowscii: *indesinenter*, legitur.

ampliorem in villa *Andreov* (³). Jure Theutonicali videlicet noui ferj quam omnimoda et plena volumus gaudere libertate. de qua tamen libertate ad cautelam majorem aliquos articulos hic duximus exprimendos. videlicet ut nulli omnino nostre donacioni subiecti tam Castellanj Palatinj quam et alii cuiuscunque potestatis dignitatis uel honoris existant aut officio vel ministerio qualicunque fungantur possint in ea iurisdictionem aliquam aliquatenus exercere. Siue onus imponere aut prestacionem aliquam exigere vel quicquam exactionis nomine cuiuscunque extorquere. Sed solius Aduocati vel Solteti (sic), secundum uoluntatem et arbitrium Abbatis et Conuentus ibidem constituti iurisdictioni suberunt et eius iudiciis obsequentur. cuiuscunque lingue vel nacionis alterius existant Cyues facti vel inquilini. Aut et contrahentes vel delinquentes ibidem quamuis alibi domicilium habeant ab ipso solteto iure Theutonicali iudicabuntur et debite punientur. Exceptis sane terre nostre magnatibus et baronibus qui cum enormiter contra Cyues aliquos vel eorum aliquem excesserint seu Cyuis contra eos vel aliquem eorum ipsos videlicet magnates vel barones reos Jure polonico judicabimus. Cyuem vero remittemus Jure Theutonico Judicandum secundum quod in aliis cyuitatibus terre nostre jure Theutonicalj locatis fierj consueuit. Ceterum dicte Cyuitatis homines ad expeditiones et ad castra hedificanda nullatenus compellentur seu ire tenebuntur sed sepedictorum Abbatis et conuentus tantummodo commodis et vtilitatibus intendent. Hoc excepto quod si forte quod absit exercitus paganorum terram ingredientur vel et si inimici eam inuadent manifeste ire tenentur. sicut Cyues aliarum Cijuitatum terre nostre que iure theutonico sunt locate. Et ut demum nostre donacionis perfectioni nihil desit, in eadem Cijuitate et eius districtu nullam iurisdiccio (sic) nobis reseruamus aut nostris successo-

(³) *Andrejovia*, polonice *Jędrzejów*, villa olim Brzeznica dicta, (vide Codicis nostri Tomi hujus privilegium praemissum N⁰. V), nunc oppidum territorii Kielcensis, regionis vero suae et parochiae caput. De fundatione monasterii Andrejoviensis conf. praeclarissimum opus lingua vernacula Varsoviae editum, cui titulus: „Starożytna Polska," Tom I; pag 145—146.

ribus in posterum Volumus reseruarj qui (4) aduocatus ipsius Cijuitatis vel Soltetus si de prodicione patricidio vel terre predacione seu quod absit crimine lese majestatis inpetrarent? (5) vel similibus a nobis tantummodo et non alio aliquo theutonicali Jure iudicabitur et pena debita punietur. Ad hec quia predicta villa *Andreov* capax non est tante multitudinis et hedificiorum que sufficiant ad locandam Cijuitatem competentem non sufficiat Cyuibus aut colonis eorundem Ad cultum necessarium vel vtilitates oportunas Sepedictis abbati et conuentui liberaliter indulgemus et concedimus de consensu et voluntate ut supradictum est memorate coniugis nostre baromum que nostrorum supradictorum et nobilium assensu et collaudacione vt quatuor villas illi loco contiguas videlicet. *Lascov.* (6) *Suchodol.* (7) *Landchijn* (8) et *Cholosijn* (9) ipsi Cijuitati aplicent et incorporent cum omnibus vtilitatibus et pertinenciis suis. ita ut certis terminis ipsius Cijuitatis ambitus. Territorium et districtus a ceteris villis incorporatis discernatur A quorum (?) omnibus solucionibus et exactionibus. Ac aliis consuetudinis patrie legibus hoc quod sic aplicabitur predicte Cijuitati manebit absolutum. et eadem cum Cijuitate libertate pocietur. Vt autem huiusmodi nostra tam celebris quam pia donacio perpetue robur optineat firmitatis sigilli nostri venerabilisque patris nostri domini pauli dei gracia Episcopi et Ecclesie Capitulj nec non et supradictorum baronum nostrorum Castellani et Palatinj Cracoviensium sigillorum appensione priuilegium hoc fecimus insigniri. Subnotatis nihilominus aliorum nobilium nostrorum nominibus. Ad cautelam qui presentes affuerunt Que sunt hec Procopius Cancellarius noster per cuius manus hoc priuilegium datum est. Lassota prepositus Scarbimiriensis huius rei ordinator aput (sic) nos et promotor Vitus prepositus Sancti Floriani. Johannes Bobyn Thesaurarius noster. Scarbimirus Subcamerarius no-

(4) In apographo Muczkowscii: „nisi quod advocatus."
(5) In apographo: „Impeteretur.
(6) *Laskow* villa hodie territorii Kielcensis, regionis et parochiae Jędrzejoviensis.
(7) Villa ejusdem nominis nulla est hodie apud Andrejoviam; haud dubio olim fuerat.
(8) Nomen corruptum villae quae olim fuit.
(9) Hodie villam *Choloszyn* nullam esse in chartis geographicis, scimus.

ster. Demum si quis hanc nostre donacionis paginam infringere acceptauerit (?) uel ej ausu temerario contraire indignacionem omnipotentis dei eiusque matris Virginis gloriose se nouerit incursurum. Acta sunt hec in colloquio *Cracouie* Anno Domini millesimo Ducentesimo Septingentesimo primo Quartodecimo Kalendas Martii ([10]).

([10]) Doctiss. Antonius Muczkowski e confirmatione Sigismundi Regis an. 1533 novum apographon hujus privilegii descripsit in quo variantes tantum lectiones orthographiam spectant (Metryki kor. vol. 48 pag. 944) In hoc apographo in fine ejus legimus: Acta sunt hec in colloquio Cracovie. Anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo primo quarto Calendas Marcij, (in archetypo uti supra „quarto decimo kalendas)." Confirmatio vero talis est: Nos itaque Sigismundus Rex prefatus supplicacioni ipsius Venerabilis Alberti Abbatis Andrzeowiensis tanquam iuste, benigne annuentes. habentesque perspectam et cognitam virtutem ipsius ac in dirigendo et administrando monasterio suo curam et dexteritatem non volgarem (sic) quippe qui et cultum divinum in ipso Monasterio suo, temporibus priorum Abbatum neglectúm. ad debitum officium suum redegerit- edificiaque Monasterij partim collapsa instauret, ruinosaque fulciat et reparet, partim eciam nova erigat. ac villas et bona que a Monasterio prius alienata fuerunt. eidem monasterio recuperet. nichilque prorsus quod bonum et vigilantem Abbatem decet pretermittat. literas utrasque (*) preinsertas innovarj mandavimus auctoritateque nostra Regia approbavimus, ratificavimus, et confirmavimus ac approbamus. ratificamus et confirmamus. decernentes easdem utrasque literas preinsertas. nec non omnia et singula in eis contenta. in quorum usu et possessione pacifica ipse Abbas. conventusque suus. antehac semper fuerant. robur debite et perpetue firmitatis habitura esse. tenore presencium mediante. In cuius rei testimonium Sigillum nostrum est appensum. Datum Cracovie Sabbato ante diem festum Sanctissime Trinitatis. Anno domini Millesimo quingentesimo Trigesimo tercio. Regni vero nostrj. anno vigesimo septimo. Presentibus Reverendis in Christo patribus dominis. Petro Cracoviensi et Regni nostri vicecancellario. Joanne Premisliensi. Petro Camenecensi Episcopis. Nec non Magnificis Venerabilibus, et Generosis. Otta de *Chodecz* Cracoviensi. Stanislao de *Breszie* Sandomiriensi Palatinis. Petro Kmijtha de *Visnijcze* Sandomiriensi. Marschalcoque Regni nostri. Nicola de *Volija* Voijnijcensi. Petro de Opalenijcza Landensi. Spitkone de Tharnow Zawichostensi, et Regni nostri Thezaurario. Castellanis. Joanne Oleschnijczki preposito Scarbimiriensi. Samuele Maczieowski (sic) Canonicis Cracoviensibus Secretarijs nostris et alijs quam plurimis fide dignis. Datum per manus prefati Reuerendi in Christo patris domini Petri Episcopi Cracoviensis et Regni nostri Vice cancellarij sincere nobis dilectj.

(*) **Mentio de privilegio anni 1271 et de confirmatione ejus anni 1318.**

XLV.

25 *Junii* 1271 *anno.*

Stephanus rex Hungariae, filius et successor Belae varias libertates hospitibus Saxonibus de *Scepusia (Spiž)* confert (¹).

Stephanus dei gracia, Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rascie, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque Rex, omnibus tam presentibus quam futuris, presentem paginam inspecturis, Salutem in omnium salvatore. Regie, sublimitatis immensitas est in subjectorum oppulencia et specialiter multitudine, gloriari solet suorum fortuna libertate subditorum et solucionum ac seruiciorum numerum sive modum misericorditer moderari, uti prescriptis circa leges sinentibus, eorum numerus augeatur (²). Proinde ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire, Quod cum post transitum domini Bele Illustris Regis Ungarie terrarum, patris nostri recordacionis felicissime,

(¹) Ex apographo, quod in Tabulario Regni Poloniae asservatur (Metryki kor. vol. 21 fol. 261 et seqq.) descripserunt Antonius Muczkowski, et doctissimus rei litterariae Polonorum historicus, olim Tabularii praefectus Felix Bentkowski. Privilegium Stephani regis cum nonnullis tamen sed non satis claris ad legendum abbreviationibus, invenitur in transumptis annorum 1321 et 1420, quae etiam huc in annotationibus edimus. Stephanus ejus nominis quintus, rex Hungariae, filius Belae IV, regnavit intra annos 1270—72. *Scepusz*, *Scepusca*, *Zips*, polonice vero *Spiž*. *Ziemia Spiska*, terra in confiniis Poloniae et Hungariae, montibus, qui Carpathi dicuntur adnecta, provincia olim Poloniae, a temporibus Boleslai dicti Krzywousty, provincia Hungariae, postremo ad corpus Reipublicae Vladislao Jagellone regnante, rediit. De Scepusia, lege magni momenti dissertationem universitatis litterariae cracoviensis professoris Ludovici Zejszneri in opere: „Biblioteka Warszawska," 1854. T 3, pag. 1 et 197.

(²) Totam sententiam hanc, quae intellectu difficilis est et propter malam interpunctionem et propter abbreviationes, Bentkowski sic legit: „Regie sublimitatis immensitas est in subjectorum opulencia, et specialiter multitudine gloriari solet, suorum fortuna (abbr. *forma*) libertate subditorum et solucionum ac serviciorum numerum (multitudinem? abbr. *mtm*) sive modum misericorditer moderari, uti prescriptis circa leges sinentibus, eorum numerus (abbr. *nus*) augeatur.

ad nos Regni gubernaculum devenisset, jure successorio seu ordine geniture, placuit nobis inter cetera, libertatem fidelium nostrorum hospitum Saxonum de *Scepusz* graciosius reformare, concedendo eisdem hunc statutum et graciam libertatum. Quod nobis racione terrarii (sic) singulis annis tricentas marcas feini argenti cum pondere *Buden.* in festo sancti Martini confessoris solvere teneantur, quibus solutis, ab omnibus exaccionibus et collectis, dacijs et victualibus, que in Regno nostro exigi contigerit, sint liberi penitus et exempti. Deinde cum nos in Regno nostro vel extra regnum exercituare vel miliciam exercere exigerit (sic) temporis necessitas, Imperatori cum quinquaginta viris armatis lanceatis venire tenebuntur, sub vexillo regio viriliter pugnaturj. Cum autem nos provinciam intrare contigerit, quocienscumque illuc cum Baronibus nostris et nostra milicia veniemus, ipsi hospites nostri nobis in introitu dare tenebuntur decensum opulentum et similiter in egressu decensum delicatum nostre celsitudini competentem, et quod crebrius in conflictibus nostris sagwinem (sic) suum uberius effunderant (sic), nostre Magestatis Regie in conspectu. Hanc eisdem graciam libertatem duximus concedandam (sic) Quod liberam habeant licencie facultatem inter se committere, seu Judicem quemcumque voluerint eligendi, qui una cum Comite pro tempore constituto, omnes causas inter ipsos emergentes judicabit in *lelucha,* Ciuitate prouincie Capitali iuxta jus et conswetudines provincie approbatas; de penis vero et mulctis, seu Bersagijs, de causis majoribus provenientibus, Comes pro tempore constitutus duos recipiet denarios, Comitti provincie tercio denario permanente; hoc expresso, quod de simplici wlnere, quod non transit in mutilacionem, cedit media marca; de mutilacione, quinque marce; de fixura similiter quinque marce; de cede vero cedunt decem marce. Causas autem minores, pro peccunia vel hereditatibus, Comes provincie per se judicabit. Concessimus eisdem liberam licencie facultatem, sacerdotes quoscumque decreverint, in suas ecclesias eligendj, qui de ubertate nostre gracie liberis decimis iugibus temporibus pocientur, ad omnipotentis gloriam et honorem. Volumus ecciam, quod nullus Comitum pro tempore constitutorum, ipsos contra libertates eis concessas mo-

lestare audeat, vel presumatur. Insuper, de prerogativa speciali hanc ipsis dedimus libertatem, quod per nullius condicionis, status atque ordinis hominem, possint ad nostri presenciam extra provinciam evocarj, vel cittarj; maxime quod homines sunt simplices et in Jure nobilium nequeunt conversarj, agriculturis et laboribus intenti, proprio Jure et lege specialj perfruuntur. Verum omnes cause pro possessionibus, hereditatibus, metis et limitibus, facultatibus et mortibus, seu quibuscumque casibus per comitem pro tempore constitutum et Comitem provincie, terranis mediantibus judicabuntur, in loco superius memorato, secundum formam iuris. Deinde singulis annis ramis palmarum, Monetam nostre Camere Regie, cum omni reuerencia suscipere tenebuntur, et soleniter permitere currere scundum Jus, vigorem et lucrum Camere Regie cambire Tenebuntur universaliter, Ita quod Comes Camere vel sui officiales, quos ad hoc deputaverit, altero dimidio mense sive sex ebdomadis plenam habeant facultatem Cambyendi, Jus et lucrum Camere prosequendj, de qualibet marcarum in cujuslibet fori vel emcionis titulo recipiant unum pondus. Volumus ecciam monetam esse convente combustionis. Finito autem tempore sex abdomadarum (sic) expresso superius, Comites Camere surgent a cambio, cessante omni vigore eorundem, ipsa moneta nichilominus currente per totum annum, usque ad revolucionem nove monete, quod quilibet eorum liberam habeat licenciam emendj, vendendi cum ipsa moneta, cum auro et argento vel cuiuscumque substancia facultatem; nec pretermittendum, quod sepedictis hospitibus nostris fidelibus, in aquis piscandi, in siluis venandi, plenam concessimus libertatem. Volumus insuper, quod in metis et limitibus siluis et nemoribus per nullius condicionis hominem impediantur vel grauentur. Verum ipsi larga pociantur licencia. Siluas extirpandi, et in terram arrabilem rediendi, suisque usibus applicandi. Cum autem collectores terragij nostri, certo tempore prescripto, ad ipsos pervenerint, tenebuntur eos suscipere honorifice et gratanter (sic) in certo numero quatuor personarum, et quinque equorum, quibus in victualibus et delicijs laucius providebunt, donec summa tricentarum marcarum cum pondere prenominato integraliter colligatur. Postremo ipsis petentibus hanc concessimus gra-

ciam querendi mineram, et metalla in montanis inventa colere, et suis usibus applicandj salvo nostro jure dedimus potestatem. Ut igitur huius a nobis concessa libertas (sic) series et robur obtineat perpetue firmitatis, nec per quempiam processu temporis retractari valeat, aut irritum quomodolibet enitarj, presentes concessimus literas duplici nostri sigilli munimine roboratas. Datum per manus Magistri Benedicti Ordiensis Ecclesie prepositi, Aule nostre Vicecancellarij dilecti et fidelis nostri. Anno domini Millesimo. C. C. septuagesimo primo Octo (sic) kalendas Septembres, indicione quarta decima, Regni autem nostri anno secundo ([3]).

([3]) Hoc privilegium confirmavit capitulum ecclesiae Scepusiensis primo, seculo decimo quarto (1321), secundo, decimo quinto (1420), tali modo:

1420.—Nos capitulum Ecclesie beati Martini de *Scepus*, memorie commendantes, tenore presencium Significamus, quibus expedit universis, Quod prouidus vir Nicolaus filius helbrandj Judex de Suburbio Castri Scepussiensis (sic), ad nostram personaliter veniendo presenciam, nobis in sua ac totius Comunitatis Civium et hospitum suorum de eadem personis exhibuit quas (sic) literas nostras priuilegiales tenoris infrascripti, petens nos humilj precum cum instantibus, uti eosdem (sic) demum sub sigilli nostri testimonie rescribi facere dignaremur ad cautelam. Quorum (sic) tenor sequitur in hec verba.

1321.—Nos Capitulum Beati Martini de *Scepus*; Significamus quibus expedit tenore presencium universis, Quod ad nostram accedentes presenciam Saxones de eadem provincia *Scepus*, exhibuerunt nobis priuilegium Stephani, condam regis Ungarie supers nis libertatibus confectum, id ipsumque priuilegium propter viarum discrimina iunctis *formidensibus* fortune casibus, nobis cum instancia supplicarunt, ut ipsum sub nostri sigillo (sic) testimonio ad cautelam rescribi faceremus. Cujus quidem priuilegij tenor talis est: (*Hoc loco illud nostrum privilegium Stephani regis*).

Nos itaque ipsorum licitis peticionibus annuentes, ipsum privilegium de verbo ad verbum presentibus fecimus inserj et rescribj, pendentisque nostri Sigilli testimonio communiri. Datum in die Beati Benedictj Abbatis, Anno domino Millesimo trecentesimo vicesimo primo (1321).

Nos igitur iustis et legittimis causis peticionibus predicti Nicolaj Judicis fauorabiliter et causa communi iusticie inclinatj, predictas literas nostras, omni prorsus vicio et suspicione carentes, de verbo ad verbum, sine diminucione et augmento, presentibus inseri facimus et conscribi, appensioneque sigilli nostri Eidem Nicolao et suis civibus duximus concedandum (sic) ad cautelam prenotatam. Datum feria tercia proxima post Dominicam Ramispalmarum Anno Domini Millesimo quadrigentesimo vicesimo (1420).

XLVI.

Cracoviae — 1272 anno.

Boleslaus Pudicus, Cracoviae et Sandomiriae dux, et Petrus cum fratribus filii Jakubconis militis, quilibet partem suam villae *Krusinowa* monasterio *Staniątcensi* vendunt; Boleslaus etiam foedus pactum ratione ejusdem villae inter monasterium et Petrum confirmat (1).

In nomine dominj amen. Qvia condicionis humane imminente necessitate. cunctis morientibus et generacionis beneficio aliis succedentibus. quantumcumque publice uel sollempniter acta. temporis mutabilitate. et plurima distancia. futurorum euadunt memoriam. si non instrumentorum fuerint serie declarata. Noscant igitur presentes et futurj. quod nos *Boleslaus* dei gracia. Dux. Cracouie. et Sudomirie ad instanciam Wisenege Magistre de *stanutek* femine religiose. partem hereditatis quam occupauerat eiciens homines nostros. Jacubek miles. qui in eadem hereditate *Crusinoua* (2) aliam partem iure hereditario possedit. vendidimus pro triginta Marcis argenti cum omnibus utilitatibus in perpetuum possidendam. Alteram vero partem dicte hereditatis. Petrus cum fratribus. filii predicti Jacubconis, eidem Magistre de *stanutek*. vendiderunt pro quadraginta Marcis argenti. eodem perpetuo iure habendam. tale fedus abutraque parte coram nobis firmantes. ut qui ipsam venditionem irritam facere. uellet, de ipsorum posteritate, duas Marcas auri dominio nostro soluere teneretur. ipsa ordinatione in suo statu persistente. super quo nos damus et concedimus, hereditatj iam prefate omnem libertatem. quam alie uille a nobis habent ad ipsum monasterium pertinentes. Vt autem hec nostra vendicio et confirmatio inuiolabilis et perpetua fiat. presentem paginam ad poste-

(1) Ex archetypo membranaceo monasterii Staniątcensis proprio descripsit doctissimus Sławiński. Sigillum quod supra in annotatione ad N°. XXVIII privilegii Boleslai Pudicis anno 1254 hujus Tomi, descripsimus: reliquiae tantum in eo verborum: *S. Boles....* videntur. Funiculi virides.

(2) De *Krusinowa* mentionem legas supra in privilegio N°. LXIII.

rorum memoriam supradicte Magistre dedimus nostro sigillo roborratam. Actum in *Cracouia* anno domini. M°. C°C. LXXII. presentibus hiis quorum nomina sunt ista. Comes. Wars. castellanus, Comes. Neustup. palatinus. Cracouienses. Comes Scarbimirus. castellanus de *Woynic*. Comes poznanus filius sulkonis. Comes Sbigneuus de *Kdow*. Comes hinzirus (sic) et alij quam plures.

XLVII.

30 *Martii* 1274 *anno*.

Paulus Episcopus Cracoviensis monasterio Andreoviensi Cisterciensis ordinis decimas mensae episcopalis in villis *Przelank* **et** *Kozanki* **confert** (1).

Universis ad quorum noticiam presencium tenor pervenerit. Paulus dei gracia Cracoviensis Episcopus Salutem in domino sempiternam.

(1) Ex sequenti transumpto regis Sigismundi primi, quod in Tabulario Regni in libris dictis „Metryki koronne" (vol. 48, fol. 949) asservatur, descripsit Antonius Muczkowski.

„In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Facta hominum quantumcumque memorabilia delet ac obruit oblivio nisi in literas referantur, ac deinde temporis vetustate labe factata innoventur. Proinde nos Sigismundus dei gracia Rex Polonie etc. necnon terrarum etc. dominus et heres. Significamus tenore presencium quibus expedit universis et singulis etc. Quia Venerabilis Albertus de *Clodawa* Abbas Monasterji Andrzeowiensis. Exhibuit coram nobis literas pargameneas. infra scriptas. Pauli olim Episcopi Cracoviensis donacionem decimarum in eis specificatarum continentes. Sigillis duobus. altero predicti Pauli Episcopi, altero vero Capituli Cracoviensis obsignatas salvas. illesas. et ab omni suspicione prorsus alienas. Supplicavitque nobis idem Abbas. ut eas ipsas literas innovarj mandare. auctoritateque nostra Regia confirmare dignaremur. Quarum quidem literarum tenor hic sequitur et est talis." (*Huc privilegium quod supra*).

„Nos itaque Sigismundus Rex prefatus supplicacioni prefati abbatis tanquam iuste. benigne annuentes. preinsertas literas innovarj fecimus. auctoritateque nostra Regia. approbavimus. ratificavimus et confirmavimus. ac harum serie literarum. approbamus ratificamus et confirmamus. decernentes omnia et singula in eis contenta in quorum usu ac possessione continuata et pacifica Monasterium et conventus Andrzeowiensis hucusque fuit. robur debite et perpetue firmitatis habitura esse. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum Cracovie Sabbato ante festum Sanctissime trinitatis. Anno domini Millesimo quingentessimo trigesimo tercio. Regni nostri anno vigesimo septimo. Presentibus quibus supra."

sicut eorum qui neque iusta. neque saltem honesta precibus obtinere nituntur peticiones non consenit exaudiri. sic versa vice. iusta vel honesta petencium votis exaudiendis aditum non condecet intercludi. Igitur cum dilecti nobis frater Joannes Abbas et conventus Andrzeowiensis Cisterciensis ordinis et Cracoviensis diocesis mediante magistro Gerardo decano Cracoviensi ad nostram presenciam accessissent. Ostenderunt quod si de nostra munificencia mererentur adipisci decimas quasdam ad nostram mensam pertinentes. videlicet in *Przelank* ex utraque parte aque. et ibidem in *Cozankj* multo plus commoditatis eis per hoc accresceret. quod (quam?) revera utilitatis eo quod predicte decime inter villas et decimas in illo loco haberi quasi sole videantur. propter quarum carenciam multa damna et incommoda singulis annis pati dinoscuntur. Unde tam devote quam humiliter petiverunt. ut ipsis memoratas decimas conferre tam pie quam misericorditer dignaremur. Nos autem attendentes predicti Cenobij obsequiose devocionis puritatem quam semper habuerunt ad ecclesiam nostram. et domino concedente semper habebunt. cupientes nihilominus per ipsorum instanciam oracionum suffragijs specialiter apud deum adiuvari, deliberatione habita sufficienti. cum nostro Capitulo. ac ipsius capitulj non solum accedente consensu. sed eciam interventu predictorum Abbatis et conventus peticionem per decanum predictum affectuose porrectam, benigne duximus admittendam. predictas decimas quas petiverunt in elemosinam domui Andrzeowiensi providendo liberaliter perpetuo conferendas. In cuius rei evidenciam et memoriam presentem paginam. nostri pariter et capituli sigillorum appensione roboratam. sepedicto Monasterio in munimen perpetuum duximus concedendum. Datum anno domimi M°. CC. Septuagesimo quarto tercio Calendas Marcij.

XLVIII.

Tineciae — 14 Octobris 1274 anno.

Cosmas abbas monasterii Tinecensis permissu Boleslai Ducis Cracoviae et Sandomiriae consulendo profectui suae ecclesiae S. Georgii in arce cracoviensi, villam *Bronowicze* Henrico et Gerardo civibus cracoviensibus jure theutonico locandam cum variis conditionibus permittit (1).

In nomine domini Amen. etc. Ideo ego Cosmas miseratione diuina dictus Abbas domus atque cenobij Thinecensis, notum facio universis etc. Quod de praemissione et grata voluntate domini mei Serenissimi principis, domini Boleslai Illustris Ducis Cracoviae et Sandomiriae, et de unanimi voluntate omnium fratrum meorum et sororum, et de pleno et unanimi assensu totius mei Capituli, profectui et ampliationi ecclesiae meae sancti Georgii Martyris in castro Cracoviensi, unam villam mei coenobij, pertinentem eidem ecclesie sancti Georgii, nomine *Bronowicze*, sitam in monte, qui dicitur *vrosna gora* prope civitatem Cracoviensem, dedi et contuli Henrico et socio eius Gerardo civibus Cracoviensibus iure Theutonico locandam et disponendam, tali videlicet iure, quali ipsa Civitas Mouiforensis (sic), que iacet circa Wratislauiam, est locata, constituendo praedictos Henricum et Gerhardum in eadem villa scultetos et Judices, et veros haeredes et legitimos possessores, ac omnes ipsorum posteros ac successores, et hoc de bona voluntate et omnimodo consensu domini Joannis rectoris iam dicte ecclesie Sancti Georgii et possessore (sic) praefatae villae, sub tali forma pacti, Ita quod omnes incolae et habitatores, quicunque in saepedicta villa Canonici Mansionariorum invenientur,

(1) Apographon a doctissimis Muczkowscio et Bentkowscio e libris Metryki koronne dictis, quae in Tabulario publico Regni asservantur, descriptum (Metr. vol. 98, fol. 143). Apographon ipsum depromptum e transumpto anni 1564.

infra quodecem annos censum et decimam solvere non debent, elapsis vero duodecim annis libertatis, Ecclesie Sancti Georgii saepius nominatae, quatuor mensuras triplicis annonae, videlicet quatuor mensuras tritici, quatuor siliginis, quatuor avenae, singulis annis pro decima solvere tenebunt (sic), pro censu vero novem scutos (sic) argenti usualis Similiter solvendos, et hoc secundum praefatum ius infra octavas Sancti Martini Confessoris. Praenominati autem sculteti, et eorum posteri, in eadem villa *Brunowicze* quinque mansos liberos a qualibet solutione census et decimae iure haereditario possidebunt, et unam tabernam similiter habebunt liberam, et exemptam ab omni solutione et exactione; pro rectore vero Ecclesiae duo mansi debent integre reseruari, et omnes debent esse longi. Habent insuper ijdem sculteti liberam potestatem scultetiam suam donandi, vendendi vel quocunque modo alio a se alienandi. Item de iudicij (judicio?) post elapsam libertatem duo denarij semper cedent ecclesiae iam plures recitatae (sic), et totius (totidem?) ad soltetos pertinebit. Ne autem quispiam in posterum hanc ordinationem possit aliquatenus immutare, praesentem eis paginam in testimonium et perhennem memoriam, super confectam concessi mei sigilli et capitali (sic) munimine memoratam. Acta sunt autem haec anno domini 1274. Inditione ecclesiastica. praesentibus etc. Datum *Tinetiae* (²) in die beati Calixti Martyris, per manus Leonardi scriptoris curiae meae.

(²) *Tinecia*, *Tyniec*, urbs ad Vistulam in Gallicia.

LXIX.

Korczynii — 13 decembris 1275 anno.

Boleslaus Pudicus dux Cracoviae et Sandomiriae cum sua uxore Cunegunda, vulgo Kynga dicta, privilegia donationum et libertatum tam villarum quam ascripticiorum earundem a rege Boleslao, regina Juditha, nec non a ducibus Boleslao et Vladislao filio, monasterio Tyniecensi datarum, renovat et confirmat (1).

In (2) nomine domini nostri Jesu Christi Amen †. Cum inter opera karitatis minimum non existat vitam religiosam eligentibus et geren-

(1) Vide huius nostri Tomi tertii, privilegia Nr. 1, 2, 3. Transumptum Boleslai Pudici, in quo illa tria inveniuntur, nobis tanti momenti esse videtur ut illud totum cum privilegiis insertis hoc loco repetendum esse duximus.

Privilegium hoc edidit jam clarissimus rerum Poloniae gestarum scrutator Szczygielski in *Tinecia* pag. 188 et sequ. sed edidit male et propterea occassionem aliis auctoribus historicis dedit, ut de fide illius dubitarent (Naruszewicz, Historya narodu Polskiego editio Mostowsk. III, pag. 180 et 411. Lelewel, Początk. Prawod. pag. 161. Roeppell Geschichte Polens I, pag 643). Nuper doctissimo Venc. Alex Maciejowscio a quodam viro rei litterariae studioso missum est ex Gallicia diploma tiniecense in tabulario quodam privato asservatum, quale huc prelo dedimus. Archetypon ipsum scriptum est in charta pargamena; funiculis sericis coloris rubri duo erant appensa sigilla, sed desunt. Unde Maciejowski intelligebat, diploma verum esse, sed tantum ex mendoso exemplari a Szczygielscio descriptum. Hanc ob causam edidit eruditissimus auctor hoc privilegium anno 1847 in opere, quod Varsoviae singulis mensibus etiam nunc editur et cui titulus: Biblioteka Warszawska 1847. IV. et notis illud illustravit (pag. 287—325). Diplomata enim Boleslai regis et Judithae reginae antiquissima Polonorum documenta, maximi momenti apud nostros esse debent

Privilegium quod sub N°. 1 edidimus, Boleslai Chrobry non Boleslai Audacis esse, Maciejowski demonstrat, nam in transumpto Boleslai Pudicis, rex primus fundator monasterii Tiniecensis dicitur *gloriosus* (sic et in tumulo ejusdem regis Boleslai Chrobry in ecclesia cathedrali posnaniensi legimus: „hic jacet in tumba, *gloriosa* columba etc.). Denique in hoc transumpto anni 1275 memorati a Pudico illustres duces Boleslaus et Vladislaus filius, sunt Boleslaus dictus Krzywousty et Vladislaus postea primus dux Silesiae, qui testimonium dant Aegidio cardinali, privilegia tiniecensia reverenter custodita a successoribus fundatorum fuisse, id est, a se ipsis, ab avis et proavis. Itaque Boleslaus Audax non potest proavis Boleslai Krzywousty adnumerari, sed Boleslaus primus rex, dictus Chrobry, *gloriosa* columba.

Restat, ut difficultatem de anno 1105 transumpti Boleslai Krzywousty deleamus. Hoc anno cardinalis Aegidius in Polonia non fuit, et Vladislaus filius illustris ducis Boleslai Krzywousty minorennis unum tantum annum habuit. Quo modo igitur cardinalis potuit

tibus pium et benignum facere presidium et prestare ne forte cuiuslibet temeritatis incursus aut eos a sue devocionis proposito revocet, aut vigorem quod absit sacre religionis contingat infringere seu turbare. Nos Bolezlaus dei gratia Dux Cracouiensis et Sandomiriensis cum nostra carissima Coniuge Domina Kynga ob reuerentiam omnipotentis dei et Ecclesie sancte, ac in remissionem nostrorum peccaminum animarumque nostrarum salutem, nichilominus etiam propter servitia utilia venerabilis in Christo patris domini Cosme divina miseratione Abbatis Tynciensis et Canonici Cracouiensis nobis et nostre terre impensa fideliter et frequenter paci, tranquillitati et vtilitati virorum religiosorum fratrum Conuentus eiusdem domini Abbatis Tynciensis uolentes benigna sollicitudine prouidere, priuilegia donationum et libertatum datarum tam villarum quam ascripticiorum eorundem et aliarum rerum, a glorioso Rege Bolezlao excellenti quoque Regina Juditha Regni Polonie, necnon postmodum ab Illustribus Ducibus

confirmare donationes regum et ducum monasterio Tiniecensi et quomodo Vladislaus infans cum patre suo potuit renovare privilegia? Episcopus Radostus etiam anno 1115 cathedram cracoviensem accepit; quomodo igitur decimas eidem monasterio, uti episcopus, potuit conferre? Ad has objectiones respondit Maciejowski, diploma Boleslai Krzywousty in transumpto Pudicis insertum duas redactiones et in forma et in ipso tenore habuisse, alteram legati sedis apostolicae cardinalis Gualdonis anni 1105, alteram anni 1125 cardinalis legati Aegidii. Rex Krzywousty renovat privilegia suorum praedecessorum anno 1105 et addit monasterio „Opatovech," praesentibus testibus Skarbimirio et Voyslao. Quum viginti annis post, Radostus episcopus etiam voluit decimas aliquas monasterio conferre et propterea novum privilegium dare, cancellarius Boleslai regis inscripsit donationes episcopi et novos testes in antiquum privilegium, quod cardinalis Aegidius authoritate sua comprobavit. Utcunque se res habet, ipsa epacta et indictio in diplomate de anno 1105 memorata docent, numerum XX omissum esse more illis temporibus usitato: observationem hanc communicavit cum Maciejowscio nuper defunctus Adrianus Krzyżanowski olim in universitate litteraria Varsoviensi Matheseos professor, rerumque patriae gestarum amantissimus auctor. Sed de hac re prolixe et doctissime disserit ipse Maciejowski (vide „Biblioteka Warszawska," ut supra). Contra illius sententiam scripsit Dominicus Szulc in opere polonico „Przegląd Warszawski".... sed sine gravibus causis rem posuit. Maciejowski tamen respondit Szulcio, vide Biblioteka Warszawska 1848, I. pag. 116—131.

Haec privilegia, et quodlibet suo loco et nunc omnia in transumpto damus, ut clarum sit quod Boleslaus Gloriosus (Chrobry), quod Vladislaus Hermannus cum uxore Juditha regina. quod Boleslaus Krzywousty cum filio, quod Radostus episcopus et denique quod Boleslaus Pudicus monasterio donarunt.

(²) Privilegium renovationis Boleslai Pudici incipitur.

Bolezlao et Wladizlao filio suo dominantibus in Polonia duximus renouanda, et que minus lucide dicta fuerant, declaranda et etiam confirmanda, ne caligo vetustatis et rubigo antiquitatis priuilegiorum datorum Tynciensi Monasterio in posterum possent aliquod preiudicium generare. Quarum donationum et libertatum confirmationem factam per venerabilem patrem dominum Egydium Tusculanum Episcopum felicis recordationis de verbo ad verbum presentibus inseruimus sub hac forma.

In (³) nomine patris et filii et spiritus sancti. Omnes fideles christianos qui dei ac proximi dilectionem habere noscuntur sanctam ac venerabilem Christi Ecclesiam fideli reuerencia condecet augere, et monasteriorum quieti summa cum deuotione tam in temporalibus quam in spiritualibus prouidere, ne religiosorum virorum quies aliqua interueniente controuersia, disturbata, eterne dulcedinis suauitatem degustare et sancte deuotioni prout saluti eorum expedit insistere nequeant. Quapropter ego Egydius Thusculanus Episcopus sancte Romane Ecclesie et domini Kalyxti Pape per Hungaricum et Polonicum Regnum legatus, sancte Tinciensi Ecclesie consenciente gloriosissimo Polonorum Duce Bolezlao et filio eius Wladizlao et Episcopo Cracouiensi Radosto, quidquid eadem Ecclesia in predijs et foris Thabernis et macellis presentibus et futuris et quod polonico more *Pomochne* dicitur, sive omnem censum quali vel quocumque modo vulgariter nuncupetur, et duodecim Marcas argenti pro occiso homine soluendas, si inter homines Ecclesie Tinciensis quod absit euenerit, que omnia eidem Ecclesie a *Bolezlao* Rege et Juditha Regina concessa esse prefatus Dux testabatur. et a se, et ab omnibus auis. proauis suis reuerentur custodita. testabatur. *apostolica* Auctoritate decretali concessione firmamus quidquid habet et tenet, vel futuro tempore iuste acquisierit (⁴). Id est Thinciensem villam cum transitu nauali et una taberna, secunda ultra fluuium cum voto Ducis duodecim Marcarum argenti et tribus poledris singulis annis et omnibus ministris curie

(³) Privilegium Aegidii cardinalis anno 1125.
(⁴) Privilegium sequitur Boleslai primi regni dieti *Chrobry*.

Regis competentibus, cum omni castellatura ab omnium impedimento defensis, tam Pistoribus, Lagenariis, quam Cocis et Camerarijs Piscatoribus et Pecorarijs, et omni *constantia* (sic) muniuit villam *Lantiki* cum ascripticijs, villam *Kasow* cum ascripticijs, villam *Cysow* cum Smardonibus sub una circuitione. *Wojtouo* cum Piscatoribus, Ninec Priuit artifex Lagenarum et doliorum. *Prandnyk* cum una taberna cuius heredes Mars et Ratey tres scotos soluentes. Que ville ab omni sunt pensione Ducis immunes. Duo macella in *Cracouia*. In *Sydina* quatuor *surouice* et due taberne et *zamar* de uuaquaque sartagine et *dedina*. *Chorouice* villa, *Radessow* villa cum mellificio et venatione. In *Bytom* Thargoue due taberne. In *Sewor nonum* Thargoue, una taberna, unum macellum, *Stecleth, Grussow*. Ad magnum salem quartuor (sic) *thargoue* et quatuor taberne et *pecine*, et qualibet septimana tres alueos et quartum *sredne*, et septem pro lignis. *Labscicia* et cum *Coyanow* et sale et seruo *Zului* et fratribus eius (5). Regina Juditha contulit Thinciensi Ecclesie *Kxegnyci* cum taberna et seruis Sokol et filijs eius Nedamir et Milui *Zgliza*. In *Dolany* kamerarij Moris, Tuor, Petrus cognominatus Zrobadło, Damian in litore Wisle, Camerarij in *Kargow* Sulek pistor. In *powozow* Zira cum fratribus. *Tukow* heredes Medwed, Rsech, Mych, Woyan, *Zdanouici* villa *Pozropis, Miley*, Brestrik, Paleta. *Vnochouici* villa Vnoch, Graza, Carbela, *Zbor*. Bezdochouici villa Vnic, Gostenta, *Suepetnici* villa *Nenomysl, Crothouici* villa *Croth*, Varga Zuloth, Mlodos, Wisetrop. *Sebna* villa Graza, Gnevan. *Doborin* villa Reuesa, Mlotha, Dobrosta. *Similno* villa Syrokina Negrod. *Pouozow* villa Neguz Veuoz, Rodesa. *Cecouici* villa Gneuoni et Granzonis Malchina, *Vnemisl*, *Sdun*, *Tharnow*, *Pilzno*, Mislouici Zdebuc, Neroda, Nedosa, Repoch, Lube, *Ucolici*, Fabri In *Dunauiz* domine Judithe homines Radesa, Nemoy, Zduta, Radech. *Vnesici* villa Zdimir, Drogota, *Zgles* Lezteka, *Tesela*, *Vsezul*. *Zobolici* villa Miley, Ztron, *Borsa*. *Clececi* villa Ztroy, Piuona Crazika, Vnes, Crassek, Negan, Zglon, *Brestek, Billa*, Banz, Rados. Hij omnes homines cum

(5) Privilegium Judithae reginae uxoris Boleslai primi incipitur.

villis in *Knegnych* pertinentes, Ecclesie Thinciensi tributum et Strozam cum Pomochne soluunt (6). *Opatovech* quod Rex Bolezlaus cum foro et taberna et transitu nauali et voto duodecim marcarum singulis annis et duabus tabernis in *Wisla* ecclesie Tinciensi contulit cum hominibus Rac, Chrust, *Branco*, Duran. Harum villarum decimas et omnium que religiosis viris collate sunt rogatu Ducis Bolezlai Radostus Episcopus eidem Ecclesie contulit. Thinciense vero *monasterium* omnimodo liberum esse, apostolica auctoritate decernimus, saluo tamen honore et reuerentia Cracouiensis Ecclesie ac domini Radosti, suorumque successorum, scilicet. ut nullus Dux, Episcopus, Marchio, Comes, vicecomes, nulla persona magna uel parua Ecclesiam Thinciensem molestare vel de predijs et decimis Ecclesie aliquid subtrahere presumat †. Quisquis (7) autem huius nostre pagine *extiterit violator*, vel de Ecclesie rebus aliquo conamine quidpiam au*fere* voluerit, a liminibus sancte Ecclesie et omnium fidelium Christianorum consorcio separatus ac viuifico corpore et sanguine domini nostri Jesu Christi segregatus, iram omnipotentis dei et maledictionem *omnium sanctorum* incurrat, et sit anathema maranatha, et cum Juda traditore in die iudicij portionem accipiat. Qui custodierit et dei ecclesiam non molestauerit, benedictio quam promisit deus diligentibus se, in eum descendat, et cum fidelibus omnibus vitam eternam possideat. Amen. Acta sunt hec Anno Incarnationis domini M°. C°. V. Indictione XIII, pacta III Sub Bolezlao Duce in ciuitate Cracouiensi, annuente ipso Duce et Episcopo Radosto, coram hijs testibus Scarbimiro, Woyzlao *Poztigo*, Andrea, Sulek cum filio Martino: *Brondota, Duagor.*

Quapropter nos (8) predecessorum nostrorum vestigijs inherentes prefatum monasterium et conuentum speciali deuotione et gratia prosequendo, libertates, exceptiones, donationes et immunitates uniuersas et singulas, memoratas, indultas et concessas a glorioso Rege et Regina, nec non ducibus prefatis de grato et communi consensu pariter et assensu ac unanimi voto venerabilis patris Domini Pauli

(6) Privilegium Boleslai dicti Krzywousty in privilegio Aegidii incipitur.
(7) Finis transumpti Aegidii cardinalis.
(8) Finis privilegii renovationis Boleslai Pudici.

Episcopi Cracouiensis et nostrorum Baronum videlicet Warsonis Castellani, Neustup Palatini Cracouiensium, Janussij Palatini, Myrozlai Castellani Sandomiriensium, Sassini Castellani Wizliciensis, Scarbimiri Castellani de *Wogynich* (9), Nicolai Castellani de *Beyech* (10) et aliorum omnium Castellanorum et Judicum existentium in Ducatu Cracouiensi et Sandomiriensi, perpetua sanctione presenti decreto inuiolabiliter confirmamus, statuentes perpetuo ut quemadmodum a predecessoribus nostris proauis, auis et parentibus nostris dicte ville cum pertinentijs suis et etiam ville que nunc lacate (sic) sunt vel locari debent in territorijs earundem cum omnibus ascripticijs suis presentibus et futuris et tributis eorundem, monasterij Thinciensis quiete et pacifice retroactis temporibus extiterunt, remaneant stabiles et inuiolabiles perseuerent. A nobis et a nostris successoribus in suo robore firmitateque perpetua durature. Si quis vero ascripticiorum dictarum villarum et aliorum ibidem habitancium pro re aliquo maleficio seu contrahctu (sic) vel alia qualicumque iniuria ad nostram siue Castellanorum seu Palathinorum aut Judicum predictorum aut ad quorumcumque Officialium presentiam citatus fuerit, non respondeat nec proinde aliquam penam recipiat, sed coram Judice Monasterij Thinciensis, contra ipsos si quis aliquid questioni acceptare voluerit, suam Justitiam prosequatur. Ne autem ausu temerario et iniquo hanc confirmationem et declarationem predictarum villarum ascripticiorum necnon libertatum eorundem quispiam attemptet infringere in posterum et presumet, ipsam sigillis nostro et Karissime Coniugis nostre superius nominate duximus roborandam. † Quisquis autem omnium premissorum in fauorem et quietem religionis sacratissime concessorum, vel in quocunque eorum violator extiterit seu transgressor, iram omnipotentis dei et Electorum suorum incurrat, super hoc rationem grauissimam in die iudicij redditurus, et cum maledictis et iniquis in gehenna recipiat portionem. Actum publice in *Chorcyn* Anno domini M°. CC°. LXX°. V°. In die sancte Lucie; Indictione III. Epacta XXII presentibus prefatis domino Paulo Episco-

(9) *Wojnicz.* (10) *Biecz* oppida in antiquo palatinatu Cracoviensi, hodie in Gallicia.

po, Castellanis, Palathinis et Judicibus et consencientibus ut superius est expressum. Necnon presente domino Procopio, nostro Cancellario, per cuius manus presens pagina est donata, et alijs quammultis.

L.

Sine loco — 13 Maji 1276 anno.

Boleslaus Pudicus Cracoviae et Sandomiriae dux, comiti Wierzbiętae (Virbentae) facultatem villam *Przeginia* jure theuthonico locandi permittit (1).

In nomine Domini Amen. Dum vivit littera, vivit et actio commissa litterae, cuius assertio munit memoriam et mundanas ea perpetuat actiones; habent enim minus memoriae minusque fidei, quin iuvacis litterae videlicet Privilegii suscipiant firmamentum. Sciant igitur universi tam praesentis aetatis quam posteri, ad quorumcunque notitiam delatum fuerit praesens scriptum, Quod Nos Boleslaus Dei gratia Cracoviae et Sandomiriae Dux Damus et conferimus Vcechoni (sic) nomine Comitis Virbentae, filij Clementis quondam Palatini Cracoviensis potestatem locandi villam Jure Theutonico, Jure videlicet Franconico in *Pregina* (2) super magnam stratam, in monte qui dicitur *Kamona góra,* quae est haereditatis eiusdem Virbentae, ita quod ibidem ei praecepimus assignare Quinquaginta mansos longos, in quibus omnes Incolae a solutione census et Decimae infra viginti annos gaudebunt libertate, post elapsam vero libertatem de quolibet manso nobis singulis annis solvent si videbitur aut eidem Comiti Virbente pro censu dimidiam marcam argenti usualis et pro Decima sex mensuras triplicis annonae, duas videlicet Tritici, et duas siliginis, totidemque avenae, Dicto autem Ucechoni et omnibus eius Successoribus

(1) Privilegium hcc Josephus Łepkowski nobiscum communicavit.
(2) *Przeginia* villa territorii et regionis hodie Ilcussiensis, parochiae sui nominis caput, fuit olim villa illustris generis Poloniae Tęczynsciorum propria, qui ab illa comites de Przeginia appellabantur.

ac posteris in eadem villa conferimus Sculteciam Jure haereditario perpetuo possidendam et sextum mansum liberum, tabernam, macellum carnificum et duas mensas, unam panificum, et aliam calcipariorum (sic), De Judicijs vero tertium denarium, Sed pro nobis aut eodem Comite Virbenta de eisdem duos reservantes, In eadem autem villa specialis nuntius noster ter in Anno Judicium faciet et omnia Judicia et negotia in eadem villa et omnes Causae semper. secundum consuetudinem Juris Franconici disponentur et terminabuntur, et si aliquis Casus gravis et enormis emerserit, tunc ad ipsum terminandum et discutiendum Specialem nuntium nostrum dirigemus, vel si de aliquibus Juribus huius villae dubitatum fuerit, a dubitantibus ad Jus Franconicum recurretur. Volumus et santimus quod dictus Scultetus et omnes villani eius ab omni Jurisdictione et potestate Castellani et Palatini Cracoviensis et Judicum ipsorum et omnium aliorum Judicum perpetuo liberi sint et exempti, et quod per Camerarios citari non debeant, sed per litteram annulo nostro sigillatam tantum, et per Camerarium praesentatam ad praesentiam nostram non aliter citabuntur, et in praesentia nostra non aliter nisi suo Jure Theutonico iudicabuntur, Concedimus insuper eidem Sculteto et villanis, quod eis semper liceat cum quibuslibet mercibus transire per utramque terram absque omni solutione thelonij et exactione. Ut autem haec universa et singula robur perpetuae obtinerent firmitatis et in statu semper incolumi perdurarent, praesentem ei paginam in testimonium et perennem memoriam super his fecimus conscribi et nostri Sigilli munimine roborari. Acta sunt haec Anno Domini M. CC. LXX. VI. Indictione Quarta, Epacta Tertia Concurrente Tertio. Praesentibus his quorum nomina sunt ista: Comes Vars Castellanus Cracoviensis, Comes Neustup Palatinus Cracoviensis, Comes Sbigneus Judex Cracoviensis, Comes Okreslaus Venator Sandomiriensis, Comes Joannes Thesaurarius Ducissae, Dominus Joannes dictus Troiani Rector Ecclesiae de *Gory*, qui huius Negocij fuit ordinator, et alij quam plures. Datum Cracoviae III Idus May.

LI.

Raciboriae — sine mense, anno 1277.

Arnoldus et fratres ejus emunt advocatiam in villa *Kęty*. Wladislaus Opoliensis in Silesia dux, emptionem hanc ratam esse jubet et de gratia sua speciali multa alia privilegia eidem Arnoldo et advocatiae confert (¹).

In nomine domini amen. Ne res gestas processus aboleat temporum, opportunum est ut eas confirmet solennis titulus literarum. Notum sit igitur universis et singulis presentem paginam inspecturis. Quod nos Wladislaus dei gracia Dux Opoliensis ratam habentes emptionem. quam fecit dominus Arnoldus et fratres eius Rudgerus et Petrus erga Simonem et fratres eius de Aduocatia de *Kanthij* (²) de-

(¹) Muczkowski descripsit ex Tabulario publico Regni Poloniae (Metryka, liber inscriptionum vol. 77 pag. 153 et seqq.), ubi in transumpto Sigismundi Augusti regis invenitur. Confirmatio vero regis talis est:

In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Solent Reges et Principes, quorum memoriam volunt esse sempiternam, ea literarum munimentis commendare. Proinde nos Sigismundus Augustus etc. Significamus praesentibus litteris, quorum interest uniuersis praesentibus et futuris, praesentium noticiam habituris. Quod productum est coram nobis pro parte Prouidi Stanislai. Aduocati in Oppido nostro *Kanthij* priuilegium originale super eandem Aduocatiam sub titulo et sigillo Illustris olim domini Wladislai Ducis Opoliensis, in cordula sericea appenso communitum. Supplicatum est nobis, ut hoc idem priuilegium propter eius vetustatem innouare, auctoritateque nostra Regia approbare et confirmare dignaremur. Cuius tenor sequitur et es talis (*Hoc loco privilegium nostrum).*

Nos itaque Sigismundus Augustus Rex praenominatus, Supplicationi pro parte dicti Stanislai Aduocatiae praedictae moderni possessoris nobis factae, benigne annuentes, consijderantesque priuilegium praeinsertum fuisse iuste et legitime emanatum, in nulla partę esse suspectum. illud innouari fecimus in omnibus eius punctis clausulis et articulis approbauimus, ratificauimus et confirmauimus, approbamusque ratificamus et confirmamus, roburque debitae et perpetuae firmitatis obtinere decernimus tenore praesentium mediante. In cuius rei fidem etc. Datum Cracouiae feria sexta in vigilia Sancti Bartholomaei Anno domini Millesimo quingentesimo quadragesimo nono. Regni nostri vigesimo. Praesentibus etc.

(²) *Kenty* vel *Kęty* ad *Solam*, quae *Zola* in nostro privilegio nominatur. Oppidum in antiquo palatinatu cracoviensi nunc vero in Regno Galliciae situm. De advocatia in *Kęty* conf. in „Starożytna Polska" T. II pag. 249. Arnoldus haud dubio Germanus in agris hujus suae advocatiae, theutonicum appidum *Libenwerde* condidit et nomen hoc usque ad tempora Stephani Bathorei regis integrum mansit.

dimus eis omnia, ad dictam aduocatiam pertinentia iungentes in aliqua (sic) de gratia spetiali (sic). Habebunt igitur iure haereditario imperpetuum dicti Arnoldus et fratres eius de sexaginta mansis qui ibidem sunt vel erunt, sextum mansum liberum a censu. Item Molendina ac stagna in suo districtu construent quotquot volent, et illa perpetuo libera possidebunt nec alicui licebit construere praeter eorum voluntatem. Item macella carnium, mensas panum et calceorum construent quotquot volent, et illa perpetuo libera possidebunt, sic etiam sartorium in quo mactantur pecora quandocumque voluerint construent et illud libere possidebunt. Tertium denarium de Juditiorum habebunt prouentibus, duos nostris usibus relinquentes: Omnes autem causas quae ibidem emerserint, sine diminutione iudicabunt, in iure *Lembergensi* (³) in omnibus perfruentur. Damus etiam, pro communibus pascuis pecorum quinque mansos perpetuo possidendos ciuitati. Debent autem esse Franconici omnes mansi praenotati. Ecclesiae etiam ibidem unum mansum liberum perpetuo assignamus. Habebunt insuper in Ciuitate sextam Curiam liberam, et ante ciuitatem liberum sextum hortum. Insuper prata quaedam cum adiacente sijlua circa *Vernijram* eis dedimus quando mansi versus *vernijram* propter inundationes aquarum fuerint accurtati. Insuper dedimus eis licentiam faciendi mellificia ubi volunt in sijlvis nostris, et illa quamdiu syluae non fuerint omnino resecatae libere possidendi. Dedimus insuper omnibus inhabitatoribus Ciuitatis licentiam piscandi in *Zola* infra suos terminos. Sed dicti. dominus Arnoldus et fratres sui ubicunque voluerint in nostris fluminibus piscabuntur. Hoc custodientes quod nullus alienus piscator sine nostra licentia piscetur in eisdem. Postremo dedimus eis quod si aliquando emendata fuerit civitas, et camerae pro pannis vendendis construentur, sextam cameram obtineant liberam sic et balnea faciant libera quotquot volent, nulla taberna infra miliare a Ciuitate vinciabitur (sic) et nulla causa mutilationem membrorum vel truncationem capitis continens iudicabitur praeter Ciuitatem:

(³) Jure *Lembergensi. Lewenberg* oppidum theutonicum in Silesia, uti hoc nostrum *Libenwerde.* Leo stemma erat *Lewenbergi*, unde et nomen ipsum.

libertas in viginti quatuor mansos expirauit, reliquis decem annorum dedimus libertatem, qua peracta sicut iam soluentes censum et decimam soluere tenebuntur hoc est de quolibet manso dimidiam marcam argenti et grani triplicis sex mensuras soluent annuatim, videlicet duas mensuras tritici, duas siliginis, et duas avenae. Et ut omnia praehabita maneant perhenniter incowlsa (sic), praesentem paginam super ipsis conscribi fecimus et nostri sigilli charactere roborari. Datum *Raczibor* (¹). Anno domini Millesimo Ducentesimo Septuagesimo septimo Praesentibus domino Gotardo Notario Comite, Joanne Barthosio filio eius Wlosciborio. fascone cornisa, Jascone Zlothousth et aliis quam pluribus.

(¹) *Racibor*, *Raciborz*, (hodie apud Germanos *Ratibor*), oppidum in Silesia, circuli Opoliensis.

LII.

Cracoviae — 22 Martii, 1277 anno.

Gerardus decanus et capitulum ecclesiae Cracoviensis, quandam aream propriam ecclesiae suae Cracoviae sitam, Cunegundae ducissae donant. Conditionem tantum de suo balneo ponunt (¹).

Serenissime domine Kungundi (sic) dei gracia Cracouie et Sandomirie Illustri Ducisse. Gerardus Decanus et Capitulum Ecclesie Cracouiensis oracionum instanciam deuotarum, et promptitudinem fideliter seruiendi. Regalis vestre celsitudinis dignacioni placuit a nostra paruitate petere quandam aream siue fundum Ecclesie, inter curiam fratrum minorum et *vislam* existentem, commoditati fratrum dictorum per nos applicandam, et nos aliam alibi quantitatis eiusdem deberemus per commutacionem acceptare. Nobis autem vestris capel-

(¹) Ex archetypo membranaceo in quodam privato Tabulario Leopoliensi asservato, descripsit Sławiński. Funiculi virides serici. Duo erant sigilla, quorum unius tantum reliquiae apparent; est autem cerea, in altera parte partem templi repraesentat, in altera vero, imaginem personae cujusdam religiosae. In ambitu verba lectu impossibilia.

lanis habita deliberacione uisum est, per alium modum obedire vestre voluntati. Nam quamuis iure prohibeatur Ecclesie rem immobilem maxime non aliter alienari nisi prospecta demum vtilitate melior eius condicio procuretur, Vestre tamen sincere arbitrio consciencie et intemerate puritati, condicionis huiusmodi meliorande negocium relinquimus et committimus confidenter pocius quam aliquam de hiis que nobis pretendebantur areis duxerimus acceptandam, Nec enim dubitamus quin Ecclesie nostre in qua dei nutu, ius patronatus glorianter obtinetis, ita uelitis prouidere, vt non solum eius indempnitati caueatur, sed eciam vtilitati prouideatur ampliori. Munificenciam namque uestre deuocionis et coram hominibus digna laude, non ingrati semper extollimus, et coram deo et sanctis eius specialiter patronis Beatis Wencezlao et Stanizlao Ecclesie nostre et toti patrie celitus in protectionem concessis, non cessamus obsequiis et oracionibus commendare. Nunc pro libertatibus Ecclesie collatis, nunc pro iuribus eius et consuetudinibus manentibus inconcussis. nunc eciam pro multis ad diuini cultus decorem pertinentibus, dapsiliter elargitis, aduersitatibus quoque tam ab ea, quam ab eius ministris, indefesse et clementer propulsatis et domino concedente per religiosam pietatem vestram indesinenter propulsandis. Igitur domina nostra reuerenda memoratam aream simpliciter vestre donacioni (sic) nullam condicionem exprimentes conferimus perpetuo possidendam, vt libere de ipsa faciatis quiquid (sic) placet. De loco eciam balnei quod ibi prope possidebat ecclesia cedimus pari modo. Hoc sane uestre memorie volentes esse commendatum. quod balneum illud annis singulis, tres marcas argenti et dimidiam, ecclesie persoluebat. Vt autem factum nostrum huiusmodi debitum sorciatur effectum. venerabilis patris et Episcopi nostri domini Pauli consensus et auctoritas interuenit, sine quibus nec legitime nec canonice de rebus Ecclesiasticis quicquam alienari iure permissum est immo totaliter interdictum. vnde in euidenciam consensus eius prestiti, et auctoritatis adhibite idem dominus Episcopus confirmando Sigillum suum, et nos capitulum profitendo nostrum id est Ecclesie huic instrumento duximus appendenda. Data *Cracouie* Anno dominj. M°. CC°. LXX°. VII°. octauo kalendas Marcij.

LIII.

Cracoviae—27 Maij 1278 anno.

Commutant inter se villas Boleslaus Pudicus dux Cracoviae et Abraham miles, filius Sulconis olim castellani Cracoviensis. Miles duci villam *Kemblow*, militi dux duo prata *Dobromir* et *Okrągle* cum silva *Rudy* in districtu villae *Poznachowice* donant (1).

In nomine domini amen. Qvoniam longi temporis tractus pariunt antiquitatem antiquitas obliuionem obliuio vero rerum actarum exinanicionem. ideo necesse est omnes actiones legitimas que memoria indigent viuarum vocum testimonijs uel litterarum apicibus memorie commendare posterorum ne processu temporis tabescentis a memorijs hominum euanescant. Proinde tam presens etas nouerit quam futura. quod nobis *Boleslao* dei gracia duci Cracouie et Sandomirie. Abraham miles noster filius Sulconis. quondam Castellani Cracouiensis, dedit et contulit per commutacionem villam suam *Kamblov* (2) quam ab antiquis progenitoribus suis iure hereditario possedit, cum omnibus usibus et pertinencijs in nullo diminutam iure hereditario inperpetuum possidendam, sese expolians ab omnibus iuribus et paterna possessione. Nos vero cupientes eidem satisfacere, pro ipsius villa nominata damus et conferimus sibi et posteris ipsius cuiuscumque sexus fuerint, duo prata, *dobromir* et *ocragle* (3) wlgariter dicta cum silua *rudi* circum adiacenti. ad unum Miliare in longum et ad medium Miliare in latum. in districtu ville *poznachouic* (4) hominum nostrorum iure hereditario

(1) Archetypon membranaceum Staniątcensis monasterii proprium. Descripsit Slawiński. Funiculi serici rubri coloris. Sigillum bene asservatum, quod jam in annotatione privilegii N°. XXVIII hujus Tomi anno 1254 descripsimus. In ambitu leguntur: *S. Boleslai dei gra dvcis cracovie et sandomirie.*

(2) *Kemblow* villa provinciae et regionis Sandomiriensis, parochiae Połaniecensis; altera villa *Kemblow* in antiquo palatinatu ejusdem nominis, hodie in Gallicia, parochiae Gałuszowicensis. Nobis de prima villa huc mentionem esse, videtur.

(3) Polonice haud dubio fuit *Okrągle.*

(4) *Poznachowice górne*, villa antiqui Cracoviensis palatinatus, regionis Szczyrzecensis parochiae vero *Raciechovicensis*. *Poznachowice dolne* in eodem palatinatu et regione, paro-

libere et quiete inperpetuum possidendam, Ita videlicet quod dicto Abrae et suis succedaneis. prata nominata et Siluam predictam liceat donare vendere commutare sev quocumque modo alienare pro sue libito voluntatis, Vt autem hec nostra donatio et commutacio Robur perpetue obtineat firmitatis, presentem paginam super hijs confectam, iam dicto Abrae et ipsius posteris, contulimus nostri sigilli munimine Roboratam, Acta sunt hec et ordinata Anno domini M°. CC. Septuagesimo octauo. Sexto kalendas Junij, presentibus hijs. domino. Procopio Cancellario curie nostre, Comite Segota iudice Sandomiriensi qui huius negocij extitit ordinator, Comite Virchoslao, dapifero Cracouiensi, Comite Martino Castellano *d'Bressc*, Comite. Potricone subcamerario Sandomiriensi, et Comite Vogslao tezaurario Cracouiensi. Datum in *Cracouia* per manum domini Tuardoslay subcancellarij Curie nostre.

chiae ad *Wiśniowa* spectantis; haec et illa in Gallicia. De ultima huc mentionem esse, nobis videtur, nam non procul ab illa hodie in chartis geographicis aliam villam *Abrahamowice* invenimus, certe ab illo castellani Cracoviensis filio, cui nomen in diplomate nostro Abraham fuerat.

LIV.

In villa Syvner (?)—24 Julii 1278 anno.

Cunegunda uxor **Boleslai Pudici** oppidum *Sądecz*, ab omnibus teloneis in oppidis *Wojnicz*, *Opatów* et *Korczyn* immune facit (¹).

Noverint universi presentium notitiam habituri, quod nos Kunegunde ..(Dei).. gratia Cracovie ac Sandomirie ducissa, attendentes civium nostrorum in *Sandech* civitate habitantium multimodam erga nos obsequiositatem, hanc de nostro favore benigno gratiam cum eis duximus faciendam, ut quotiescunque currus eorum seu vehicula cum

(¹) Privilegium hoc ex Tabulario quodam in Gallicia descriptum, communicavit nobiscum Josephus Łepkowski.

mercimoniis, cujuscumque generis fuerint vel valoris, per hec tamen oppidorum loca, scilicet: *Voynich* (1), *Opatowe* (sic) (2), *Korchyn* (3), transire contigerit, ab omni teloneorum exactione sint immunes. Quodsi quispiam huic nostre concessioni ausu temerario contraire, et nomine telonei aliquid ab eis extorquere presumpserit, tripla se restitucione de ablatis, noverit puniendum. In huius autem rei testimonium et perhempnem memoriam, presens eis scriptum, sigilli nostri apposicione, munitum. Anno Domini Millesimo ducentesimo septuagesimo octavo; In die beate Kristine virginis gloriose. In villa *Syvner* (?) (4) nuncupata.

(1) *Wojnicz*, *Vojnicia*, in antiquo Cracoviensi palatinatu oppidum, olim castellani majoris sedes, nunc in Regno Galliciae.
(2) *Opatow*, oppidum in moderno Poloniae regno, territorii Sandomiriensis, regionis et parochiae caput.
(3) *Korczyn*, *Nowe miasto Korczyn*, saepe in hoc nostrovolumine memoratum, hodie urbs in regione Stobnicensi.
(4) *Syvner* ubi est? nescimus.

LV.

Sine loco — 30 Septembris 1278 anno.

Boleslaus Pudicus Cracoviae et Sandomiriae dux, omnes villas ad *Skawam* fluvium jacentes Vladislao Oświecimiensi in Silesia duci donavit, exceptis tamen villa *Trebol* aliisque militum suorum Radwanitarum, quas voluit ut juris cracoviensis essent. Privilegia iisdem militibus in silvis usque ad metas Hungariae protendentibus data. Michaeli et Unasdo etiam hoc loco villas jure theutonico vel polonicali locandi Boleslaus dux libertatem confert.

Privilegium hoc semel editum est Tomo primo nostri codicis pag. 105. e tabula authentica confirmationis Casimiri Magni anno 1356 latae. Apographon vero aliud nactus est Antonius Muczkowski in Tabulario publico Regni, huc Varsoviae (Metr. vol 24 pag. 312), ubi in transumptis annorum 1356 et 1428 asservatur. Variantes lectiones nonnullae et parvi momenti. Sed nomina montium huc memoratorum doctissimum Helcelium incertum reddiderunt, hanc ob causam ex apographo Muczkowscii nonnulla huc repetimus quae sequuntur.

„In silvis iacentibus usque ad *poszuschew* montem sic wlgariter nucupatum et usque ad *Mogijlnyciam* fluvium et usque ad *Lenecz* villam usque eciam ad fluvium *Solcza* et usque

ad montem *Zar* usque ad montem *Vpilz* wlgariter nominatum que silve existentes ex utraque parte fluvij *Scarune*(*) cum omnibus utilitatibus mellificijs seu proventibus ipsarum et fluvij supradictj iure hereditario pertinent ad Michaelem unazdonem et slazonem. Protestamur insuper, quod silva nigra Michaeli et unasd oni (sic) cessit in divisione facta cum fratribus eorundem ad quam nullus fratrum ipsorum habet respectum."

Tabulam confirmationis Casimiri non edidit Muczkowski Tomo I, quanquam edere illam pollicitus est (vide annotationem primam privilegii N°. LIX pag. 104, Tomi primi).

Transumpta Vladislai Jagellonis et regis Casimiri magni sequuntur ex Muczkowscii apographo.

1428. In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam Ne error oblivionis gestis sub tempore versantibus imposterum pariat detrimenta alta regum et principum Consilia decreverunt ea literarum apicibus et Testium annotacione perhennari ne lapsu temporis evanescant. Proinde nos Wladislaus dei gracia Rex Polonie. nec non terrarum Cracowie Sandomyrye. Syradie Lancitie Cuijawye Lithwanie princeps supremus pomeranie Russieque dominus et heres etc. Significamus tenore presencium quibus expedit universis presentibus et futuris presencium noticiam habituris, quomodo in nostre Maiestatis presencia Constituti nobilis Philipus Radwan de *Buzeszyny* et Confratres sui Radwany dicti fideles nostri dilecti quoddam privilegium Serenissimi principis Kazimiri Regis Poloniae dive memorie predecessoris nostri nobis obtulerunt instancius supplicantes quatenus ipsis dictum privilegium ex innata nostre celsitudinis clemencia, ratificare, approbare et confirmare dignaremur. Cuius quidem privilegij tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis.

1356. In Cristi nomine amen. Nos Kazimirus dei gracia Rex Polonie, nec non terrarum Cracowie Sandomirie Siradie Lancicie Cuyawye Pomeranieque. dominus et heres. Notum facimus quibus esse fuerit oportunum. Quod constitutus coram nobis fidelis noster Janussius dictus Radwanczewycz heres de *Trebol* nobis humiliter supplicavit ut privilegium super exempcione (sic) a potestate ducis Osswyancymyensis per Magnificum principem dominum Boleslaum dei gracia ducem Cracowyensis et Sandomiriensis Terrarum awum nostrum sincere dilectum datum et concessum sibi dignaremur sub rati habicione graciose confirmare. Cuius quidem privilegij de verbo ad verbum tenor dinoscitur esse talis. (*Huc privilegium, quod supra*).

Nos vero ipsius Janussij iustis peticionibus satisfacere volentes intuitu suorum fidelium serviciorum nobis impensorum et aduc (sic) imposterum exibendorum (sic) sibi Janussio et suis Successoribus legittimis ac ipsius consanguineis et propinquis quos tangit presens negocium predictum privilegium cum singulis suis clausulis et articulis in ipso privilegio contentis presenti patrocinio cum appenssione nostri Regalis Sigilli liberaliter confirmamus. Actum Cracowie in octava Beati Jacobi Apostoli Anno domini Millesimo trecentesimo quinquagesimo sexto presentibus Johanne Castellano imbramo palatino Cracowyensibus Vylczkone Sandomiriensi dobeslao Visliciensi Johanne Voynycyensi Zawischa Sandecensi Castellanis Andrea Cracowyensi et Raphaele Sandomiriensi Subcamerarijs et alijs plurimis fide dignis.

1428. Nos itaque peticionibus dictorum Nobilium tanquam iustis et racionabilibus benigniter acclinati exigentibusque dignis ipsorum fidelium meritis dictum privilegium

(*) Loca huc memorata erant olim sita ad ripas fluminis *Scawae* et, uti privilegium hoc nostrum docet, usque ad metas Hungariae protendebantur. *Skawa* vero, uti jam antea diximus, fluvius est parvus hodie in regno Galliciae, cujus fons in montibus Carpaticis, prope villam *Spytkowice*.

approbamus ratifficamus tenoreque presencium confirmamus rata grata habentes (sic) decernentes ipsum in omnibus suis condicionibus clausulis punctis et articulis robur et vim obtinere perpetue firmitatis harum quibus Sigillum nostrum appensum est testimoniis literarum Actum in *Nowa Civitate* feria quinta post festum sancti Bartholomei Anno domini Millesimo quadringentesimo vigesimo octavo presentibus Reuerendo et Magnificis Nobilibus Sbygneo Episcopo Cracowyensi Johanne de *Tarnow* Cracoviensi Nicolao de *Michalow* Sandomiriensi Jacobo de *Konyeczpolye* Siradyensi palatinis petro Schafranyecz Succamerario Cracoviensi Domarath de *Cochlany* Castellano Byecensi et alijs quam pluribus fide dignis. Datum per manus Venerabilium Johannis decani Cracoviensis Regni Polonie Cancellarij et Wladyslai de *Oporow* decretorum doctoris eiusdem Regni Vicecancellarij nobis sincere dilectorum.

LVI.

Cracoviae—mense Octobri 1278 anno.

Catharina filia Stephani de majori Polonia, cum Boguphalo marito suo villam *Cherubinowice* **patruo Clementi gladifero Sandomiriensi vendit. Lestco Niger, dux Cracoviae et Sandomiriae eidem Clementi omnem potestatem ibidem judicandi homines concedit, quos ab omnibus oneribus immunes reddit (¹).**

In nomine domini, amen. Cum in humanis disposicionibus et agendis nichil ad summe perfeccionis et solitidatis culmen possit peruenire, sed semper de gestis hominum quamuis racionabilibus tanquam de naui, que fluctibus est exposita sub serenitatis tempore timeri oporteat calumpnie tempestates. Idcirco ea que ex vendicionis tytulo disponuntur. Necesse est ut lytterali memorie commendentur, ad habundantem noticiam presencium et perhennem memoriam futurorum. Sciat igitur tam presens etas hominum, quam eciam posteritas successura. Quod nos Lestco dei gracia dux Cracouie, Sandomirie, et Syradiensis omnibus presentibus et futuris insinuacione presencium declaramus: Quod domina Katerina filia Stefani filij Ywonis de maiori Polonia veniens coram nobis et Baronibus nostris cum marito suo

(¹) E tabula membranacea descripsit Sławiński. Funiculo rubro appensum sigillum in quo, exaratum quod fuerat, nunc plane evanuit. Privilegium hoc multis abbreviationibus scriptum, huc totum per extensum, prelo donamus.

Bogufalo hereditatem suam patrimonialem *Cherubinouici* ([2]) dictam, quam idem (sic) domina Katerina post decessum patris sui multo tempore tenuit et possedit, sitam in Castellatura Wisliciensi patruo suo Comiti Clementi gladifero Sandomiriensi filio Comitis Laurencij nostro fidelissimo ministro pro centum quinquaginta marcis fusi argenti publice et manifeste vendidisse recognouit. Que stans ibidem coram nobis et alijs quam multis et plurimis nostris Baronibus audientibus cum predicto viro suo Bogufalo a se ipsa et a suo viro iam nominato et ab omnibus suis amicis et consanguineis hereditatem dictam *Cherubinouichi* cum omnibus plane utilitatibus, usibus et pertinencijs quidquid spectat ad eandem predicto patruo suo comiti Clementi cum omni sua posteritate, non vi coacta sed bona sua voluntate lucide et splendide in publico pro dicta summa pecunie hereditario iure contulit et donauit pacifice et quiete in perpetuum possidendam. Quam pecuniam prefatus Clemens iam dicte domine Katerine sue filiastre totam ex integro sub nostro bono testimonio assignauit plenariter et persoluit. Et quia volentes semper cuilibet pro dignis obsequiorum meritis eque retribucionis premia benignius inpertiri, ut qui ad obsequia nobis placita se prebuit utilem et non segnem optatam premij percipiat a nostre munificencie dextera porcionem. Damus et conferimus ex nostra gracia speciali: Quod prenominatus Comes Clemens cum suis posteris omnimodam habeat libertatem et plenam potestatem judicandi homines suos siue uillanos habitantes in villa seu hereditate iam sepius dicta *Cherubinouichi* si cause enormitas exigerit (sic) ad duellum faciendum, quod mediantibus baculis solet fieri inter aliquos sub dubio lytis accurrantes (sic). Homicidium vero si in *Cherubinouich* hereditate iam sepius nominata, uel intra metas eiusdem hereditatis contigerit perpetrari, et uterque tam occisor, quam occisus de villa fuerit prenotata, sepe fatus comes Clemens cum omni sua posteritate audacter et precise absque omni suo impedimento iudicabit solucio-

([2]) *Cherubinowice*, uti ex privilegio nostro apparet, olim villa fuerat in castellania Wislicensi, id est in antiquo Sandomiriensi, et in posteriore palatinatu Cracoviensi. *Wiślica* urbs est enim antiquissima in moderno territorio et regine Stobnicensi. Hodie autem in indicibus locorum villam *Cherubinowice* invenimus nullam.

nem pene capitalis siue homicidij libera percipiendo absque ulla contradicione Palatini Sandomiriensis et Castellani Wysliciensis. Damus et confirmamus quod omnes incole et inhabitatores quicunque in villa iam sepe sepius nominata *Cherubinouichi* mansionarij inuenientur. Neque *strosam*, neque vaccam, neque ovem, neque *stan*, neque *pouoz*, neque *pouoloue* soluent et ab omnibus alijs plane solucionibus et exactionibus liberos facimus et exemptos. Qui coram Palatino Sandomiriensi et Castellano Wysliciensi et eorum iudicibus in nullo prorsus citati respondebunt, nisi coram nobis tantummodo euocati per literam parebunt nostro annulo sigillatam. Ut autem hec vendicio et nostre libertatis concessio robur firmitatis obtineat presentem sibi paginam super hiis confectam nostri sigilli munimine fecimus roborari. Acta sunt autem hec in *Cracouia* anno domini M°. CC°. LXX°. VIII°. Presentibus hiis quorum ista sunt nomina: Venerabilis pater noster dominus Paulus dei gracia Episcopus Cracouiensis, Comes Wars castellanus cracouiensis, Comes Janusius Palatinus Sandomiriensis, Comes Imramus tribunus cracouiensis, qui huius negocii extitit procurator et ordinator. Comes Jacobus filius Spicimiri subagazo noster, Sandomiriensis et alij quam plures. Datum X° nonas Octobris (sic) per manum Philippi subcancellarij curie nostre.

LVII.

In villa Wawrzynczyce — 17 Maij 1281 anno.

Amicabilis compositio inter Petrum rectorem ecclesiae in *Bodzanow* et monasterium *Staniątcense* de solutione *przysiężne* dicto in villis quibusdam. Compositionem hanc Paulus episcopus Cracoviensis ratificat (1).

In nomine domini Jesu Christi Amen. Qvoniam ea que rite gesta sunt trahctu (sic) temporis hominum labente memoria sepius in irri-

(1) Sławiński descripsit ex tabula pergamena quae Staniątcoiis asservatur. Funiculus tantum adest pergamenus sine sigillo.

tum reuocantur. aut aliquorum excogitata malicia, iusticia innocencium penitus eneruatur, ad reprimendam peruersorum nequiciam bonorumque innocenciam conseruandam. et ut iura cuiuslibet permaneant illibata, consueuit queuis ydonea actio sollempni scripture testimonio munita succedencium noticie commendari, Hinc est quod Nos *Paulus* dei gracia Cracouiensis Episcopus notum facimus vniuersis, presentem litteram inspecturis, quod cum inter Petrum Rectorem Ecclesie de *Bozanow* (²) nomine ecclesie sue et suo super iuramento. et questu iuramenti quod *Prisesne* (³) uulgariter nuncupatur in villis Parrochye sue scilicet *Zagore*. *Slomyrog*. *Zakrew* paruo. *Zakrew* magno. *Crussinoua*. *Zabawa*. *Podlunze* (Podłęże). et *Chrosci* (⁴). ex vna parte, et Prepositum et Magistrum de *Stanutek* ex altera nomine ipsorum et Conuentus Monasterij eorundem questio verteretur. Petebat siquidem prefatus Petrus nomine sue Ecclesie et suo dictum iuramentum et questum iuramenti Sibi et Ecclesie sue in predictis villis adiudicari. et nominatos Prepositum et Magistram ad restitucionem prefati iuramentj et questus que(?) usurpauerant condempnari. que(?) (⁵) dicebat tam de jure communj quam de consuetudine approbata ad suam Ecclesiam pertinere. prefati autem Prepositus et Magistra in contrarium respondebant quod dictum iuramentum et questus iuramenti vel *Prisusne* (sic) in iam dictis villis ad suum Monasterium pertinerent, offerentes se id ipsum probaturos per Priuilegij seriem felicis recordacionis domini Wislai Cracouiensis Episcopi predecessoris nostri. quod priuilegium dicebant se in fuga Thartarorum. perdidisse. sed nec tenorem. nec amissionem priuilegij probauerunt. Lite igitur inter partes in nostra presencia legitime contestata. cum non restaret nisi diffinitiua sentencia proferenda de nostro beneplacito et consensu. talis inter eosdem coram nobis Amicabilis Compositio interuenit. quod videlicet

(²) *Bodzanow* villa in antiquo Cracoviensi palatinatu regionis Szczyrzecensis, parochiae vero Bodzanowiensis, nunc in Regno Galliciae.
(³) *Prisesne*, *Prisusne* vulgo *Przysiężne*.
(⁴) *Chróść* villa ibidem locorum, proxima ipsi monasterio Staniątcensi; sunt etiam, qui dicunt, monasterium in villa *Chróść*, non in villa *Staniątki*, aedificatum esse.
(⁵) Verba, post quae signum interrogationis posuimus, in archetypo per abbreviationem tantum *q* sunt scripta.

iuramentum et questus iuramenti seu *Prisusne* de villis *Zagore Slomyrog*. *Zakrew* paruo. *Zakrew* Magno. *Crussinoua*. *Zabawa* et *Podlunze* ad Ecclesiam de *Bozanow* in perpetuum debeant pertinere. Juramentum autem et questus iuramenti ville de *Chrosci* ad Monasterium de *Stanutek* perpetuo pertinebit. Quam Composicionem Nos ratam habentes ratificamus et sanctione perpetua inuiolabiliter confirmamus. In cuius rei euidenciam cerciorem presentes conscribi fecimus. et nostri sigilli munimine roborari; Actum publice in *Laurinchych* (6) Anno domini. M°. CC°. LXXX°. Primo. XVI Kalendas Junij Indictione VIII. Presentibus hijs domino Anthonio Procuratore nostro. Domino Petro Custode Kylciensi (7). Jarostio et Romboldo Canonicis Ecclesie nostre. Magistro Myrozlao Canonico Gneznensi. Adam Canonico Sandomiriensi et alijs quampluribus nostre Curie Capellanis.

(6) *Wawrzynczyce* parochiae suae caput, villa in regione Proszowicensi, nunc in Regno Poloniae, non procul a Cracovia. Aliarum villarum loca vide ad tabulam N°. XVIII praemissam annotationem tertiam nec non ad tabulam XLIII.

(7) *Kylciensi*, fortasse *Kielcensi*? *Kielce* urbs olim Episcopum Cracoviensium propria, hodie territorii regionisque caput.

LVIII.

Sine loco—1282 anno.

Praepositus et magistra monasterii *Staniątcensis* scultetiam in civitate *Bresnicia* Hartmudo capellano Bochnensi vendunt. Hartmudus illam generi suo Joanni tradidit. Privilegia Joanni a monasterio concessa (1).

In nomine domini amen. Uniuersa negocia que fiunt apud homines procedente cursu temporis vacillant tradita obliuioni nisi pagine inscripcione testiumque fidedignorum suffragio fuerint roborata. Inde est quod *Raciborius* prepositus et *Wyzenega* magistra conuentus in

(1) E tabula membranacea monasterii Staniątcensis propria descripsit Sławiński. Quatuor olim erant appensa sigilla, unius tantum reliquiae sunt. Funiculi erant rubri coloris.

stanantek. Notum esse volumus tam presentibus quam futuris hanc litteram inspecturis. quod cum consensu tocius nostri conuentus vendidimus discreto viro et honesto domino Hartmudo Capellano in *Bochna* (2) sculteciam in ciuitate nostra *Bresnicia.* et villa noua *Bresnicia* similiter nuncupata. cum omni iure et profeccione (3) ad nouiforensis ciuitatis locacionem pertinentibus. quod ius nouiforensis ciuitatis *sroda* uulgariter nuncupatur. cum foro libero. et tabernis liberis. ed medietate molendini in eadem ciuitate siti. cum macellis carnificum. et cum mensis pistorum ac sutorum. et cum stuba balnearia et eciam cum omnibus que ad perfectum (4) ius ciuile debent completissime pertinere. Hoc tamen adiecto. quod nostram partem iam dicti molendini. si pro se idem dominus Hartmudus conseruare voluerit, vnam marcam vsualis argenti annis singulis nobis tenebitur presentare. Item predictus dominus Hartmudus. ac sui succedanei quatuor mansos circa montem qui in polonico nuncupatur *Kubil* (5). ab omni genere solucionis libere et pacifice possidebunt. Et villam inter theutonicalem *vswam* (6) et montem qui vocatur *Kubil* situare poterit iure supradicto. si sibi uidebitur expedire. in qua quidem villa quatuor mansos pro allodio habebit. Et insuper sextum mansum in censu sibi liberum de alijs mansis similiter retinebit. Quam sculteciam prefatus dominus Hartmudus capellanus de *Bockna* genero suo iohanni viro ydoneo et honesto post filiam suam coram nobis tradidit et donauit. ac eciam libere resignauit. que omnia fieri de nostra bona permisimus voluntate. Tunc accedens ad nos prefatus iohannes gener eiusdem domini Hartmudi. rogans humiliter et deuote. ut priuilegium ab antiquo datum de nostro conuentu super empcione scultecie in ciuitate prehabita et villis similiter. roborare et confirmare de nouo nostris litteris dignaremur. Nos igitur eiusdem iohannis fidelia seruicia pensantes nobis sepius exhibita. et

(2) *Bochnia,* villa hodie circuli sui nominis caput, in Gallicia.
(3) Vel *perfcctione* (verbum in archetypo abbreviatum).
(4) Abbr in archetypo: *pfem.*
(5) *Kobyle* villa in terra antiqua Cracoviensi, regione vero Czchowensi parochiae autem Wiśniczensis nunc in Regno Galliciae. Prope villam hanc mons ejusdem nominis invenitur, de quo hoc loco legimus mentionem. (6) *Uszew* (Sławiński).

inposterum exhibenda. vniuersa et singula. que a nobis in primo habuit atque retinet priuilegio. serie presentis scripti innouamus. ratificamus. et nihilominus roboramus. Sculteciam igitur predictam sibi traditam et resignatam. locatam totaliter et dispositam in omnibus ad instar et similitudinem ciuitatis nouiforensis, iure hereditario cum suis legittimis successoribus inperpetuum possidebit. De mansis omnibus qui locati fuerint et locandi semper sextum mansum habebit. aut in censu sextam marcam tollet. et de iudicio tercium denarium pro se et suis legittimis successoribus eciam libere retinebit. Ciues uero prefate ciuitatis de quolibet manso censuali, sex scotas vsualis. argenti. in festo sancti martini singulis annis soluere tenebuntur. et qui mansos non habuerint. de qualibet area vnum scotum vsualis monete soluere sint astricti. Addicimus vero quod incole ciuitatis nostre predicte *Bresnicie* capellano nostro ibidem pro missalibus annonis duas marcas vsualis argenti quolibet anno soluere teneantur. Insuper duos mansos sitos inter nouam *Bresniciam* et ciuitatem supradictam scultetus cum suis posteris iure hereditario atque libere retinebit. omni exactione et seruicio proculmoto (sic). Et de reliquis mansis sicut superius expressum est. scultetus antedictus cum suis successoribus recipiat sextam partem. Kmethones vero iam dicte ville *Bresnicie* noue de quolibet manso mediam marcam argenti vsualis dabunt de censu in termino prenotato. Et qui agros non habuerint vnum scotum argenti vsualis de qualibet area persoluent. Incole vero tam antique quam noue *Bresnicie* quatuor capecia ouorum cum quatuor hedulis et cum vitulo saginato omni tempore paschali nostro conuentui presentabunt. Hijs vero pretactis nobis persolutis. ipsos liberos et solutos ab omni alio seruicio dimittimus. et vectura. et angaria. et qualibet iniuria. quocumque nomine censeantur. Permittentes eciam quod idem Johannes scultetus molendinum cum duabus rotis in villa prenominata construet quod quidem molendinum procurabit libere virgulto et harena. quociescumque necesse fuerit super clausuram eiusdem molendini et piscine. et accipiet omnia necessaria eiusdem molendini. et eciam supradicti molendini in bonis nostris superius nominatis. Preterea nullum molendinum aliud contra predictum molendinum a nullo penitus construetur. Taber-

namque liberam in prefata villa pro suis vsibus retinebit. piscinas cum piscibus. prata cum pascuis. mellificia cum apibus. venaciones ferarum et auium. cum ortis humulorum et vinearum. cum omnibus vtilitatibus seu prouentibus. que in gadibus predictarum villarum procreari possunt. cum suis heredibus libere perpetuo possidebit. De castoribus in eadem villa. et in terminis omnium hereditatum predictarum. ei nullam capiendi concedimus potestatem. De speciali eciam gracia nostra et fauore. volumus et concedimus eidem sculteto. vt in resignacione hereditatum. que sub eo et sub suis successoribus vendite fuerint. nullus nobis denarius tribuatur. sed ad eum et ad suos heredes volumus pertinere. Nullas eciam sibi iniurias penitus faciemus. Eciam et ipsum in nullo iudicare permittimus. nec suos heredes. nisi fiat de ipso nouem feodalium presencia mediante (sic). Insuper incolas sepedictarum hereditatum. inpignorare nequaquam volumus absque sculteti presencia. Presertim cum exacciones super hereditates nostras ponemus. semper suum sextum mansum liberum dimittemus. Gades huius hereditatis sunt vsque in *gorscow* (6). que wlgariter appellatur *wilceohysse* (7). et contra *Creczow* vsque *Misliow*. et contra *pomnaniuola*. vsque ad pratum quod *Jassen* (8) wlgariter nuncupatur. et illud est nostris denarijs proprijs comparatum. Addicimus eciam quod cum expedicio fuerit generalis. tunc idem scultetus in territorio Cracouiensi. extra vero non. cum vno. equo in valore trium marcarum nobis tenebitur deseruire. Villici autem sepedictarum villarum. prelibato sculteto cum ipsum ad expedicionem ire contingerit. sibi cum duobus equis ad suum tenebuntur placitum famulari. Si autem dictus scultetus aliquibus negocijs fuerit prepeditus. extunc alium virum nobis loco sui statuere sit paratus. Addicimus eciam de speciali fauore et gracia quod si prefatus scultetus forsitan necessitate quacumque compulsus in suo iudicio personaliter stare noluerit. seu eciam non valuerit. tunc ipse alium honestum et ydoneum virum loco sui statuet. qui presit

(6) *Gorzkow* villa in terra antiqua Cracoviensi, regione Czchowensi, parochia *Brzeznicensi*.
(7) Villam hanc non invenimus.
(8) *Jasien* villa parochialis in regione Czchowensi, nunc in Gallicia.

eidem iudicio. in quo volumus contentari. Prepositus ter in anno veniet ad iudicium. videlicet in octaua pasche. In octaua beati Michaelis. et In octaua Epyphanie domini. vnum prandium a sculteto recipiet. residua duo prandia kmethones tenentur beniuole procurare. Si autem non veniet predictus Prepositus. extunc pro quolibet prandio. octo scotos vsualis argenti. vel vnum fertonem puri argenti soluere non obmittent. Censum supradictum nuncius prepositi vna cum sculteto colligent. et more consueto diuident. Decimas vero duorum mansorum predictus scultetus ad ecclesiam eiusdem ciuitatis *Bresnicie* poterit elargiri. aut vbicumque sibi videbitur melius expedire. Et quia hec prenominata ciuitas *Bresnicia*. et alia eodem nomine noua *Bresnicia* nuncupata. sub vnius sculteti vigore seu potestate sint constitute. et ad vnum conuenire iudicium tenebuntur. et vna distinccione et vno iudicio scabinorum debent equaliter iudicari. Dantes eciam eidem sculteto nostro. ac sue legittime posteritati plenam et liberam voluntatem ac potestatem. super hec omnia et singula supradicta bona. donandi. concedendi. vendendi. commutandi. vel quocumque modo a se alienandi. nullo nostro obstante impedimento. Quapropter ex donacione illustris principis. ac magnifici domini nostri Lestconis dei gracia Ducis Cracouie et Sandomirie. quam ob remedium peccatorum suorum. domui beate virginis marie fecit. ordinauit et constituit. ex consuetudine iuris nouiforensis ciues supradicte ciuitatis *Bresnicie* necnon et incole eius que noua *Bresnicia* appellatur. nec coram Castellano Cracouiensi. nec coram Palatino. neque coram iudicibus eorundem citati. comparere. vel dare responsa tenebuntur. sed solummodo littera sigillo principis sigillata citati dum fuerint. coram presencia (sic) principis comparebunt. et more consueto. sicut ius ciuile requirit. coram scultetis aliquibus et scabinis iure theutonico respondere et subire iudicium tenebuntur. Hoc tamen adiecto articulo. vt cum per litteram principis citati fuerint. non omnes in termino comparebunt. sed tantummodo scultetus acceptis secum duobus ciuibus in termino eis prefixo astabunt. Ut autem hec nostra confirmacio ac innouacio et nostre gracie addicio. nec non nostri conuentus prior vendicio perhenni robore firmetur. et incorrupta permaneat. presenti

scripto sigillum nostre domus dignum duximus apponendum. Rogantes supradictum dominum Lestconem illustrem principem dei gracia ducem terrarum supradictarum. et venerabilem in Christo patrem nostrum dominum Paulum Episcopum Cracouiensem. necnon Capitulum eiusdem Ecclesie Cracouiensis vt eorum sigilla ad maioris roboris firmitatem eidem pagine appendere condignentur. Nulli igitur hominum hanc nostre ordinacionis et confirmacionis paginam infringere liceat. aut ei aliquo ausu temerario obuiare. Si quis vero hec attemptare presumpserit. indignacionem dei omnipotentis et beate virginis marie se sciat grauiter incurrisse. Acta sunt hec anno ab incarnacione domini. M. CC. LXXXII. Coram hijs testibus. Comite Sulcone Castellano Cracouiensi, Comite Boxa Palatino Sandomiriensi. Comite Petro de *Bogoria* Palatino Cracouiensi. Domino Procopio Cancellario curie. Comite Nycolao Castellano Sandomiriensi. Comite Laurencio Judice Cracouiensi. Nycolao de *Bobyn* subcamerario. Johanne Pankawca subpincerna. Et alijs quam plurimis fidedignis.

LIX.

Apud monasterium Henrykowiensem in Silesia 13 *Julii* 1282 *anno* (1).

Duo Monasteria Cisterciensis ordinis, Vitoviense et Sulejoviense, concordiam ratione decimarum faciunt, quam Philippus Firmianus sedis apostolicae legatus ratam esse jubet (2).

Philipus miseracione diuina firmanus Episcopus apostolice sedis legatus. Ad futuram rei memoriam. Orta dudum inter religiosos viros abbatem et conuentum monasterii de *vitouia* ordinis premon-

(1) Privilegium hoc communicavit nobiscum Vladislaus Wieczorkowski, archetypon est monasterii Vitoviensis proprium.

(2) De *Sulejouia* et *Witouia* multa in hoc nostro Codice diplomatico invenies. *Witow* rus siradiensis regionis non procul a Petricovia, *Sulejow* vero oppidum ad ripas Piliciae fluminis.

stratensis Gnesnensis diocesis vna parte et abbatem et conuentum monasterii de *Syliow* ordinis cisterciensis eiusdem diocesis ex altera materia questionis super decimis quorundam hereditatum que *campinum* et *checanow* ([3]) vulgariter nuncupantur et aliis quibusdam articulis quas decimas idem abbas de *Syliow* per formam cuiusdam compositionis olym inter abbates et conuentum dictorum monasteriorum abite et inite sibi (?) et suo monasterio vendicabat. Tandem dicti abbates pro se et dictis monasteriis suis in nostra presentia constituti ad amicabilem composicionem et concordiam peruenerunt. Videlicet quod idem abbas de *Syliow* pro se suoque conuentu et monasterio dedit contulit tradidit concessit dicto abbati de *vitouia* et suo monasterio in perpetuum habendum patronatum et ius patronatus ecclesie que fundanda est in parrochia Sancti martini in villa monasterii de *Syliow* que vulgariter dicitur *miliow* ([4]) vbi nunc villa tevtonico iure locatur quam videlicet ecclesiam abbas et conuentus de *Syliow* cum duobus laneis liberis dotauerunt. De reliquis vero laneis que que (sic) in eodem districtu iure tevtonico locati sunt vel in posterum locabuntur. pro antiqua ecclesia beati martini monasterium *vitouiense* vnam mensuram siliginis et aliam auene percipiet in perpetuum. Districtus vero dicte locacionis inter centum quinquaginta laneos extenduntur et amplius. De quibus omnibus scultetus et incole dicti territorii in festo sancti martini mensuras predictas secundum ius commune tevtonicorum eidem abbati et monasterio *vitouiensi* in ipsa *vitouia* presentabunt. et ad eandem ecclesiam dictus abbas de *vitouia* personam ydoneam presentabit. Que diuina celebrabit in ea et perpetuo ministrabit ecclesiastica sacramenta. Cessit insuper idem abbas de *Syliow* dicto abbati de *vitouia* et suo monasterio de taberna et ius taberne si quod habebat uel ad suum monasterium pertinebat in taberna quam edificare ceperat ad finem pontis qui dicitur *sulimost*. Dictus vero abbas de *vitouia* pro se et suo monasterio cessit eidem abbati de *Syliow* et suo

([3]) *Czekanow*, villa est hodie Petricoviensis territorii regionisque, uti nos Vlad. Wieczorkowski docet, nam in indicibus locorum omnium frustra villam hanc proximam Petricoviae quaesivimus.

([4]) *Milejow* villa parochialis, Petricoviensis regionis.

monasterio in perpetuum omne ius accionem et racionem quod uel quas ipse et dictum suum monasterium habebat seu ad eos pertinebat aut pertinere poterat in futurum in decimis predictarum hereditatum de *campino* ([5]) et *schecaliow* et iure percipiendi eas ita quod decetero abbas de *Syliow* et suum monasterium eas libere habeant et percipiant in futurum. Quam quidem concordiam et compositionem permiserunt dicte partes uidelicet una pars alteri et altera alteri adinuicem stipulanti ratam et firmam habere et tenere ac perpetuo obseruare et non contrauenire per se et alios de iure uel de facto sub pena duarum marcarum auri puri que pena cedat et cum integritate solui debeat parti seruanti per partem que composicionem uiolaverit supradictam. et nihilominus composicio ipsa rata maneat atque firma. et pro hiis omnibus et singulis firmiter attendendis et inuiolabiliter obseruandis obligauit vna pars alteri et altera alteri adinuicem stipulanti omnia dictorum suorum monasteriorum bona pignori presencia et futura omni lege excepcione et defensione remotis. Insuper permiserunt dicte partes ac eciam assumpserunt sub pena et obligacione predictis que ipsi infra quindecem dies ex quo fuerint ad eorum monasteria reuersi facient et curabunt quod ipsorum conuentus predicta omnia et singula coram honestis et fidedignis personis approbabunt ratificabunt ac omnia acceptabunt et permittent sub pena et obligacione predictis ea firmiter attendere et perpetuo inuiolabiliter obseruare. In quorum omnium testimonium presentes litteras ad instanciam parcium predictarum fieri fecimus et sigilli nostri appensione muniri. Datum apud monasterium de *henricow* presentibus venerabili patre Wilhelmo dei gracia Episcopo et Johanne decano lubucensis ecclesie. fratre frederico abbate eiusdem monasterii de *henricow* ([6]) et Johanne plebano de *monsterberg* ([7]) ac henrico capellano dicti domini Episcopi.

([5]) *Kępina* olim villa fuit. *Schécaliów* haud dubio villa *Checanow* de qua supra, hodie *Czekanow* dicitur.

([6]) *Monsterberg*, *Münsterberg* polonice *Zembice*, urbs Silesiae et illis temporibus ducatus caput.

([7]) *Henryków*, *Heinrichów*, villa in Silesia, aliquot miliariis a Vratislavia meridiem versus distans. In eadem villa dux Henricus dictus Barbatus, tutor Boleslai Pudici adhuc juvenis, circa annum 1227 monasterium religiosis viris Cisterciensis ordinis condidit.

Anno domini MCC octuagesimo secundo. Idus Julii. Indiccione X. Pontificatus domini martini pape IV anno secundo.

Maxime de rebus Silesiae Poloniaeque gestis meritus doctissimus vir S. A. Stenzel de hoc monasterio Vratislaviae 1854 anno librum cui titulus: „Liber fundationis claustri S. Mariae V, in *Heinrichów*" edidit. In opere etiam polonico: „Dodatek tygodniowy przy Gazecie Lwowskiéj" Carolus Szajnocha custos bibliothecae Ossolinianae Leopoliensis, qui polonicae historiae scientiam scriptionibus nonnullis operibusque laude haud indignis promoverat, praeclarissimam suam dissertationem de hoc monasterio Henrikouiensi scriptam publicavit. (Legas ejus dissertationem: Przed sześciuset laty, Szkic historyczny, in „Dodatek" Nº 41, 14 octobris 1854). Nostrum privilegium Stenzelii opus novis rebus illustrat ornatque.

LX.

In villa Wawrzynczyce die mensis 4 Octobris 1282 an.

Paulus de *Przemankouo* episcopus Cracoviensis villam monasterii Staniątcensis *Pomianowa* usque ad vitae finem accipit, monasterio autem quasi remunerationem decimas duarum villarum *Kargowo* et *Zakrzeuo* etiam ad vitae suae finem donat (¹).

Nos *Paulus* dei gracia, Episcopus Cracouiensis. notum facimus vniuersis. quod talem ordinacionem cum dominabus sororibus videlicet de domo *Stanatech* et *Oloboch* (²) fecimus. villam earum super *vswam* (³) sitam. que *Wola Pomnani* (⁴) wlgariter nuncupatur recipientes de voluntate pariter et assensu dictarum dominarum nobis annuente quoadusque vixerimus possidendam. quibus dominabus non racione contractus, sed intuitu diuine remuneracionis, pro vestitu

(¹) Ex archetypo membranaceo Staniątciis asservato descripsit Sławiński. Sigillum et funiculi desiderantur.

(²) *Olobok* villa, hodie in Magno ducatu Posnaniensi. Vladislaus filius Ottonis, dux Poloniae, in villa hac monasterium Cisterciensis ordinis, Deo dicatis sororibus, anno 1213, uti ex patriis annalibus scimus, fundavit.

(³) *Uszew* villa regionis Czchowensis, ad ripas fluminis, quod haud dubio etiam *Uszew* appellatur, hodie in Gallicia. (Mentionem de *Uszew* vide supra in privilegio ad Nº. LVIII.

(⁴) Haud dubio *Pomianowa*, villa ejusdem Czchowensis regionis, parochiae vero ad villam *Jasień* spectantis; sita ad eundem rivulum *Uszew*, in Gallicia.

earum decimas duarum villarum de *Cargow* (5) videlicet et *Magno Zacrew* de hijs vsumfructum percipere ipsis eciam quoadusque viuemus, contulimus possidere. ita quod post mortem nostram, dicta uilla *Wola Pemiani* ad dietas sorores redeat prorsus occasione aliqua, non obstante. In cujus rei testimonium presentes dictis dominabus conferentes conscribi mandauimus. et nostri sigilli munimine roborari. Datum in *Laurincich* Anno domini. M. CC LXXX. Secundo. Quarto Nonas Octobris. Indiccione decima.

(5) De villis *Wawrzynczyce* legas annotationem 6tam praemissi privilegii N⁰. LVII; de *Kargow* vero et *Zakrzew* annotationes ad privilegium praemissum N⁰. XVIII.

LXI.

Raciboriae, sine die et mense, 1284 anno.

Premislaus dux Opoliensis et Osuiecimiensis in Silesia pro sex mansis cultae terrae in villa *Spytkowice*, fratribus de *Mogila* sexdecim mansos franconicos in silva quadam ducali jure perpetuo possidendos donat (1).

In nomine domini Amen. Quoniam annorum reuolucione et personarum successione statuta priorum nonnunquam defluunt et nobiscum sepeliuntur, prouida discrecione data nisi sunt scripta vt et la-

(1) Ex charta pargamena illustrissimi Vladimiri Dzieduszyccii propria Sławiński descripsit. Funiculi serici flavi coloris. Sigillum desideratur.

A doctissimo Josepho Łepkowscio habemus aliud etiam privilegium in apographo nobis liberaliter concessum, quod in se locationem villae *Poremba* continet. Privilegium hoc in annotatione sequenti prelo donamus, nam certis de causis nonnullis doctissimus viris falsum esse videtur. Rationes vero eorum sunt: 1⁰ quod anno 1285 dominus Osuiecimiensis fuit Vladislaus dux Opoliensis, non Premislaus; 2⁰ quod privati non potuerunt his temporibus locare villas, nam jus erat regale; 3⁰ denique quod nemo villas locavit jure polonico sed theutonico potius. Ad objectiones has autem nostro judicio, facile responderi potest. Nam 1⁰ Premislaus dux vixit eodem tempore, fuit vero filius Vladislai Opoliensis et Raciboriensis ducis, Naruszewicz (Historya narodu Polskiego, T. VII, pag. XII, editionis a. 1836) appellat eum ducem Raciboriensem. Stenzel etiam noscit hunc Praemislaum filium Vladislai et ducem eum jam Osuiecimiensem appellat. Denique opusne est

benti memorie ualeant succurrere, et ordinaciones priorum factas utiliter, fideliter in posteros ualeant reseruare. Notum sit igitur vniuersis et singulis presentem paginam inspecturis quod nos *premizlius* dei gratia dux Opoliensis ([2]) dominus de *Osswencim* ([3]) pro sex Mansis culte terre quos fratres de *Mogyla* ([4]) in *Spitcouiz* ([5]) habuisse dinos-

majoris pretii documentis, quam illud nostrum anni 1284 privilegium N°. LXI huc typis exaratum: Premislaus legitur in eodem „dux Opoliensis, dominus de Osswencim". 2° et 3° Privatis duces dabant olim libertates villas locare et jure polonico et theutonico, nam in privilegio, de quo mentionem fecimus sub N° LV hujus Tomi nostri et quod in Tomo primo Codicis typis exaratus est legimus: „Nos vero (Boleslaus Pudicus) aquiescentes precibus *ipsorum*, verum eciam attendentes fidelia servicia *eorundem* (id est, militum Radwanitarum, personarum privatarum uti videmus), *locare permisimus jure theutonico sive polonico*, pro ut ipsis utilius videbitur."

Sed multa alia in hoc privilegio Łepkowscii sunt, quae nobis hanc locationem villae *Poremba* falsam esse demonstrant. Propterea in annotationibus eam posuimus. Est vero talis.

In Nômine Domini Amen Ne res gestae possint per Cursum declivum temporis aboleri, necessarium est, ut easdem confirmet linguarum testimonium et solennis Titulus literarum Notum sit igitur Universis et Singulis praesertim (sic) paginam inspecturis quod nos Comes Adam dedimus Viro provido Miłosconi Sylvam inter *Włosiennicam* villam et *Grodzice* et Civitatem *Oświecim*, quam Sylvam ex donatione Juditi (*) Principis Primiski (**) Dei gratia Ducis Oswięcimensis jure haereditario possidemus, Sexanita (sic) Mansos Franconicos, jure Polonico Popularitam, in quibus etiam ipse Miloslaus quam sui Posteri possidebunt sextum Mansum liberum perpetuo, tum a decima, tum a censu. Item molendina libera quotquot volet aedificabit, supra fluvium, qui *Włosiennica* vocatur. Tabernam etiam habebit liberam in Villa quam fecit, et Carnificem et Pistorem. Item tertium denarium habebit de proventibus Judiciorum, duos pro nobis reservando. Ecclesiae etiam, quam ibidem construxerit, in dotem unum Mansum liberum assignamus. Gaudebunt autem, qui locati fuerint in Mansis praenotatis sedecim annorum, plenaria libertate, qua peracta, de quolibet Manso nobis pro Censu et Decima solverit annuatim dimidiam Marcam argenti et grani triplicis sex mensuras, hoc est; duas mensuras Tritici, duas Sigillinis et duas avenae. Et ut omnia praehabita, nec non eorum singuli perenniter maneant inconculsa (sic). praesertim (sic) paginam super ipsis conscribi praecepimus, et nostri Sigilli haractere (sic) fecimus insigniri. Datum: *Oswiecim* in Vigilia Apostolorum Philippi et Jacobi Apostolorum Anno Nativitatis Domini M. CC. LXXX. Quinto. Testibus qui aderant, infrascriptis, scilicet: Henrico, Stephano Bassichich, Jacobo Zebronowich, Boguta Michaele Venatore, Gothardo militibus et aliis quam pluribus.

([2]) *Opole*, Germanice *Oppeln* urbs in Silesia, territorii caput.
([3]) *Oswiecim*, hodie parvum oppidum Regni Poloniae, quondam Silesiae pars.
([4]) *Mogila*, villa et monasterium non procul a Cracouia, nunc in Gallicia.
([5]) *Spytkouice:* conf. annotationem Tomi hujus pag. 121.

(*) *Juditi* legit Łepkowski, haud dubie debet esse *inclyti*. (**) Certe: *Primisli*.

cuntur dedimus eisdem fratribus Sedecim Mansos franconicos in silua nostra circa Metas de *Lancham* quos ex omni parte sui gadibus seu limitibus fecimus communiri,. In quibus Mansis sibi omnem quem poterunt construent usumfructum et ipsos iure heraditario (sic) perpetuo possidebunt, Jus eciam Teotonicum habebunt in eisdem, Et ut commutacio seu ordinacio huiusmodi perhenniter maneat inconwlsa presentem paginam super ipsa conscribi precepimus et nostri sigilli caractere fecimus insigniri. Datum *Ratibor* per manus Arnoldi nostri Notharij summi,. Anno domini MCC. LXXX quarto testibus qui aderant infra scriptis videlicet Brenzcone castellano Jascone corniza pribizlao fratre eius Martino procuratore domino Jacobo et alijs quampluribus.

LXII.

Cracoviae—26 Februarii 1286 anno.

Lesco dictus Niger dux Cracoviae, Sandomiriae et Siradiae privilegia a patruo suo Boleslao Pudico data monasterio Sanctae Crucis in Calvo monte (Łysa Góra) renovat et multa alia largitur (1).

In nomine domini amen. Bone rej dare consultum et adiutorium et presentis vite habere subsidium et eterne remuneracionis cernitur premium expectare. Cum... beneficia principum deceat esse mansura,

(1) Muczkowski e Tabulario publico Regni descripsit, ubi in libris Metryki koronne dictis vol. 22 pag. 400 et seqq. asservatur in transumpto Alexandri regis quod sequitur:
1506. „In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Cum alte Regum principumque dignitates egregiam tunc laudem mererj censentur. dum illa que per olim divos suarum maiestatum antecessores fuerant pro suorum commodo subditorum concessa a carie vetustatis relevant. tum multo ampliorem longeque prestanciorem adipiscuntur dum et hec que in pia opera personasque ecclesiasticas munifice sunt erogata approbant et ea que obscure minusque lucide scripta erant ne imposterum aliquid ambiguitatis pariant apercius declarant. Idque ut immortale posteris fiat Sigillis autentis (sic) testiumque fide dignorum annotacione perhennant. Proinde nos Allexander (sic) dei gracia Rex

precipue cum maxima... pro religione faciat. Notum esse volumus universis presentibus et futuris. Quomodo nos Lestko dei gracia Dux Cracovie Sandomirie et Siradie omnes actiones legittimas nostrorum progenitorum ritte factas in statu volentes pro (sic) incolumi permanere.

Polonie Magnus dux Lythuanie nec non terrarum Cracovie Sandomirie Siradie Lancicie Cuiavie Russie Prussie Culmensis Elbingensis Pomeranieque dominus et heres etc. Significamus tenore presencium quibus expedit universis presentibus et futuris harum noticiam habituris. Quomodo in nostra Consiliariorumque nostrorum presencia constitutus personaliter Venerabilis et Religiosus Magister Johannes Abbas Monasterij sancte Crucis de Calvo monte, ordinis sancti Benedictj, suo et tocius Conventus Monasterij prefati nominibus. exhibuit certas privilegij literas infrascriptas. licet nimia vetustate confectas, morsuque vermium exesas, omni tamen suspicionis nota carentes. Supplicavitque humiliter nostre Maiestati ut illas renovare approbare et confirmare benigniter dignaremur, Quarum sequitur tenor. (*Huc privilegium* N°. LXII).

Nos itaque prefati Abbatis tociusque eius Conventus peticionibus tanquam iustis et racioni consonis annuentes preinsertas privilegij literas velud (sic) iuste et legittime datas de munificencia celsitudinis nostre Regie ratificandas approbandas innovandas et confirmanda (sic) duximus, ratificamusque approbamus innovamus et confirmamus presentibus, decernentes eas in omnibus punctis articulis et clausulis ac condicionibus robur perpetue firmitatis inviolabiliter observare. Preterea dum clausula in presenti privilegio ratificata scripta de quinque marcis argentj sale ex zuppis Bochnensibus solvendis nonnulis dubium intelligendi pararet quidque solvendum esset ambigua contencio sepenumero origebatur (sic) proinde volentes ne quid posteris dubij in eo relinquatur clausulam illam intelligendam interpretandamque decrevimus. eoque modo interpretamur Statuentes quod Zupparij Bochnenses pro tempore existentes prefato Abbati, totique eius Conventui eorumque successoribus quinque salis banccos integros Cracovienses racione earundem quinque marcarum argentj singulis annis dare debebunt et tenebuntur perpetuo et in evum tenore presencium mediante. In cuius rei testimonium Sigillum nostrum presentibus est subappensum. Actum in Convencione generali Lublinensi Sabbato festj sanctj Valentini Anno domini Millesimo quingentesimo sexto Regni nostri quinto. Presentibus Reuerendissimis et Reuerendis in Christo patribus dominis Andrea Gneznensi et primate. Bernardino Leopoliensi Archiepiscopis, Joanne Cracoviensis Vincencio Wladislaviensis Joanne Poznaniensis Erasmo Ploczensis Mathia Premisliensis et Regni Polonie Vicecancellario Episcopis et Nicolao de *Cosczyelecz* electo Chelmensis ecclesiarum. Nec non magnificis Venerabilibus et generosis Spitkone de *Jaroslaw* Castellano Joanne de Tarnow palatino Cracoviensibus Andrea de *Schamotuli* Poznaniensi Nicolao de *Camijenyecz* Sandomiriensi Nicolao Gardzina de *Ludbranez* Calissiensi Jaroslao de *Lasko* Lanciciensi Joanne de *Tharnow* Russie Prandotha de *Trczijana* Ravensi Stanislao Kmitha de *Vysznicze* Belzensi et Paulo Colo de *dalcow* Podolie Palatinis Otha de *Chodecz* Leopoliensi Petro de *Nyenyglow* Rawensi Mathia Bal de *Novotancze* Sanoczensi Stanislao Curopathwa de *Laczuchow* Chelmensi Joanne Slupeczki de *Conari* Sandeczensi Jacobo de *Syedlka* Voiniciensi Petro Schafranijecz de *Pyeschkova skala* Visliciensi Joanne Jordan de *Zadiczyn* Byeczensi Stanislao de *Mlodzyeyowicze* Radomiensi Martino Skothniczki de *Bogoria* Zawichosthensi Andrea de *Radzeyowicze* Sochaczoviensi Jeronimo de *Cobylani* Rosperiensi

prout ecciam et nostras a nostris succedaneis fierj inprimis ([2]) stabiles et inconcussas, privilegium quod Illustris princeps predecessor et patruus noster dux condam Crac. et Sandomirie Boleslaus super libertatibus imunitatibus et exempctionibus (sic) Monasterio Calvi montis contulerat. pro villa condam Calvi montis wlgariter dicta *Osszyek* ([3]) quam frater Jacobus Abbas eiusdem Cenobij sibj dederat pro libertatibus infra scriptis innovandum duximus. pro remedio. anime nostre nostrorumque progenitorum et plenarie prout ex tenore eiusdem privilegij cognovimus perpetuo virgore (sic) confirmandum; domimumque Ratiborium abbatem calvi montis et omnes eius successores et ipsius ecclesiam in honore (sic) sancte Trinitatis a nostris maioribus constructam et Conventum et singulos monachos ac familiam ut (?) conversos tam presentes quam futuros imperpetuum. in nostram et nostrorum successorum protectionem recipimus specialem; villas eciam et predia ipsorum in utroque ducatu et eos qui in eisdem habitabunt sive liberi sive servi sive ascripticij. omni liberamus exactione factione vel servitute. quas wlgariter de verbo ad verbum volumus enarrare videlicet *powosz sztroze, sztan poradlne, sztroza. targowe. Narasz.* a vaccis. ab omnibus (?) eciam si stacionem habuerimus in villis ipsorum, a statione venatorum et aucupum, a stacione castorum in villis que *braczyeyowycze Glodno Cepla* wlgariter nuncupantur. A sta-

Mathia de *Gosthijn* Sremensi Paulo de *Chotchcza* Polaneczensi Castellanis Stanislao de *Chodecz* Marschalco Joanne de *Lassko* Cancellario Jacobo de *Schidlowyecz* Thezaurario Regni nostri Joanne Latalskij preposito Gneznensis Alberto Gorski Scolastico Wladislaviensi ecclesiarum et Jacobo de *Buczacz* Secretarijs nostris Nicolao ffirleij (sic) de Dambrovicza Vexillifero Cracoviensi et Capitaneo Lublinensi Derslao Wylczek Leopolien. Stanislao de *Cazanow* Lublinensi Succamerarijs Stanislao Jaroczki Marschalco Stanislao Schafranyecz de *Pijeschkowa Skala* Succamerario Curie nostre et alijs quam plurimis Consiliarijs Curiensibus nostris testibus ad premissa fide dignis sincere et fidelibus dilectis. Datum per manus eiusdem Reuerendi patris domini Mathie Episcopi Premisliensis et Regni Polonie Vice cancellarij sincere nobis dilecti Relatio ejusdem.

([2]) Fortasse: cupimus

([3]) *Osiek* oppidum terrae Sandomiriensis, regionis vero Staszoviensis *Łysa Góra, Święty Krzyż*, monasterium S. Crucis in Calvo monte, villa terrae Sandomiriensis territorii et regionis Opatoviensis, parochiae *Słupia nowa.* De abbatibus S. Crucis, Jacobo et Raciborio legas doctissimi Franc. Max. Sobieszczanscii opus: „Wycieczka archeologiczna" (Biblioteka Warsz. 1852, T. I, pag. 96 et seqq.)

cione pannificum et braxatorum excepto si in eorum villa steterimus et ab omnibus alijs servitutibus et prestacionibus ordinarijs sive extraordinarijs. preterquam solucionem que universaliter toti terre imponetur; quam nostro dominio solvere tenebuntur. Absolvimus insuper homines eorum liberos et serwos (sic), ab omni *pogon* et expedicione. Excepto si pagani vel alij homines in terra nostra volentes eam destruere steterint. ab edifficacione castrorum excepto castro Sandomiriensi et Lublinensi. et excepto. castro de *Lukow* (4), exceptoque Castro Cracoviensi. Cujus edificacioni interunt eorum liberi homines existentes. tamen modo in Cracoviensi ducatu. Absolvimus eciam eos ab omni theloneo utriusque ducatus. Item homines eorum liberos et servos reddimus absolutos eximentes eosdem a Judicio palatinorum et omnium Castellanorum utriusque terre et cuiuslibet alterius Judicis secularis ita quod auctoritate ipsorum nec cittari debeant. nec ecciam per eosdem in aliqua (?) causa levi vel magna iudicarj. Judicium enim eorum nobis tantum reservamus et ad nostram presenciam non aliter quam per literam sub Sigillo nostro cittabuntur. Quod si alio modo quam per nostram literam cittati fuerint non comparebunt nec ecciam respondebunt. et pro eo nullius pena solucionis punirj merebuntur. Homicidium vero si perpetrarj ubicunque locorum contigerit et uterque tam occisor quam occisus de villis fuerit Abbatis Monasterij prelibati nullus excepto ipso Abbate judicabit penam capitis sive homicidij libere percipiendo. Si autem homo abbatis extraneum vel extraneus hominem abbatis occiderit volumus ut hujus facti causa nostro deferatur Judicio per cittacionem litere sicut superius est expressum. Addimus eciam quod idem Abbas suique successores venacionem castorum et omnium aliarum ferarum cujuscunque generis fuerint in districtu villarum suarum valeant exercere. Concedimus ecciam predicto Abbatj et Conventui redditus quinque Marcarum argentj in salissparsura vel ebullitura (!) apud *Bochniam* quod *petina* wlgariter appellatur Jure hereditario imperpetuum ad habendum et possidendum. hec autem non primo con-

(4) *Łuków* hodie urbs, territorii et regionis caput, in antiquo palatinatu Lublinensi sita.

ferimus sed collata a nostris parentibus presenti scripto innovantes firmius confirmamus. In cuius rei testimonium et perhennem stabilitatem presentem paginam nostri appensione sigilli fecimus roborarj. Actum in *Cracouia* publice Anno domini Millesimo ducentesimo octuagesimo sexto presentibus hijs quorum ista sunt nomina. Comes. Sulco. Castellanus Cracoviensis. Comes Nicolaus Castellanus Sandomiriensis. Comes Martinus Castellanus de *Bryech* (?). Comes Imramus venator Cracoviensis Comes Nicolaus Succamerarius. Item aliter (sic) comes Nicolaus Thezaurarius Cracoviensis. Datum per manum domini Sefridj Subcancellarij Curie nostre Quarto Calendas Marcij.

LXIII.

Sandomiriae — sine die et mense 1286 anno.

Lesco dictus Niger Cracoviae et Sandomiriae dux, urbem *Sandomiriam* (Sandomierz), Vithconi suppario suo iure theutonico locandam permittit. Privilegia nova urbi largitur (1).

In nomine domini nostri Jesu Christi amen. Magnifica Principum celsitudine digne retribucionis premia merentur obtinere quos fidei puritas ex obsequiis reddit gratos et acceptos; Ubi enim per operis euidentiam fidele patet obsequium ibi remuneracionis dignissime pre-

(1) Privilegium hoc ex libris manuscriptis nostri maximi rerum gestarum seculi XVIII scriptoris, episcopi luceoriensis Adami Naruszewiczii descriptum. Legitur quidem privilegium hoc nostrum in Joannis Chądzyńscii opere polonico, cui titulus: Historyczno-statystyczne opisy miast starożytnych w ziemi Sandomierskiéj etc. Warszawa 1855. T. I, pag. 67—74, sed quum editio haec multis mendis scatet, huc edimus rursus monumentum hoc quasi novum et ineditum. Habuimus ejus duo apographa, alterum ex libris manuscriptis episcopi Adami Naruszewiczii a Sławińscio nobis largiter concessum, alterum vero ex archetypo descriptum, quod ubi est nescimus, haud dubio in Bibliotheca Nieboroviana asservatur: in manibus illustrissimi Alexandri Przeździeccii nuper erat, unde illud Joannes Herbczyński in editione hujus tomi Codicis noster coadjutor descripsit. Archetypon multas habet abbreviationes, nos edimus illud per extensum Interpunctio, qua in editione hujus privilegii usi sumus, codicis Naruszewicziani est.

mium sit paratum. Proinde noverint universi presentes et futuri, quod nos Lezstco Dei gracia dux Cracovie Sandomiriensis et Syraziensis qui ex dignitate principatus singulorum merita diligenti consideracione debemus iutueri volentes cuilibet pro meriti qualitate impendere gracie quantitatem in retribucionem obsequiorum nobis et terris nostris multipliciter per Withconem supparium nostrum prestitorum ipsi ac ipsius posteris Ciuitatem Nostram Sandomiriensem damus et tytulo perpetue donacionis tradimus sub iure theutonico et libertate meydburiensi locacionis locandi et conuocandi ad eandem homines quarumlibet nacionum et vndecumque libere tamen condicionis liberam et omnimodam facultatem; concedentes omnibus, qui ibidem locati fuerint, super cultis seu agris exstirpatis octo annorum libertatem plenariam a census dacione et ab omnibus tam ordinariis quam extraordinariis iuribus et solucionibus qualicumque yocabulo censeantur. Ad locandam siquidem prehabitam Ciuitatem addimus eidem Withconi ducentos laneos franconicos Ciuibus pro agricultura exercenda et habenda de quibus laneis omnibus sextum mansum liberum sextam curiam liberam sextumque ortum etc. liberum a solucione census et exactione predictus Withco cum suis posteris racione locacionis et aduocacie quam in ipsa Ciuitate quam locauerit iure hereditario tenebit in perpetuum pacifice et quiete possidebit. De mansis quidem cultis evoluta libertate supradicta octo annorum nobis cultores agrorum per octo scotos argenti examinati solvent de quolibet manso. De noualibus vero et incultis sedecim annis libertatem a census solucione et exactione qualibet retinebunt et quantumcunque nobis exspirata cedet libertate de quinque mansis. tantumdem aduocatus Withco cum suis posteris de sexto manso, sexta curia et sexto orto semper percipiet solucionis. Addimus insuper Ciuitati nostrae Sandomiriensi supradicte viginti laneos eiusdem mensure franconice pro pascuis animalibus faciendis de quibus nulla solucio durante libertate et post libertatem nobis cedet. Preterea eciam predicto aduocato Withconi cum suis posteris de gracia nostra speciali superaddimus octo mansos liberos penitus a census solucione et exactione exemptos. De iudiciis vero singularibus annuatim nobis duo denarii

et aduocato tercius semper cedet. Ad magnum iudicium quod fit ter in anno a latere nostro destinabimus militem siue ciuem quemcunque nobis fidelem qui simul cum aduocato diiudicans causas eisdem presidebit. Item addimus promittentes ciuibus nostris supradictis et aduocato quod nullum prouincialem aduocatum super ipsos umquam statuemus nisi ad magnum iudicium ut diximus superius nec pluries nisi ter in anno de quo eciam nobis sicut superius est expressum duo denarii et aduocato cum suis posteris tercius semper pertinebit. Damus eciam et concedimus predicte Ciuitati Sandomiriensi de fluuio *Vizla* superius et infra vnius longitudinem miliaris. Ubi aduocatus tantum pro se et suis legitimis successoribus et non alter cum quotcunque rotis volet quatuor habeat construere molendina et non plura. Que iure hereditario pacifice et quiete simul cum mansis octo de gracia nostra additis absque census solucione et exaccione in perpetuum possidebit. Promittimus eciam et concedimus sepedicto aduocato ut nullus in suum praejudicium aliquot audeat construere molendinum in fluuio nominato donec ipse quatuor loca sibi in eodem fluuio quatuor molendinorum pro sua elegerit et reseruauerit uoluntate. Preterea si quis alter pro se volet construere et comparere molendina non aliter audeat nisi primo a nobis vel a nostris succedaneis locum emat vel obtineat molendini piscandique in predicto fluvio *vizla* Ciuitati prehabite iam assignato. Aduocatus cum Ciuibus eiusdem Ciuitatis pisces qualescumque et quocunque artificio voluerint liberam habeant voluntatem. Volumus eciam quod non obstante alicuius prohibicione uel contradictione in eadem parte *Vizlae* quam Ciuitati addidimus Sandomiriensi sepedicte fratres predicatores de domo Sandomiriensi pisces capiant libere qualescumque et quocumque artificio voluerint tantum pro fratribus sue domus et non ad vendendum. Nec aliter nisi fratres dicte domus Sandomiriensis vel specialis de eadem domo piscator pisces habeat pro fratribus capiendi potestatem. Molendinum etiam eorumdem fratrum predicatorum super naues quod habent ab antiquo volumus de loco suo non abmoueri nec aliquot amodo (sic) liceat eis construere propter hoc quod habent molendinum. Siluas eciam ubicumque locorum nostre dicioni pertinentes pro utilitate Ciuitatis

prehabite damus et concedimus omnibus uniuersaliter incidendi et pontem per fluvium *Vizlam* parandi liberam et omnimodam potestatem, ita tamen quod si predictus pons corruerit a casu vel a uetustate sev a glacie supressus volumus tunc quod Ciues predicte Ciuitatis, navigium statuant. non autem eiusdem nauigii lucrum percipiat quisquam preter Ciues dicte urbis donec pons supradictus steterit ex integro reparatus. Damus insuper et concedimus predicto Withconi aduocato et suis legitimis successoribus in districtu sue Ciuitatis prehabite et in districtu laneorum Ciuitati adiacencium et additorum capiendi ubicumque locorum et venandi omne genus ferarum quocunque artificio voluerit uel maluerit liberam et omnimodam potestatem. Et ut Ciuitas prehabita Sandomiriensis tanto facilius tantoque cicius corrigatur. Volumus quod nulla taberna preter tres, unam Episcopi et duas Ecclesie Sancte Mariae que nunc sunt et fuerunt ab antiquo locate ad unius spacium miliaris per aliquem locetur vel habeatur. Item concedimus Ciuibus prehabite ciuitatis et omnibus aliis in districtu eiusdem in Dominijs nostris videlicet Cracoviensi Sandomiriensi et Syraziensi infra spacium libertatis supradicte sedecim annorum transeundi cum mercibus qualibuscumque et ubicumque locorum absque omni genere solucionis telonei et quocunque vocabulo censeatur liberam facultatem. Expirata deinde libertate prehabita idem Ciues nostri et omnes alii Ciuitati adiacentes per districtum quocunque in negociis suis transitum fecerint seu de foro ad forum seu mercimonia quelibet exercendo ab omni solucione telonei cujuscunque et quocunque nomine censeatur, in perpetuum sint liberi et immunes. volumus itaque ab omnibus obseruari inviolabiliter et inconcusse quod post libertatem sedecim annorum supradictam telonearii in confinibus et metis terrarum nostrarum jam dictarum constituti a modo non plus quam dimidietatem telonei a nostris Ciuibus iam dictis et in districtu Ciuitatis manentibus ita si extra gades seu metas transierint pro mercibus accipere habeant et extorquere. Et vt Ciuitas nostra Sandomiriensis sepedicta in temporalibus de die in diem augeatur et excrescat statuimus quod hospites undecumque cum mercimoniis qualibuscumque ipsam intrauerint eadem mercimonia in ipsa

Ciuitate deponant nec alias educere audeant vel presumant donec sua mercimonia supradicta hospitibus de diuersis partibus vel regionibus aduenientibus seu nostris Ciuibus ex integro reuendant. Statuimus eciam et volumus quod moneta communis denariorum in predicta Ciuitate habeatur et per totum dominium Sandomiriense a vendentibus et ementibus res qualescunque irrecusabiliter accipiatur nec aliqua in preiudicium Ciuitati iam expresse vergencia ab aliis Ciuitatibus vel quibuscunque aliis inferri permittemus. Cum autem Ciuitas nostra prenominata ex integro in opere suo steterit constructa et completa volumus tunc quod camere pannorum et institorum in eadem inmediate construantur de quibus nobis et nostris successoribus quinque partes cedent solucionis sexta vero ad advocatum hereditarium cum suis legitimis successoribus pertinebit. De aliis omnibus que secuntur ut pote de cameris vel macellis carnificum de banccis (sic) pistorum et calcipariorum atque de cameris examinatorum argenti et de domijbus mactatoriis que cutlere nuncupantur et de balneis hijs omnibus per ipsum advocatum hereditarium constructis et comparatis non alteri quam ipsi aduocato Withconi et suis posteris tanquam Domino suo speciali deseruient et soluciones qualescumque ex ipsis prouenient vel possunt in futurum prouenire persoluentur. Promittimus insuper Ciuibus nostris supradictis in ipsorum Ciuitate parochiam ut construant specialem ab Episcopo obtinere. Item damus et concedimus predicto aduocato Withconi et suis posteris in omnibus Riuulis et fluviis agrorum Ciuitati per nos additis ubicunque locorum fuerint sive prope vel remote construendi molendina et piscinas liberas ab omni solucione iure hereditario inperpetuum possidendas et habendas. Causas quoque leves et arduas aduocatus cum suis posteris iudicare habeat. Reos criminis et maleficos qui inciuitate aut extra Ciuitatem in territorio ipsius reperti fuerint vel per quemcunque deprehensi pro qualitate noxietatis et culpe debita pena puniendo. Item damus et concedimus ciuibus nostris supradictis in ciuitate sua iudicium pugne vel duelli occurrente necessitate vel dum opus fuerit exerceri et habere libere nihil horum propter nostram absentiam differentes. Item volumus quod Ciues nostre ciuitatis prehabite Sando-

miriensis non grauentur ut in iudicio prouinciali non plus quam triginta solidos soluat condempnatus in iudicio autem ebdomadali quatuor solidos soluat de jure consueto. Cum autem causa ad magis quam triginta solidos se extendet tunc condigna solucio sicut ius expostulat causarum illam sequatur. Item uolumus quod omnibus transire volentibus vngariam vel Russiam et e conuerso de vngaria vel Russia per Sandomiriam Ciuitatem transitus communis habeatur. Item addimus promittentes aduocato hereditario et suis posteris quod si aliquot lucrum metalli vtpote auri argenti cupri plumbi et stagni in districtu Ciuitatis Sandomiriensis inuentum fuerit vel repertum non aliter quam ipse aduocatus cum suis legitimis successoribus idem lucrum quodcumque fuerit jure montano occupabit sextum 6 denarium ex dicto lucro hereditarie in perpetuum libere et suis posteris usurpando. Promittimns etiam omnia viuaria vel structuras in fluvio *vizla* per quemcumque factas et cuiuscumque fuerint pro opere ciuitatis Sandomiriensis supradicte et aliis temporibus necessitatis prout iuris est aperire. Statuimus insuper inpredicta Ciuitate Sandomiriensi forum annuale in festo assumpcionis beate marie quatuordecem continue diebus celebrari semper et teneri volumus itaque ut pro tali donacione hereditaria et libertatis recepcione simul et pro aduocacia aduocatus hereditarius cum quatuor balistariis nobis et nostris successoribus mittendo ad expediciones quibus personaliter affuerimus vel noster successor teneatur cum suis posteris deseruire. Ad predictas quoque locaciones tam Ciuitatis quam agrorum eidem adiacencium qui fuerint vocati a Palatino et Castellano Sandomiriensibus et omni potestate ipsorum iudiciaria propter ius theutonicum simul cum aduocato sint penitus absoluti, nec alibi vnquam citabuntur aduocatus cum ciuibus suis et alii iure theutonico fruentes nisi ad nostrum iudicium si opus fuerit per litteram sub sigillo nostro non aliter quam iure theutonico in omnibus causis iudicandi. Verumtamen si aliquod priuilegium emerserit in posterum et per aliquem ostensum fuerit continens forsan super predicta Ciuitate a patruo nostro inclito Duce quondam Cracouie et Sandomirie Bolezlao vel ab antecessore ipsius, donacionem factam vel empcionem propter neglectionem tantam quod

a tataris primis eandem non curauit reformare desolatam, volumus quod hoc idem priuilegium nullius sit uigoris et a nostre posteritatis succedaneis penitus friuolum reputetur. In quorum omnium stabilitatem perhennem et firmissimam perhennitatem ne possent nube tegi obliuionis aut scrupulo calumpnie aliquatenus prepediri presentem paginam nostri sigilli munimine fecimus roborare. Actum in *Sandomiria* Anno Domini MCCXXXVI° (²). Presentibus hijs quorum ista sunt nomina Comes Sulco Castellanus Cracouiensis, Comes Boxa palatinus Sandomiriensis, Comes Petrus palatinus Cracouiensis Dominus Procopius Cancellarius per cujus manum hoc priuilegium est porrectum Comes Nicolaus castellanus Sandomiriensis et Dominus Syffridus Custos Ecclesie Beate Marie in *Sandomiria*.

(²) Annus hoc loco non 1236 sed 1286 esse debet, testibus doctissimis rerum gestarum Poloniae scrutatoribus seculi decimi octavi, id est, Joanne Albertrandio et Adamo Naruszewiczio. Albertrandi, apographo hoc descripto, professus est, quod sequitur (verba ejus propria huc citamus): „Annus ut supra videtur scriptus, obliterata scilicet nota L in ipsa membranae plicatura sita, quod spatii amplitudo satis edocet.

Testis de visu qui examinavi autographum.

Joannes Albertrandi."

Naruszewicz vero in charta, quae hoc apographon habuit descriptum, sequentia addidit: „Vidi Ego ipse hoc originale anno 1785 initio mensis Martii Varsaviae mihi exhibitum ab adlibrato (?) (fortasse: ab Albertrandio) et Notario, et literam numeri ecclesiastici Romani L vetustate et plicatura obliteratam pluries inspexi.

Adamus Naruszewicz Episc. Coadi. Smol. Sup. M. D. L. Notarius.

(Duo haec testimonia in apographo legit Sławiński, illaque nobiscum communicavit).

LXIV.

Cracoviae—1287 anno.

Lesco dictus Niger dux Cracoviae, Sandomiriae et Siradiae a patruo suo Boleslao Pudico privilegia monasterio apud Cracoviam *Zwierzyniecensi* data, confirmat (1).

In nomine domini amen. Humanorum condicio gestorum sub thabescencium lege temporum constituta, refragacionis discrimina apud posteros subire cogeretur, nisi valituris in omne seculum instrumentis, et scripturis autenticis, testimonioque sufficienti, que temporaliter gesta sunt, firmitatem perpetuam sortirentur. Proinde nouerit tam presens etas, quam futura, quod nos Lestco dei gracia dux Cracouie, Sandomirie, et Siradie, ecclesiam sancti saluatoris Monasterij de *Sverincia* ordinis premonstracensis sinceriter prósequentes, ut deodicate sanctimoniales ibidem Jesu Christo commodius famulentur, pro nostra et nostrorum salute parentum confirmamus nostro priuilegio innouantes, omnes libertates, donaciones et immunitates per inclitum principem dilectum patruum nostrum Boleslaum dei gracia felicis memorie quondam ducem Cracouie et Sandomirie, ipsi Monasterio de *Sverincia* donata et priuilegio suo confirmata. Ita quod prepositus jam dicti Monasterij cum omnibus hominibus et incolis villarum, thabernatorum et molendinariorium, coram castellano cracouiensi et palatino aut alijs palatinis, castellanis vel judicibus eorum comparere non teneantur (sic), siue respondere pro quacunque causa, nisi tantum coram nostro judicio comparebunt et judicium subire tenebuntur, dum per literam cum sigillo nostro et per ministerialem ad idem fue-

(1) Boleslaus Pudicus anno 1256 multis privilegiis monasterium *Zwierzyniecense* ornavit, vide hujus Codicis nostri Tomi 3, pag. 69, diploma ejus sub No. XXXIII typis impressum. Lesco Niger privilegium Boleslai verbum ad verbum renovat anno 1287, renovationem hanc descripsit etiam Muczkowski ex Tabulario Publico Regni (Metryki koronne vol. 27 pag. 268).

rint preuocati. Confirmamus eciam eidem monasterio omnes hereditates donatas, emptas et commutatas cum omnibus utilitatibus, agris, molendinis, thabernis, pratis, pascuis, siluis, quercetis, venacionibus, piscacionibus, fluvijs, piscinis et stangnis. Quarum hereditatum nomina subsequuntur, *Sverincia* cum thabernis circa *Ostrigoveam* et *Creckouiecz* ante *Cracouiam*, *Dambe* cum pratis et omnibus utilitatibus *Negrbea* thaberna cum agris et pratis, *Rudaua* cum molendino et thabernis, *Liskj* cum hominibus ascripticijs, *Olseuicia* cum hominibus ascripticijs, *Rogoznik* cum hominibus ascripticijs, *Modlnicia* cum thaberna, agris, pratis, rubetis, gaijs et cum hominibus ascripticijs, *Lubocea* et *Damaskow* cum silua, pratis, lacu et campo agerij, *pobednik* cum silua, pratjs, thaberna, molendino, stagnis, *Spitaar* cum hominibus ascripticijs, *Chranstonici* cum thaberna, pratis et molendino, *Clonow* cum thaberna et silua, *Kosceijow* cum thaberna, *Sarbe* cum thaberna, molendinis, *Kamincici* cum thaberna, molendino et pratis, *Polistras* cum silua et omnibus utilitatibus, *Facimech* cum thaberna, silua et *uisla* cum utroque litore, *Kczanczin* cum thabernis, silua et pratis, *Rokow* cum thaberna, pratis et utroque litore *skaue* et cum silua, *Muchar* cum thaberna, silua, pratis et utroque littore *skaue*, *Grodisce* cum silua, pratis et thaberna. *Grodecz* cum thabernis, molendinis, silua et pratis, Mons sancti benedicti et *plasow* cum thaberna, pratis, rubetis, silua et stangnis, *Pregoral* cum hominibus ascripticijs et cum *Visla*, *Belani* cum thaberna, pratis, silua et *Visla*, *Czatkonice* cum hominibus ascripticijs. In *Sicina* sarthago ad coquendum salem et pratum *Skonisin* quod *Vetrna gora* a wlgo dicitur in terra Lublensi, cum alijs adiacentibus hereditatibus, id est cum *Wysin*, *Reczicza*, *crampa*, *Javerecz* et utrumque littus *Visle* et clausure ad piscandum et cum stagnis *Jacsici* cum hominibus ascripticijs, cum thabernis et foro. Sunt preterea omnes premisse ville cum omnibus hominibus et incolis, cum omni posteritate sua ab omnibus exactionibus, solucionibus, angarijs et perangarijs secundum consuetudinem terre liberi perpetuo et immunes, et ab hijs que a wlgo *staan*, *stroza*, *prevod*, *pouoz*, *crova*, ovis nuncupantur. Si vero homicidium evenerit, quod absit, in villis memoratis, Judex noster tunc ad claustrum descendens de

causa homicidij cum preposito judicialiter discuciet, solucionem tamen capitis prepositus recipere tenebitur, nullius alterius judicis obstante auctoritate. In cujus rei testimonium presentem paginam sepedicto monasterio de *Sverincia* contulimus, nostri sigilli munimine roboratam. Actum publice in *Cracovia* anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo septimo. Presentibus testibus istis. Comite Sulcone castellano Cracouiensi, comite petro palatino cracouiensi, comite Martino castellano de *Malogosc*, comite Segotha pincerna cracouiensi, Nicolao Succamerario cracouiensi, Nicolao thezaurario cracouiensi, et alijs quam plurimis. Datum per manum domini Procopij cancellarij nostri (²).

(²) Quibus quidem supplicacionibus etc. (Confirmationem Sigismundi regis vide sub finem privilegii anni 1256 huc typis exarati sub N°. XXXIII ex eodem libro M. 24 f. 272 deprompti).

LXV.

Sine loco — 17 Junii 1287 anno.

Lesco dictus Niger dux Cracoviae, Sandomiriae et Siradiae, litem inter abbatem Tinecicensem Albertum et homines de *Kurozwęki* dirimens, privilegium patrui sui Boleslai Pudicis confirmat (¹).

In nomine domini nostri amen; Nos *Lestco* dej gracia dux Cracouie Sandomirie ac Syradie. Notum facimus vniuersis presentem paginam inspecturis quod cum inter abbatem Thinciensem dominum albertum: exvna parte et homines nostros de *Curozsank* exaltera mota

(¹) E tabula pargamena apographon descriptum. Sigillum desideratur. Funiculi serici coloris flavi.

De *Tinecia* jam supra dictum: Abbates hujus loci apud Szczygielscium, qui privilegia monasterii omnia collegerat, fuerunt his temporibus sequentes: Boleborius (1249—1259), postea Modliborius (1259—1271), Cosmas (1271—1287), Danielus (1287—1293) et Albertus (1293—98). Ex nostro privilegio apparet, Szczygielscium non bene descripsisse annos eorum regiminis in monasterio. De villis legas apud eundem Szczygielscium in ejus „Tinecia."—*Kurozwęki* hodie oppidum territorii Stobnicensis, regionis Szydłouiensis

fuissent inicia questionum super silue pertinenciis et vsibus ibidem adiacentis; Tandem dictante iusticia a nostris baronibus circa nos existentibus est compertum. ut dicti homines nostri de *Curozsank* in pertinenciis et vsibus silue superius habite finaliter remanerent; quemadmodum in priuilegio patrui nostri felicis recordacionis. Boleslay Ducis Cracouie et Sandomirie publicatum constat fore in hec verba In Nomine domini amen. Nouerint tam presentes quam posteri, quod nos boleslaus dej gracia dux Cracouie et Sandomiriensis. cum ad instanciam venerabilis patris domini Boleborij; abbatis Thinciensis. Laurencium nostrum subcamerarium mediatorem statuissemus transmittentes. ut inter villam eiusdem abbatis que *radesov* dicitur et *Curozsank* villam hominum castri Cracouiensis; ad custodiam brone de *Mislimich* pertinencium limites. *granice* vulgariter nuncupatas; abbati faceret supra dicto; et idem laurencius simul cum convocata vicinia ipsos limites a uia que de *radesou* villa supradicta tendit in *Mogilan;* versus locum qui *wlosoua* vocatur inciperet limitare Nec adhuc ad ipsum locum *wlozauan* peruenerat. Homines dicti de *Curozsank;* eosdem Limites fieri contradixerunt, asserentes ipsos fieri in preiudicium ipsorum et grauamen eo quod pereosdem limites ipsi spoliarentur et priuarentur insilua magna que ab ipso loco *wlosoua* incipit et finit in metis Hungarorum. vniuersis et singullis. vtilitatibus; videlicet omni genere venandi. per *stampice. slopi. Jami.* et recia asperiottia (sic). Mellificia ordinandi et aliis lucrifaciendi Influuiis eciam eiusdem silue videlicet in *scauina; scauicha* et *sedlnicha* vtilitatibus piscandi.... (²) excepta castrorum (sic) (³) captura que hec omnia cum prefato abbate perpetuo communiter habuerunt quas vtilitates omnes in tegre sine diminucione aliqua sepe dictus abbas eisdem hominibus recognouit Quod dictus noster mediator audiens in augmentum iusticie dictorum hominum vlterius noluit limitare. faciens vtramque partem in nostra presencia comparere; Tandemque ipse abbas in nostra pre-

(²) Verbo *piscandi* aliud abbreviatum sequitur, de quo incerti sumus; fortasse verbum hoc significat: *lutrandi*, (łowienie wyder?).
(³) Debebat esse: *castorum*.

sencia comparere; Tandemque ipse abbas in nostra presencia comparendo. hoc ipsum ex integro recognouit Adiciens nichilominus quod aliquando *radseu* dictam villam que ad ipsum abbatem pertinet; sepe dicti homines castri. mixti suis incolebant invicem commanentes hominibus: verum ne inter ipsos et suos homines scisma discordie possit aliquatenus generari. ipse abbas propter pacis bonum. homines pertinentes. brone: asuis hominibus semouit; pro ipsorum terra quam in dicta villa *radesov* possidebant per formam commutacionis terram aliam pro inhabitacione et agris ipsorum. vbi nunc *Curozsank* dicitur commutando in perpetuum. promittendoque sub obligacione eos tam ab abbate de *Chirich.* aparte *Mogilanensi.* quam ab aliis aduersariis exaltera; si qui eos infestauerint super predicta terra quam eis contulit defensare (sic): In super idem abbas recognouit sepe dictis hominibus quod tam in *radesov* quam in sua uilla non obstantibus dictis limitibus. vsumfructum pascuorum et omnium aliorum semper haberent liberam potestatem. Hoc excepto quod agros arandos seu colendos dicti abbatis nequaquam idem homines se intromittent verum ne eandem recognicionem. sepe dicti abbatis possit aliquorum calumpnia in posterum prepedire. anobis idem homines pecierunt, ut super ipsa recognicione in ipsius robur perpetue firmitatis litteras donaremus. Nos itaque ipsam recognicionem exigente iusticia per nostras litteras confirmamus nostro sigillo roboratas.. Acta autem est renouacio et confirmacio Lestcone regnante huius priuilegij. Ab in carnacione verbi; Anno. M⁰. C C⁰. LX X X⁰. VII. presentibus istis. Quorum nomina in hoc scripto continentur Comes sulco Castellanus Cracouiensis ymramus venator Cracouiensis Johannes bobroui voc (vocatus?). glovni. Michael. bochepor filij Radnj. Datum permanus philippi sub Cancellarij Cracouiensis et Sandomiriensis. XV. kalendas Julij.

LXVI.

Cracoviae — die 3 Aprilis 1288 anno.

Lesco dictus Niger dux Cracoviae, Sandomiriae et Siradiae, monasterio *Zwierzyniecens* **jure teutonico locandas villas** *Bibichy* **et** *Meszów* **permittit et jura, Waltero Civi Cracoviensi a monasterio in iisdem villis data, confirmat (¹).**

In nomine domini amen. Noueritis uniuersi tam praesentes, quam futurj, quod nos Lesco Dei gracia Dux Cracouiae, Sandomiriae et Siradiae, ob salutem animae nostrae, ob religiosorum fratrum et sororum sub regula beati Augustini Deo famulantium fauorem, et amorem domus et Cenobij *Zvierzíciensis* (sic) (²) justisque peticionibus ac deuotis domini Clementis praepositi ejusdem cenobij annuentes, talem gratiam ipsi praeposito et monasterio praelibato duximus faciendam: ut haereditates suas, quae uulgariter *Bibichy* et *Meschow* nuncupantur locare valeant sub jure Theutonico, et ibidem omnimodas nationes exceptis Polonis de nostris nostrorumque militum Polonicalibus villis

(¹) Muczkowski descripsit e Tabulario publico Regni (Metryki vol. 68 pag. 250 et seqq.). Apographon vero hujus nostri privilegii in transumpto Sigismundi Primi regis asservatur, quod sequitur:

1544. Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae etc uniuersis et singulis, quorum interest, manifestum, testatumque facimus. Quod productae sunt coram nobis literae in carta pecorina scriptae, et signo appenso communitae, illustris olim principis Lesconis Cracouiensis et Sandomiriensis Ducis saluae, integrae, et omni prorsus suspitionis vitio carentes, tenoris infrascripti Atque supplicatum nobis fuit, ut illas ob earum vetustatem renouare, approbare et confirmare dignaremur. Quarum quidem literarum haec sunt verba: (*Hoc loco praemissum privilegium*).

Nos itaque supplicationibus nonnullorum Consiliariorum annuentes, literas praeinsertas in omnibus earum articulis, punctis et conditionibus renovandas, ratificandas, approbandas et confirmandas duximus; approbamusque, ratificamus et confirmamus, praesentibus literis nostris. Decernentes illas et omnia ac singula in eis contenta et descripta robur obtinere debere debitae firmitatis Harum testimonio literarum, quibus sigillum nostrum est appensum. Datum in *Zawichosth* feria quinta post festum undecim millia virginum, anno domini M. D XLIIII Regni nostri XXXVIII.

(²) De villa *Zwierzyniec* vide jam supra annotationem 2 praemissi privilegii Nº. XXXIII. Villae *Bibichy* et *Meszow* jam evanuerunt.

conuocare. Et quia dictus praepositus et Conuentus fratrum et sororum monasterij praelibati, villicationem cum omni jure, quod ad eandem pertinet in praenominatis haereditatibus Walcero ciui Cracouiensi contulerunt jure haereditario, cum suis posteris habendam in perpetuum et possidendam, donationem ipsorum ratificantes confirmamus et confirmatam esse volumus stabili perpetuitate. Statuimus igitur, ut tam villicus praenominatus, quam villani per omnia et in omnibus jura sua teneant, et gubernent secundum jus, quod expresse tenetur in ciuitate *Noui fori*. Tabernam quoque eidem villico habendam in villa liberam indulgemus, et omnibus qui per ipsum villicum fuerint in *Bibich* et *Meschow* ad incolendum conuocati. Damus interea duodecim annos ab omni solutione, exactione, et operatione siue sint ordinariae siue extraordinariae plenam libertatem, ita quod libertas, in campis cultis et paratis non diutius vigeat, quam sex annis. De incultis vero, utpote de rubetis et *Dambrowa*, duodecim annis teneatur. Praeterea ab omni thelonearia solutione per districtum nostri dominij cum mercibus suis transeuntes, tam villicus quam villanj praenominatj sint liberj, infra duodecim annos. Quibus elapsis, theloneum soluent, prout de jure tenebuntur. Et pro deffensione terrae nostrae ac reipublicae commoditate nobis aderunt, pro sua facultate in omnibus, quemadmodum aliae villae, quae in nostro dominio sub jure theutonico sunt locatae, claustralium. Et quia jura Theutonicalis locationis penitus a juribus Polonicalibus sunt exempta, nec aliquatenus ipsis subicj paciuntur, a Palatino seu Castellano Cracoviensibus, ac omni potestate ipsorum judiciaria, et officialium universorum sint liberj et immunes, prout et primitus ex priuilegijs monasterij *Zvyerziciensis* praedictae villae exemptae fuerant et solutae. Excepto nostro judicio, ad quod, si opus fuerit, per literam tamen sub nostro sigillo cittati venient, non aliter quam jure Theutonico judicandi. Quod ut ratum et firmum ab omnibus in posterum habeatur, ut nullius procellositatis turbine impugnarj vel infringi, praesentem paginam nostri appensione sigillj fecimus consignarj. Actum in *Cracouia* publice, anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo octauo. Praesentibus istis, quorum haec sunt nomina. Comes Petrus Palatinus Cracouiensis, do-

minus Procopius Cancellarius noster, Comes Laurentius judex Cracouiensis, Comes Martinus Castellanus de *Malogoszcz*, Comes Nicolaus subcamerarius, Comes Nicolaus thesaurarius Cracouiensis. Datum per manus dominj Philippi subcancellarij nostri, canonici ecclesiae Sandomiriensis, III nonas Aprilis.

LXVII.

Cracoviae—8 Novembris 1292 anno.

Venceslaus Rex Bohemiae, dux Cracoviae et Sandomiriae, villam *Kamienica* dictam in oppidum *Sandecz* Bertoldo advocato et Arnoldo cum patribus filiis Tyrmanii locare permittit (1).

(Transumpta Vladislai dicti Łokietek 1330 et Casimiri Magni regum 1348).

Nos Wenceslaus dei gracia Rex Bohemię, Dux Cracovie et Sandomirie, Marchioque Moravie notum facimus universis tam presentibus

(1) Łepkowski descripsit ex quodam tabulario in Gallicia. Privilegium Venceslai in duobus transumptis invenitur, quae huc sequuntur.

1340. In Christi nomine Amen. Nos Kazimirus Dei gracia Rex Polonie, notum facimus quibus expedit universis: Quod vir discretus et honestus, nomine Nicolaus Advocatus Sandecensis, Bertoldi quondam natus, nobis humiliter et reverenter supplicavit, ut privilegium super eadem Advocacia per Illustres Principes, videlicet Wenceslaum Regem Bohemie, datum et concessum, et demum per nostrum genitorem clare memoriae confirmatum, sibi et natis fratris sui Georgij felicis recordacionis, dignaremur sub ratihabicione confirmare. Cuius Privilegii tenor erat talis

1330. In nomine domini Amen. Cunctorum perit memoria factorum, nisi scripto legitimo et testimonio fide digno perhennetur salubriter et firmetur. Hinc est quod nos Wladislaus dei gracia Rex Polonie, nec non terrarum Cracovie, Sandomirie, Syradie, Lancicie Cuyavieque dominus et heres: Notificamus universis presentibus et futuris. Quod accedens ad nostram presenciam discretus vir Nicolaus Advocatus noster Sandecensis, tam suo, quam eciam Georgij filij quondam Lodwici Advocati ibidem, nomine nobis humiliter supplicavit, ut Privilegium suorum progenitorum super Advocacia nove Civitatis Sandecensis, olim a Rege Bohemie obtentum, et demum per nos confirmatum, dignaremur eis et corum legitimis successoribus cum ratihabicione omnimoda per nostras literas sub nostro Sigillo Regio confirmare. Cuius Privilegii tenor erat talis (*Huc privilegium nostrum*).

1330. Nos igitur attendentes ex huiusmodi locacione Civitatis predicte nobis et nostris successoribus utilitates plurimas accrevisse, dictorum Nicolai et Georgij advocato-

quam futuris, quod nos Ciuitatem nostram *Sandecz* (¹) ad illum locum, in quo nunc Villa *Kamenycz* sita est, dilectis fidelibus nostris Bertholdo Advocato et Arnoldo cum suis fratribus filijs. Tyrmanij ejusdem Advocacie consortibus concedimus locandam, Annectentes ad ipsam Civitatem *Sandecz* septuaginta duos mansos, quos a quolibet homine enodabimus et liberos penitus faciemus; debet autem mansus quilibet decem scotos argenti usualis in festo sancti Martini census nomine, solvere annuatim; de quibus septuaginta duobus Mansis, sex ad communem omnium Civium utilitatem pro pascuis et alijs usibus pertinebunt: quatuor omnino liberi, et de duobus Mansis tota comunitas, ut

rum ibidem iustis et racionabilibus precibus aclinati, et ut ipsos ad ampliora nostra servicia provocemus, predictam advocaciam cum universis suis Juribus et pertinencijs, prout in eodem privilegio sub singulis suis clausulis continetur, ipsis Nicolao videlicet et Georgio successoribusque eorundem, communicato nostrorum Baronum consilio, iure hereditario perpetuo possidendam tenore presencium censuimus confirmandam. In cuius rei perpetuam memoriam Sigillum nostrum Regium duximus presentibus apponendum. Datum *Cracovie* Anno domini M. C. C. C. tricezimo. Presentibus nobilibus nostris: Navogio Castellano, Spicimiro palatino, Sbigneo Cancellario Cracoviensi, Johanne Castellano Sandecensi, A(nd)rea Dapifero, Regotha gladifero Cracoviensi, Hermanno Procuratore nostro generali, et aliis pluribus fidedignis. Datum per manus domini Petri Prepositi Sandomiriensis et vicecancellarij Curie nostre.

1344. Nos itaque ipsius Nicolai iustis...nibus satisfacere volentes, intuitu suorum serviciorum, que genitori nostro impendit, et nobis se offert impensurum, sibi Nicolao ac natis predicti Georgij et ipsorum legittimis successoribus, predictum privilegium cum singulis clausulis et articulis in ipso Privilegio contentis, prout patrocinio, sub appensione nostrorum regalium Sigillorum liberaliter confirmamus; hoc adiecto, quod idem Nicolaus et nati dicti Georgij ac heredes eorundem cum duobus Rynnerijs sublattis ad quamlibet expedicionem communem cum terrigenis, nobis et nostris heredibus servire tenebuntur. Datum *Cracovie*. Anno Domini M. C. C. C. XL. quarto Presentibus hijs Testibus: Spitkone Castellano. Sbigneo Cancellario Cracoviensi, Petro dicto Nossal Castellano Sandomiriense (sic), domino Hermanno Cancellario Cuyaviense, nostro Procuratore Cracoviense. Nicolao dicto Wyrzingo dapifero Sandomiriense, Clemente gladifero nostro Cracovien. et alijs multis testibus fidedignis. Datum per manus domini petri Vicecancellarii Curie nostre, et prepositi sancti floriani

(¹) *Sandecz*, *Sądecz* vel *Sącz* hodie Polonis vocatur, latine vero *Sandecia*, urbs est hodie in Regno Galliciae. *Sandecia nova* est et *antiqua*, et quidem hic de *Nova Sandecia* agitur, oppido scilicet parochiali Sandecensis territorii, cujus etiam caput est. *Kamienica* erat villa capituli cracoviensis propria, Venceslaus capitulo dedit oppidum *Biecz* et villam hanc per commutationem accepit De fundatione Novae Sandeciae conf. etiam in opere „Starożytna Polska" T. I, pag. 217. Postea oppidum hoc nostrum sedes erat et capitanei et castellani, minorum castellanorum senioris. Rivulus *Kamienica* huc infra memoratus, cujus ostia in *Dunajec* prope ipsam Sandeciam.

de alijs laneis Censum solvet nobis, sexto denario pro advocatis reservato; de alijs autem universis mansis et Areis, que Aree per dimidium lottum solvent, sextam partem dicti advocati habebunt, pro nobis quinque partibus reservatis. Sed de apotecis, Cameris pannorum, Mensis panum, Sutorum et Macellis, de examinatorio, libra plumbi et alijs omnibus structuris in eadem Civitate, de quibus utilitates alique provenire poterunt, eorundem proventuum sexta pars etiam eisdem advocatis cedet, et quinque partes debent aplicari pro comuni utilitate et commodo Civitatis eiusdem; omnia nihilominus Macella, quecumque ijdem advocati proprijs sumptibus comparabunt, construent et ement, et duo balnea, unam Curiam, in qua peccora mactantur, que Kuttelhof vulgariter nuncupatur; et unum Mansum cum Curia in Civitate prescripta, Molendina insuper quotquod (sic) necessaria eidem territorio super *Dunayecz* in utroque littore in *Kamenycz* et in *Elbynge* aquis, suis impensis facient, ab omnibus Censibus et servitutibus quibuslibet, ijdem advocati cum suis Heredibus, libera possidebunt; et Molendina predicta nulli alij quam ipsis construere licebit. De Culpis vero Iudicij et Causis cuiuslibet rei, tercia pars ipsis et eorum Heredibus, et due partes proventuum omnium nobis cedent; et quia ad ipsam Civitatem addidimus de Silvis nostris Centum Mansos, quos in spacio quindecim annorum a data presencium locarentur (sic), quotquod de predictis Mansis locati fuerint in spacio eodem ad similem Censum supradictorum Mansorum tenebuntur, et ipsi eciam advocati totam partem habebunt de eisdem mansis proventuum quorumcunque. Hoc quoque addimus quodsi Aurum vel Metallum qualecunque, Advocatos et Cives eiusdem Civitatis infra terminos et limites hereditatis pertinentis ad ipsos, fortuna favente, invenire, et cum sumptibus eorum elaborare contigerit, omne jus quod circa talia principes alij consueverunt, eis volumus observare. Constituimus insuper, ut theloneum non in antiquo loco, sed in presenti recipiatur, et via ibidem communis et publica deinceps dirigatur. Amplius volumus, quod in toto districtu apud ipsam Civitatem, nullum forum habeatur alias quam ibidem; Volentes ut hij qui secus presumpserint, per advocatos predictos rebus omnibus spolientur, et persone nobis cum spolio pre-

sententur. Et ut Civitatis eiusdem condicio melioretur, annuale forum in festo beate Margarete usque ad eius Octavam servari et haberi volumus cum omnimoda libertate; Monetam eciam pro utilitate Civitatis per advocatos instaurandam concedimus et favemus. Ceterum alie (sic) Jncole undecunque venientes ad inhabitandam ipsam Civitatem per ducatus nostros Cracovie et Sandomirie, liberum habeant transitum a theloneis absolvuntur, et ijdem Jncole in Civitate comorantes per utramque *Wartham*, id est *bronam* in wulgari versus Ungariam, ad nullum eciam theloneum teneantur. Adiungimus eciam in presentibus decernentes, ne quis in spacio unius Miliaris ad omne latus Civitatis eiusdem thabernam braxare audeat ullo modo; decernentes in spacio eodem nulla per quempiam artificia exercere. Aplicamus eciam eidem Civitati ad utilitatem nemus ex omni parte, piscacionem et venacionem in metis et terminis ipsorum. Predicta vero Civitas locata esse debet sub Juribus universis Meydburgensibus, que in Civitate Cracoviensi exnunc vigent, et hactenus viguerunt, ut ad Jus ibidem prescriptum recurrant, si de aliquo fuerit dubitatum. Predictas autem utilitates, dictis advocatis Bertholdo et Arnoldo cum suis fratribus universis et eorum successoribus legittimis (sic) liberas ad vendendum, ad donandum prefatis Juribus perpetuis temporibus condonamus, et easdem inter se percipiant et parciantur secundum justiciam pari modo. In cuius rei testimonium presentes fieri et nostrorum Sigillorum munimine iussimus roborari. Datum in *Cracovia*. Anno Domini M.CC. nonagesimo secundo, per manus Henrici prothonotarij Cracoviensis et Sandomiriensis, Quaz (?) wlgariter nuncupati sexto ydus Novembris.

LXVIII.

Szczerzyc — 4 Maji 1296 anno.

Ratoldus miles, filius Joannis Zilae jus patronatus suum, ecclesiae in villa *Szczyrzyc* in rem abbatis et conventus cisterciensis resignat, episcopo cracoviensi approbante (¹).

Johannes Dei gracia Episcopus Cracoviensis (²), universis et singulis, tam presentibus quam futuris salutem in domino sempiternam, et noticiam subscriptorum. Ne ea, que puplice (sic) aguntur, in scrupulum recidive questionis malicia seu dolo cuiuspiam relabantur, assolent scripto et testimonio apicum perhennari. Proinde tam presens etas noverit quam futura, quod vertente causa et lite super iure patronatus et presentacionis ecclesie sancte Marie de villa *Ciric,* inter honorabiles viros.. abbatem et suum conventum monasterii domus Ciricensis, ordinis Cisterciensium ex una parte, et Ratoldum militem filium nobilis viri Johannis dicti Zila, ex altera; tandem de consensu communi et voluntate parcium, decreto scire nostro (sic), compromissum exstitit in dominos honorabiles: Magistrum videlicet Franciscum Cancellarium ecclesie, Regboldum (??) archydiaconum Sandomiriensem Canonicos Craccovienses et Sdeslaum archidiaconum Lubliensem, qui domini partibus terminum ad sentenciam competentem prefingarunt (sic) audiendam. Infra terminum sic prefixum partes per se simpliciter et pure veritate cognita et comperta concordarunt, quam concordiam compromissariis, arbitris, arbitratoribus seu amicabilibus compositoribus, voce viva et personaliter retulerunt. Qui, utraque parte sufficienter audita, partes ad nostram audienciam remiserunt;

(¹) E tabula monasterii Szczyrzycensis propria descripsit Łepkowski et nobiscum communicavit privilegium hoc. Conf jam citatum: „Urywek z podróży," in opere Biblioteka Warsz. 1850 T. III, pag. 209. Ratoldus et Boleslaus teste Niesieccio fuerunt Theodori Cedronis palatini Cracoviensis nepotes, filii vero Joannis dicti Żyła (editio prima T. II, pag. 275 et 276). De palatino Theodoro vide supra tabulam ad N⁰. XVI et XVII.

(²) Joannes dictus Muskata, stemmatis Lilia, episcopus ab anno 1295.

partes vero personaliter et per se in nostra presencia constitute, ad peticionem presencium, dictus dominus Sdeslaus concordiam parcium coram nobis publice proposuit, et proposicionem ipsius utraque parcium approbans, confirmans; Et licet utraque parcium de verbo ad verbum sic esse asseret ut est premissum; ad maiorem tamen certitudinem ex ore parcium hoc ipsum audire volentes, partes duximus ammonendas, quarum una, videlicet Comes Ratoldus filius Johannis Zila cognominati, per se et nomine suorum filiorum publice renunciavit perpetuo, simpliciter et pure omni iuri patronatus, quod in dicta ecclesia ex successione patris et suorum progenitorum se habere contendebat. Verba autem sue renunciacionis fuerunt sub hac forma: Ego Ratoldus cedo et renuncio iuri patronatus exnunc, si quod habui, vel habere me contendo in ecclesia memorata, et confiteor abbatem et monasterium publice et clare, sine aliquo errore, esse patronos ecclesie iam dicte; abbas vero eo presente, quia ecclesia vacabat de iure et de facto, ad dictam ecclesiam nobis quendam presentavit tamquam verus et legitimus patronus. Et nos ad presentacionem ipsius, dicto Ratoldo presente et audiente, ad hoc vocato non contradicente, hanc sententiam de dicta ecclesia canonice investivimus perennitus, nomine Domini invocato. Ne autem de cetero super iure patronatus ecclesie premisse aliquod dubium moveretur, abbas et conventus iam dicti, ad perpetuam rei memoriam, sibi presentes sigillo nostro signatas, fieri et dari humiliter postulaverunt. Actum in castro *Cracoviensi* in domo ad ecclesiam sancti Michaelis, anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimo sexto; quarto Nonas Maij. Presentibus et audientibus, quorum nomina hic habentur: Comes Nicolaus Judex Sandomiriensis, Pacoslaus Sub-Camerarius Cracov. et Stephanus procurator Crac. Ducatus, Olricus Custos Kyelcensis, Sdeslaus Canonicus, causarum eccles... Nicolaus custos sancti Andree, et alii quam plures viri honesti et fide digni.

LXIX.

Brunae — 14 Novembris 1296 anno.

Venceslaus rex Bohemiae, Cracoviae et Sandomiriae dux in oppido silesiensi Opavia generalem transitum et depositionem mercium quod germanice „Nijderlag" vocatur statuit (¹).

(Transumptum a. 1504 Vladislai Jagiellonidis Regis Hungariae et Bohemiae).

Wladislaus dei gracia Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie etc. Rex, Marchio Morauie, dux Slesie et lucemburgensis ac Marchio lusacie etc. Ad perpetuam rei memoriam. Notum facimus tenore presencium, quibus expedit universis, quod constituti in presencia nostra circumspecti ciues ciuitatis *oppauie* fideles nobis dilecti, Majestati nostre lite-

(¹) Privilegium ex Tabulario publico Regni (Metr. 23 f. 51) a Muczkowscio descriptum. Privilegium hoc a Vladislao filio Casimiri Jagellonidis rege Hungariae renovatum, a. 1504 confirmat etiam Sigismundus primus rex electus jam Poloniae, tanquam Dux Opaviae, id est litteras civium Opaviensium super depositorium mercium per fratrem suum Hungariae et Bohemiae Regem eis noviter datas. Confirmationem Sigismundi huc in annotatione typis exaramus, quae sequitur.

1507. Sigismundus dei gracia Rex Polonie, Magnus dux Lythwanie, Russie, Prussieque dominus et heres, nec non in Slesia *oppauie* et Majoris *Glogouie* etc. dux. Significamus tenore presentium quibus expedit uniuersis, quia pro parte circumspectorum ciuium ciuitatis nostre *oppauie* subditorum fidelium dilectorum nostrorum peticio fuit nobis porrecta, ut literas infrascriptas super generali transitu et deposicione mercium et aliarum rerum per antecessores nostros ipsis ciuibus oppauiensibus concessas ratificare, innouare, approbare et confirmare dignaremur. Quarum quidem literarum sequitur tenor: *(Hic privilegium Vladislai regis Hungariae quod supra).*

Nos itaque Sigismundus rex Polonie etc. et *oppauie* dux subditorum predictorum nostrorum oppaviensium precibus annuentes, et non minus eorum seruicia fidelia attendentes, quibus se nobis ciues predicti commendatos reddiderunt, ipsis de nostra certa sciencia atque virtute et benignitate, auctoritateque Majestatis nostre regie et ducali *oppauie* literas preinsertas velut justas et efficaces in omnibus earum clausulis, articulis et punctis innouare, approbare et ratificare decreuimus, prout innouamus, approbamus et ratificamus decernentes eas valere perpetuo, tenore presencium mediante. In cujus rei testimonium etc. Datum *Cracouie* Sabbato ante dominicam palmarum, anno domini millesimo quingentesimo septimo.

Johannes de Lasko prepositus poznaniensis et R. P. Cancellarius subscripsit.

ras quasdam super generali transitu et deposicione mercium, ac aliarum rerum exhibuerunt, olim a Serenissimo principe domino Venceslao Rege Bohemie, Cracouiensi et Sandomiriensi duce, Marchioneque Morauie etc. predecessore nostro felicis memorie ipsis ac prefate ciuitati oppauiensi concessas, sanas, integras, non cancellatas, non rasas, verum omni vicio et suspicione prorsus carentes, supplicantes nobis cum omni humilitate, quatinus prefatas literas, sic ut premissum est, ipsis concessas ratificare, innouare, approbare, et graciose confirmare dignaremur. Quarum quidem literarum tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis:

> Nos Venceslaus dei gracia Rex Bohemie dux Cracoviensis et Sandomiriensis, Marchioque Morauie, tenore presencium notum facimus universis tam presentibus quam futuris. Quod nos dilectos ciues nostros de *Oppauia* (²) prosequentes fauore beníuolo et gratitudine speciali, eisdem ciuibus nostris fauorabiliter ducimus concedendum, quod in ipsa ciuitate *Oppauia* plumbi, vini, pannorum, salis et aliarum omnium mercium, quarum ibidem generalem transitum statuimus deposicioni quod Nijderlag wlgariter dicitur per triduum de cetero habeatur, ita quod quecunque merces ad ipsam ciuitatem venerint extra eam infra tres dies alias non ducantur. In cujus rei testimonium presentes literas fieri, et sigillorum nostrorum munimine fecimus liberaliter communirj. Datum *Brune* (³) per manus Magistri Johannis Sacensis prepositi, prothonotarji nostri Morauie anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo sexto decimo octavo kalendas decembris, indicionis decime.

Nos itaque ipsorum precibus inclinati, attendentesque ipsorum peticiones esse honestas, iustas et racionabiles ob fidelia eorum seruicia, quibus se nobis et predecessoribus nostris et Corone nostre bohemie memorati ciues paratos semper et promptos exhibuerunt, ipsorum hujuscemodi literas de nostra regia benignitate tanquam Rex Bohe-

(²) *Opawa*, germanice *Troppau*, urbs superioris Silesiae, olim ducatus caput.
(³) *Berno*, *Brünn*, *Bruna*, Moraviae caput.

mie et dux Slesie, Marchioque morauie in omnibus earum clausulis, articulis et punctis innouare, approbare ac ratificare instituimus; quemadmodum innouamus, approbamus et ratificamus per presentes, volentes prefatos ciues oppauienses, qui nunc sunt et successu temporis in futurum erunt, omnibus preregatiuis, gracijs, donacionibus, ipsis per predecessores nostros concessis et per nos innovatis, approbatis et ratificatis perpetuis temporibus absque nostro omniumque nostrorum successorum. ac aliarum personarum quovis impedimento quiete et pacifice frui, potiri et gaudere, precipueque in transitu et deposicione mercium et aliarum rerum in prefatis literis Regis Venceslai clarius expressarum. Quod si quis ausu temerario hujuscemodi nostrorum predecessorum generalis transitus et depositorij concessionem, hancque nostram innouacionem et approbacionem infringere aut eidem quovis quesito colore contraire tentauerit, et quomodolibet presumpserit, aut eundem generalem transitum et depositorium ciuitati predicte, sic ut premissum est, datum et concessum pertransiuerit, vel quouis modo declinauerit, poterint prefati ciues oppauienses et eorum posteritas hujuscemodi preuaricatores et rebelles, una cum omnibus et singulis bonis et rebus ipsarum, siue sint equi, boues, oues, vina, plumbum, aut alie quecunque merces, in potestatem ipsarum (sic) in prefato ducatu oppauiensi, in hijsque generaliter locis, que tunc dum ipsis hujuscemodi prerogatiue, gracie et donaciones per predecessores nostros date et concesse sunt, ad ducatum oppauiensem antiquitus pertinebat (sic) recipere, arestare, detinere, sicque arestata, detenda et recepta juxta jura et constitutiones desuper sanxitas (sic) tractare, et ad quos volunt vsus conuertere, et hoc tociens quociens hujusmodi generalis transitus et depositarij (sic) transgressionem et declinacionem per quoscunque fieri contingat, omnibus et singulis nostris subditis per et infra ducatum nostrum Slesie vbilibet constitutis spiritualibus et secularibus, cujuscunque dignitatis, condicionis et status fuerunt, fidelibus nostris dilectis districte mandatis nostris regijs precipientes, ut memoratos ciues oppauienses, juxta hujusmodi graciam ipsis concessam, ac nostram innouacionem manutenere, protegere et defensare omnibus modis teneantur ac debeant,

ipsisque favore et auxilio, quocienscunque necessitas exposceret, et requirendos nos ducerent, auxilijs opportunis assistant, nostre gracie regie sub obtentu. In quorum quidem omnium fidem ac firmitatem perpetuam presentes literas fieri, sigillique nostri majoris, quo tanquam Ungarie et et Bohemie Rex utimur appensione muniri precepimus datas *Bude* Sabbato ante dominicam palmarum anno Christi millesimo quingentesimo quarto regnorum autem nostrorum hungarie decimo quarto, Bohemie vero tricesimo tercio, ex commissione propria regie Majestatis.

LXX.

Siradiae — 16 Martii 1298 anno.

Vladislaus Locticus dux regni Poloniae cum monasterio Sulejoviensi commutat villas; recipit *Baldrichów* et alias; donat autem *Borynisko, Syroki* et alias (¹).

In nomine domini Amen. Nouerint vniuersi presentes literas inspecturi. Quod nos Vladislaus dei gratia Dux Regni Polonie. Pomeranie. Dux Cuyauie. Luncitie et Syradiensis attendentes adcommunem prefectum terre nostre recepimus per commutationem a domino Petro Abbate et conuentu monasterii nostri de *Suleyow* (²) villas eiusdem monasterii videlicet *Baldrichów* (³). *Zagorice. Dambrouam* cum omnibus pertinenciis suis preter solum ius patronatus quod sibi idem Abbas et suo monasterio de nostra bona voluntate perpetuo retinuit et consensu ita quod loco decime. Scoltetus qui inpredictis villis et inpossessione de *Bussino* (⁴) circumadiacenti prefuit singulis annis

(¹) Ex archetypo illustrissimi Leonis Rzyszczewscii proprio descriptum.
(²) De *Sulejovia* jam saepe dictum: oppidum est ad Piliciae ripas in regione Petricoviensi et in confiniis Majoris cum Minore Polonia.
(³) *Baldrzychów* villa parochialis in regione Zgierzensi sita.
(⁴) *Busina*, villa parochiae Baldrzychoviensis, conf. privilegium ad Nº. IV, Tomi primi hujus Codicis, pag. 11, annotationem quartam.

annuatim in festo beati martini. modium Syliginis. modium auene. duas mensuras tritici et duas ordei soluere tenebitur et per colonos suos in ecclesia beati Egidii. In *Baldrichow* presentare. Et in ciuitate nostra nunc *Wladislauia* nuncupata. Idem Abbas curiam debet habere ab omnibus seruitutibus liberam et immunem. Et nos prorecompensatione predictarum villarum eidem abbati ac conuentui predicti monasterii nostri de *Suleyow* villas nostras cum suis attinenciis: scilicet *Borynichsko. Syroki. Pijr Shadlow.* et villam. *Langouitij* quam tenuit. Suentoslaus dictus Susthouicz. Item villam nostram. *Lubene* prefatis abbati et conuentui dedimus et assignari fecimus ab eodem abbate et conuentu perpetuo possidendas. et in eisdem villis Jus thewtonicum prenominatis abbati et conuentui. Damus et concedimus quod in Syradiensi ciuitate nostra et aliis ciuitatibus nostris obtinent et per omnia omni juri quod in eisdem villis hactenus habuimus eidem abbati et conuentui resignamus ita quod in perpetuum coloni earundem villarum nullum *Naramb* soluent. nullum *pouod* ducent non ab aliquo recipient non ad aliquam expeditionem nisi cum gens aliena hostiliter intrabit terram nostram ire tenebuntur. et nulli seruituti. seu exactioni subjaceant quocunque nomine censeantur non ad alicuius audientiam cittabuntur nisi coram abbate solo uel Scoltheto quem abbas duxerit statuendum nisi idem abbas uel Scolthetus querelantibus noluerint uel contempserint reddere iustitie complementum et tunc coram nobis citabuntur cum littera nostro sigillo sigillata iure thewtonico iudicandi. Insuper predictas villas vitinie de *Suleyow* coniungimus in omni solutione ducali uel labore. Et vt predicta commutatio a successoribus nostris invyolabilis permaneat presentem paginam conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari. presentibus hijs testibus. Comite Sauissa palatino. Domino Fulcone cancellario. Comite Sbygneo castellano Syradiensibus. Comite. Johanne castellano Spicimiriensi. Comite Mstissio. Judice Wylchelmo aduocato. Syradiensibus. Actum anno. Domini MCC nonagesimo octauo. Datum *Syraz* (5). In dominica qua canitur Letare ihrusalem.

(5) *Siradia, Sieradz,* olim palatinatus, nunc territorii et regionis caput.

LXX.

Cracoviae — 14 Julii, 1302 anno.

Jacobus Archiepiscopus gnesnensis et Joannes episcopus Cracoviensis, bullam papae Innocentii IV, quae continet libertates fratribus ordinis S. Sepulchri dominici de *Miechovia* concessas, admittunt et confirmant.

Jacobus miseracione diuina sancte gnesnensis ecclesie archiepiscopus ([1]). Et Johannes eadem gracia episcopus cracouiensis ([2]). Vniuersis presentes literas inspecturis salutem in domino. Nouerit vniuersitas vestra nos vidisse literas felicis recordacionis domini Innocencii papae IV eiusque vera bulla bullatas (?) non abolitas. non rasas. non tempore aliquo viciatas. quorum tenor dignoscitur esse talis.

Innocencius episcopus etc. *(Sequitur privilegium anni* 1249. *Vid. N. XXVI, pag.* 53, *T. III hujus codicis).*

In cuius visionis testimonium ad instanciam honorabilium dominorum.. prepositi et fratrum mechouiensis ordinis sancti sepulchri presentes literas predictarum literarum continentes.... ([3]).. eri fecimus et nostrorum sigillorum appensionibus communiri. Datum in *cracouia* in crastino beate margarete virginis.... ([4]).. no M. CCC. secundo.

([1]) Jacobus dictus Swinka.
([2]) Joannes Muskata. ([3]) Rima. ([4]) Rima.

LXXI.

Cracoviae — 14 Julii 1302 anno.

Archiepiscopus Gnesnensis et Cracoviensis episcopus bullam Honorii Papae, ejus hominis tertii, qui Monasterio Miechoviensi dat potestatem, ut ecclesiae ad id monasterium pertinentes, in Gnesnensi provincia sitae, tempore interdicti divina officia celebrare possint, publicant et admittunt (1).

Jacobus miseracione diuina sancte Gnezdnensis Ecclesie Archiepiscopus (2) nec non et Johannes eadem gracia Episcopus cracouiensis (3) Uniuersis presentes litteras inspecturis salutem in domino. Nouerit uniuersitas vestra nos vidisse litteras felicis recordacionis domini honorij pape III eiusque Bulla Bullatas, non cancellatas non abolitas, non rasas, nec in parte sui aliqua viciatas. Quarum tenor talis est.

1225. Honorius (4) episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filijs.. preposito et fratribus dominici sepulcri salutem et apostolicam benedictionem. Precibus nostris benignum inpercientes assensum auctoritate nobis presencium indulgemus, ut in collegiatis ecclesijs, quas habetis in *Gnezdnensi* (5) prouincia liceat vobis generalis tempore interdicti non pulsatis campanis clausis januis excommunicatis et interdictis exclusis submissa voce diuina officia celebrare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu themerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignacionem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Reate VIIII kalendas Julij pontificatus nostri anno Nono.

(1) Ex originali tabula Josephi Rusieccii propria descripserunt ambo nostri codicis auctores Leo Rzyszczewski et Antonius Muczkowski. Sigilla desunt.

(2) Jacobus II Stemmatis Swinka archiepiscopus Gnesnensis 1283—1313.

(3) Joannes II dictus Muskata episcopus Cracoviensis 1295—1320.

(4) Honorius tertius a. 1216 papa electus, mortuus 1227. Annus itaque nonus ejus pontificatus erat 1225. Bulla haec igitur data est a pontifice 8 kalendas Julii, id est 24 junii 1225 anno.

(5) *Gnesna*, *Gniezno*, urbs antiquissima Poloniae, hodie in magno ducatu Posnaniensi.

1302. In cuius visionis testimonium ad instanciam honorabilium dominorum.. prepositi et fratrum domus *Mechouiensis* ([6]) ordinis sancti sepulcri presentes litteras predictarum litterarum continentes transcriptum fieri fecimus et nostrorum sigillorum appensionibus communiri. Datum *Cracouie* in crastino beate Margarete virginis Anno domini M⁰. CCC⁰. secundo.

([6]) *Miechovia, Miechow* oppidum 5 milliariis a Cracovia distans, territorii regionisque caput.

LXXII.

Sandomiriae—9 Octobris 1302 anno.

Comes Dirsicrajus (Dzierżykraj) de *Wielka Wieś* villam suam *Węgrzynowo*, Wojciechoni id est Adalberto dicto Owieczka et fratri ejus Dobrasio vendidit et jure teutonico locandam permittit ([1]).

In nomine domini Amen: Cum mobilitas temporis cuncta secum precipitat ne humana gesta instabilitate temporis a memoria hominum elabantur solent voce testium necnon munimine scripturarum publice confirmari Proinde nos *Dirsicrayus* dominus ac heres de *Velaues* ([2]) notum esse, volumus omnibus presencium noticiam habituris Quod nos villam nostram *Wągrinovo* ([3]) nuncupatam sitam in ducatu Cra-

([1]) Doctissimus Sławiński tabulam hanc descripsit ex archetypo membranaceo in celeberrima bibliotheca Dzikouiensi in Gallicia, comitum Tarnowsciorum asservato: sigillum minus in funiculo serico rubri coloris, cuius insignia penitus deleta, inscriptio vero sequens: *S. comitis dirsicrai.*

([2]) *Velaues, Vella ves*, Polonice haud dubio *Wielka wieś*. In antiquo Cracoviensi palatinatu, urbs *Miechovia, Miechów* regionis Xiążensis erat (powiat Xięski), et regionis ejusdem villae *Węgrzynów* cum *Jasiennica*, uti Sławiński docet. Hanc ob causam et villam *Wielka wieś*, quae hodie est Miechoviensis regionis, et cujus ecclesia parochialis in *Xiąż wielki* invenitur, hanc nostram villam *Velawes* comitis Dirsicrai esse, nobis videtur. Est enim et alia *Wielka wieś* in Ilcussiensi regione et aliae ejusdem nominis in palatinatu Sandomiriensi.

([3]) *Węgrzynów*, hodie villa territorii Kielcensis, regionis Jędrzejoviensis (de Andrejovia—vide praemissum privilegium N⁰. XLIV) parochiae vero villae *Obiechow*.

couiensi pro triginta marcis finiti argenti iure theutonico locandam vendidimus, cum triginta mansis secundum ius nouifori mensuratis iure hereditario *voycechoni dicto oueczka* necnon fratri suo *Dobrasio* cum ipsorum posteris libere et pacifice in perpetuum possidendam Dantes eis ipsorumque posteris plenam et liberam potestatem in predicta hereditate deuersos ad ipsam incolas vocandi ipsosque secundum ritum nouiforensem iudicandi condempnandi iusticiam faciendi que omnes aduocati seu sculteti prefati iuris consueuerunt, addicientes nichilominus quod sculteti iam dicti ipsorumque succedanei de mansuali censu et de alio quocumque septimam partem recipient ipsorumque posteris soluentur, De questu vero iudiciali tercium denarium tollent duos quoque nobis precipimus assignari Damus eciam et conferimus eisdem et ipsorum posteris gracia speciali tabernam liberam ibidem et molendinum circa *Jasenecz* (4) et duos mansos libere possidendos Statuimus vero et volumus ut predicte hereditatis incole ad quamcunque expedicionem domini terre nobis currum duobus equis adaptatum mittant pro nostris expensis deducendis statuimus insuper quod sepedicti incole nobis arabunt uel arare tenebuntur Si autem hereditas XXX vltra mansos se extenderit, reliquum iure locetur sub eodem In cuius rei euidenciam pleniorem presentem paginam supradictis scultetis dari fecimus nostri sigilli munimine roboratam Acta sunt hec in *Sandomiria* sub anno domini M. C°C°C°. II°. V° ydus nouembris Presentibus hijs domino Paccoslao archidiacono et cancellario Cracouiensi, domino Sifrido custode Sandomiriensi, et domino Johanne plebano de *vella ves*, domino vito capellano de *terescz* (5) domino Gregorio plebano de *Charewicz* (6) et alijs quam pluribus fidedignis.

(4) *Jasieniec*, Sławiński dicit, villam esse parochiae Obiechowiensis, sed in indicibus locorum Regni Pololoniae (Tabella miast, wsi, osad etc., w Warszawie 1827) villam ejusdem parochiae, quae *Jasiennica* hodie appellatur, invenimus.

(5) *Teressów?* Est enim *Teressów* villa ibidem locorum in Jędrzejowiensi regione (parochia *Chrząstów*).

(6) Est villa *Charzowice* hodie Miechoviensis territorii, regionis Szkalbmiriensis (parochia *Sokolina*). Nescimus, an de illa huc mentio.

LXXIII.

Korczynii — 17 Februarii 1307 anno.

Vladislaus Locticus dux Cracoviae cives *Sandecenses* ab omnibus theloneis immunes facit (¹).

Nos Wladislaus Dei gracia Dux Cracovie, Sandomirie, Pomeranie, Cuyavie, Lancycie et Syradie, omnibus Palatinis, Castellanis, Judicibus, Subcamerarijs quibuslibet, ac universis Advocatis, Scultethis, Monetharijs Thelonearijs quibuscunque in terra Cracoviensi et Sandomiriensi constitutis, quorum audiencie presens scriptum ostensum fuerit, graciam suam et omne bonum. Mandamus vobis universaliter singulis et singulariter universis, nostre gracie sub obtentu, distincte iniungentes, Quatenus a civibus nostris de *Sandecz* (²), cum mercimonijs ipsorum qualibuscunque per Dominia nostra transeuntibus, nullo modo exigatis theloneum, nec accipere presumatis, ipsosque, visis presentibus, et quemlibet ipsorum, visis presentibus, cum mercimonijs ipsorum, quocunque eis placuerit abire permittatis; alias si secus feceritis, extunc contra veram vestre temeritatis audaciam, in quantum iusticia suadebit, procedemus. Datum et actum in *Nova civitate* (³) XIII° Kl. Marcij. M. CC. C. VII.

(¹) Apographon habuimus a Josepho Łepkowscio, qui illud e tabula originali descripsit. De hoc privilegio nullam tamen in suo opere: „Wycieczka archeologiczna" l. c. fecit mentionem.

(²) Łepkowski docet nos, privilegium hoc esse concessum urbi *Novae Sandeciae*, de qua jam supra diximus: conf. privilegii praemissi №. LXVII annotationem 1-m pag. 156.

(³) *Nowe miasto Korczyn:* oppidum. De hoc vide supra tabulae praemissae XXV annotationem 4-tam.

LXXIV.

Cracoviae — die 29 Maji 1308 anno.

Vladislaus Locticus dictus dux Cracoviae omnibus villis Ordinis Cisterciensium de *Andrzeiów*, de *Wąchock*, de *Koprzywnica*, de *Szczyrzec* locatis et locandis jus teutonicum confert (1).

In nomine domini amen. Quod Magnifica principum decreuit auctoritas. ratum atque stabile debet permanere. Igitur nos Wladislaus. dei gratia dux Cracovie. Sandomirie. Siradie. Lancicie. Cuiavie. nec non heres Regni Polonie. Notum facimus universis presentibus et futuris presentes literas inspecturis. Quomodo cum honorabilis vir

(1) *Jędrzejów*, *Andrejovia*, de hoc oppido et monasterio Cisterciensium confer hujus tomi praemissas tabulas ad N⁰. V, XXXVIII, XLIV. Tabulam, quam sub N⁰. V typis exaravimus, abbas Andrejoviensis Albertus de *Kłodawa* Sigismundo regi confirmandam dedit. Nostrum privilegium etiam in transumpto ejusdem regis Sigismundi invenitur, idemque abbas Albertus de *Kłodawa*, polonice Wojciech z Kłodawy, Kłodawczyk regem, ut illud confirmaret, rogavit. Privilegium ex transumpto in Tabulario Regni asservato in libris „Metryki koronne" vol. 48, pag. 943 et seqq. Antonius Muczkowski descripsit. Proemium confirmationis Sigismundi sequitur:

In nomine domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Ne actus hominum qui sub tempore fiunt successu temporis labuntur (sic). sagax humana condicio eos instituit literarum testimonio perhennarj. Proinde nos Sigismundus primus dei gracia Rex Polonie Magnus dux Lithwanie. nec non terrarum Cracovie. Sandomirie. Siradie. Lancicie. Cuiavie. Russie Prussie. Mazovie. Culmensis. Elbingensis. Pomeranieque. dominus et heres. Significamus tenore presencium quibus expedit universis et singulis presentibus et futuris harum noticiam habituris Quia Venerabilis Albertus de *Clodawa* Abbas Monasterij Andrzeowiensis exhibuit coram nobis. suo. conventusque sui nomine. duplex privilegium seu binas literas infrascriptas. alteras que erant vetustiores Illustris olim Wladislai Ducis Cracoviensis etc. super Jus Theutonicum villis omnibus Monasteriorum *Andrzeowiensis Vanchoczensis Coprziwnijcensis*. et *Sczerzicensis* nec non super locandas villas et praedia in nova radice sub titulo et sigillo praefati Vladislai ducis in cordula sericea appenso. datas et concessas. Alteras vero Boleslai Cracovie et Sandomirie, ducis, fundacionem oppidi *Andrzeow* necnon Jus Theutonicum et nonnullas libertates eiusdem oppidi in se continentes. quatuor sigillis in cordulis sericeis appensis. obsignatas salvas. illesas. non viciatas. et omni protsus suspicione carentes. Supplicavitque nobis idem Venerabilis Albertus. Abbas. ut eas ipsas literas utrasque propter illarum vetustatem innovarj mandare. auctori-

dominus Geraldus. Abbas domus *Andrzeowiensis* in nostra nostrorumque Baronum presencia fuisset constitutus. humiliter et devote nos petivit. ut privilegium domus memorate super quibusdam libertatibus et immunitatibus a nobis obtentum nostro antiquo sigillo consignatum. sub appensione (sic) nostri moderni sigillj in remissionem nostrorum pecaminum. nostreque salutis ob respectum innovarj mandaremus. Cuius privilegij verbo ad verbum sensu ad sensum tenor erat talis.

In nomine domini amen. Nos Wladislaus dei gracia. dux Cracoviensis Sandomiriensis. Siradiensis. Lanciciensis. Cuiavie et Pomeranie. Notum facimus tam presentibus quam futuris. Quia cum sacrosanctum ordinem Cisterciensem devocione sincerassima (sic!) et affectu. fratresque ipsius cultores viros Relligiosos prosequamur. favoribus graciosis. cum his cenobijs et cum ipsorum fratribus de *Andrzeow* de *Vanchost.* (sic) ([2]) de *Coprzuonik* ([3]). et de *Czirzicz.* ([4]) ob remedium nostrorum pecaminum et salutem graciam facimus specialem. dantes eis liberam et perpetuam facultatem locatas seu locandas iure quo voluerint Theutonico villas, grangias, et allodia, nemora nec non silvas ad ipsa cenobia pertinentes. vel si quas possessiones in posterum acquisierint. ponendi seu locandj in eisdem homines cuiuscumque (sic) lingwaij vel nacionis. quos nullus tenebitur judicare. nisi sculteti eorum aut domini ipsorum dicti fratres. nisi querulantibus premissi fratres et scultetj in reddenda essent justicia negligentes. tunc eos literis nostro Sigillo consignatis non per aliquem came-

tateque nostra Regia. approbare. ratificare. et confirmare dignaremur. Quarum quidem literarum tenores de verbo ad verbum sunt isti. In primis vero literarum Wladislaj ducis.

(Postea privilegium nostrum a. 1308 alio privilegio Vladislai Loctici a. 1318 insertum sequitur ut supra, denique tabula Boleslai Pudici, quam edidimus jam sub a. 1271).

([2]) *Wąchock* urbs terrae id est palatinatus Sandomiriensis, hodie in territorio Opatoviensi et regione Solecensi. In hac urbe monasterium Cisterciensis ordinis a Gedeone stemmatis Gryff a. 1179 fundatum.

([3]) *Koprzywnica,* urbs olim terrae et hodie territorii Sandomiriensis, regionis vero Staszoviensis, monasterium cisterciensis ordinis temporibus Casimiri II. Justi fundatum.

([4]) De urbe *Szczyrzyc* legas annotationem tertiam tabulae ad N°. XXIII praemissae hujus Tomi.

rarium cittatos, Judex curie nostre jure theutonico iudicabit. aliter vel alias cittati minime respondere teneantur. facimus enim ipsos ab omni iurisdicione (sic) potestate et dominio quorumlibet Castellanorum Palatinorum, Judicum, Camerariorum, et officialium. cuiuscumque potestatis seu condicionis fuerint ab omnibus inquietatibus. que jus Theutonicum solent perturbare, semper immunes liberos, et exemptos. Quicumque autem contra hanc exempcionem et libertatem ipsos gravare in aliquo presumpserit indignacionem nostre dominacionis procul dubio se noverit incursurum et penam pro meritis recepturum. In quorum itaque omnium evidenciam cerciorem presentem literam conscribi fecimus. nostrique sigilli munimine roborarj. Actum publice *Cracovie* Anno domini millesimo trecentesimo octavo. quarto callendas (sic) Junij. Presentibus his testibus. Nicolao palatino. Pacoslao judice Cracoviensibus. Alberto palatino. Smilone Judice. Sandomiriensibus. Petro Castellano de *Malogosth*. et alijs quam plurimis fidedignis. Datum per manus viri honorabilis et discreti domini Clementis Cancellarij Cracoviensis.

Nos vero nostre Dominationis non immemores Jura predicta et immunitates gratas et ratas habentes. de novo presenti patrocinio confirmamus nostrorum Baronum maturo consilio praelibato nostri Sigilli modernj sub appensione. Actum apud *Cracoviam*. Anno domini M° trecentesimo. decimo octavo. die dominico quo cantatur Judica. Presentibus his testibus. Comite Pacoslao Castellano Cracoviensi. Navogio Palatino Sandomiriensi. Thomislao palatino cracocoviensi. Ade iudice. Constugio subcamerario Cracoviensi. Datum per manus Honorabilis viri Magistri Francisci. Cancellarij nostrj. Sequitur tenor ducis Boleslai ([3]).

([3]) Privilegium Boleslai Pudici ducis, de quo huc mentio, legatur praemissum ad N°. XLIV. Tomi hujus tertii pag. 92 et seqq. Tabulam Boleslai, verba confirmationis Sigismundi regis sequuntur, quae jam edidimus supra (vide annotationem 10 praemissi privilegii XLIV).

LXXV.

Cracoviae—21 Februarii 1312 anno (1).

Hedvigis Vladislai Loctici uxor, ut raeclara in se maritumque suum civium Sandecensium merita et fidelitatem tempore ultimi cracoviensis tumultus remuneretur, iisdem civibus eorumque posteris titulo perpetuae donationis facultatem confert omnia per terram Sandomiriensem sine theloneis vehendi et transportandi (2).

In nomine domini Amen. Humanis rebus quamtumcunque publice et solempniter actis, temporum vetustas oblivionis caligine frequencius novercantur, nisi a scripto testium et testimonio literarum sufficienti perhenne recipiant tutamentum. Proinde notum sit universis presentibus et futuris presentem paginam inspecturis: Quod nos Hedvygis dei gracia Ducissa Cracovie, Sandomirie, Lancicie, Syradie et Cuyavie, Obsequiorum merita plurimorum, quibus viri Discreti et fideles Cives nostri Sandecenses necessitate urgente nobis placere et grati esse didicerunt, cum Cives Cracovienses a consorte nostro Karissimo et a nobis puerisque nostris per infedelitatem (sic) recesserunt (3), alium Ducem nobis in subversionem et eliminacionem de Dominijs nostris jam predictis inducere laborantes ad omnes partes terrarum; Sed prehabiti Cives Sandecenses Nolentes consentire tradicionibus ipsorum, tanquam viri veraces et constantes nobis adherentes in fide qua nobis tenebantur inviolabiliter prestiterunt, cuius (?) de

(1) Apographon descriptum ex archetypo a Łepkowscio habuimus.
(2) Hedvigis uxór Vladislai Loctici, filia vero Boleslai Pii ducis Calissiensis in Majori Polonia.
(3) De hoc tumultu Cracoviensi contra Vladislaum ducem Locticum incitato, legas Naruszewiczii: „Historya narodu polskiego," ultimae editlonis Lipsiensis 1836. T. VII, pag. 126—128. Fuit haec proditio Cracoviensium anno 1311.

causa, benignitate, prout dignitati nostre convenit diligencias (sic) intuentes fidelia servicia et continua, ipsis et eorum posteris damus et tytulo perpetue donacionis conferimus liberam et omnimodam facultatem absque omni genere solucionis theolonej per dominium nostrum Sandomiriense ubicunque locorum, quod ad nos pertinet transeundi cum curribus qualibuscunque rebus (oneratis?), equitantibus et pedestris (sic) ambulantibus atque navigio per aquam transeuntibus cum mercibus, in perpetuum pacifice et quiete; Excepto duntaxat, quod alia theolonia (sic), que ad nos non pertinent, solvere tenebuntur, secundum consuetudinem ab antiquo observatam. In cuius rei testimonium et evidenciam cerciorem atque perpetne stabilitatis firmitatem, presentem paginam conscribi fecimus ac nostri sigilli munimine communirj. Actum in Castro *Cracoviensi* ab anno Dominice incarnacionis M. C. C. C. XII. X Kl. Marcij. Coram hijs testibus, quorum ista sunt nomina: Comes Albertus palatinus Sandomiriensis (1), Dominus Jaroste (?) Cancellarius Curie, Comes Prandotha Cancellarius Sandomiriensis, Comes Thomislaus Venator Cracoviensis, Comes Navogus Subcamerarius Sandomiriensis et Jaschzco Scriptor Domine Ducisse, qui hoc privilegium compilavit et scripsit. Datum autem est per manus eiusdem notarij Jasconis.

(1) Apud Niesieccium: Korona Polska, T. I. Albertus palatinus Sandomiriensis mortuus est anno 1311, quod videmus, minus est justum. De illo Alberto legas doctissimi professoris Helcelii de monasterio Andrejoviensi praeclarissimam dissertationem pag. 47 et 73. In opere Lelewelii: „Polska średnich wieków" T. III. Albertus palatinus mense decembri 1311 legitur in Codice diplomatico et legas etiam de illo codicis nostri priores tomos.

LXXVI.

Cracoviae — 13 Julij 1317 anno.

Vladislaus Locticus dictus, haeres Regni Poloniae et dux Cracoviensis, ad preces Strezconis praepositi et Sławnicae magistrae Staniątcensis, omnes villas monasterii de jure polonico in teutonicum srodense transfert, senatu permittente (¹).

In nomine domini amen. Quoniam vt ait apostolus qui parce seminat parce et metet. Et qui de benediccionibus seminat de benediccionibus metet vitam sempiternam. Nos igitur Wladislaus dei gracia Dux Cracouie Sandomirie Syradie Lancicie Cuyauieque necnon heres Regni Polonie. Huius sacri eloquii grande misterium attendentes spiritum cordis nostri exalto (sic) emisimus notificando vniuersis tam presentibus quam futuris ad quorum intelligenciam presens series litterarum fuerit deuoluta, Quod diem extremum cupientes bonis et piis operibus preuenire, quorum intervencione congrua, sana et salubri non diffidimus in eadem mensura remeteri vita in futura. Ad instanciam et peticionem viri religiosi fratris *Strezconis* ordinis sancti Benedicti prepositi Cenobii de *Stanethki*, ac Magistre Slaunice Tociusque conuentus sororum eiusdem Monasterii. Hereditates Cenobii eiusdem, videlicet *Stanathki. Górka. Zagore. Slomirog. Binum Zacrzew. Wangerce* (²) *Podlaze* (³) *Lazcouici* (⁴). *Gorskow. Bre-*

(¹) Ex archetypo membranaceo Staniątciis asservato Sławiński descripsit. Filo serico viridis coloris appensum sigillum quod vulgo majestaticum dicitur videlicet maximae formae, repraesentans juvenem principem sine barba; princeps ex utraque parte vultus densis crinibus insignitus, in capite gestans coronam, dextra manu vexillum tenet in quo Polonorum aquila conspicitur. Infra vero ex parte utraque etiam duo scuta triangularia, in dextra aquila polonica, in sinistra autem animal biforme dimidiatum aquilae et gryphi tergis sese contingentium; supra hoc scutum galea conspicitur, cujus pars summa plumis ad similitudinem alae exornata est. In ambitu sigilli verba: *Wladislavs dei gra dux cracovie sandomir sirad lan(cie) cvia(vie).*

(²) *Węgrzec*, villa antiqui Cracoviensis palatinatus, regionis Szczyrzecensis, parochiae Bodzanoviensis, hodie in regno Galliciae.

(³) Podłęże. (⁴) Łężkowice.

znicza. Lazi (5). *Usew. Tropisow. Negardow. Primaczani* (6). *Blogocice. Macocice. Climentow. Ostrow. Kargow.* et *Gnatouice.* Wlgariter nuncupatas, quas nunc habent uel si quas inposterum habere contigerit, de iure Polonico in ius Theutonicum srodense de tocius nostri senatus consultu pariter et consensu duximus transferendas, quibuslibet et iuribus conswetudinibus, grauaminibus, et vniuersis angariis polonicalibus proculmotis, que ius Theutonicum consweuerunt perturbare. Dantes scultetis hereditatum iam dictarum plenariam potestatem, villanos ipsorum in causis omnibus Magnis et paruis, difficilibus et leuibus et in omnem euentum Judicii. Judicandi. condempnandi. plectendi. puniendi, et penam cum suis heredibus ex integro recipiendi, prout prefatum ius exigit et requirit. Judicio et iurisdiccione Palatinorum. Castellanorum. Judicum et subiudicum ac ipsorum officialium non obstante. A quorum potestate et iudicio sint idem Cmetones exempti et inmunes. Ita quod coram eis de se querulantibus non tenebuntur respondere. Nisi Coram scultetis per heredes ad hoc deputatis. sculteti eciam in ipsorum presencia non respondebunt nisi coram nobis, dum per nostras litteras nostro sigillo consignatas legittime fuerint euocati suo tamen iure de iusticia responsuri. In cuius rei testimonium et euidenciam pleniorem presentes conscribi fecimus et sigilli nostri autentici munimine roborari. actum apud *Cracouiam.* Anno domini. M°. C°C°C°. decimo septimo. die beate Margarete. presentibus testibus subscriptis, Comite Pacozlao Castellano. Cracouiensi, Nauogio Sandomiriensi. Thomislao Cracouiensi. Palatinis. Adam Judice Cracouiensi. Stephano dicto Pancauka et Spicimiro Castellano Sandedensi (sic). Datum per manus Magistri Francisci Cancellarii Cracouiensis.

(5) *Łazy*, villa etiam regionis Czchowensis parochiae Brzeźnicensis in Gallicia. De aliis villis legas annotationes praemissas ad tabulas supra typis exaratas sub N°. XI, XVIII, XX, XXVIII, XLIII, LVIII et alias.

(6) Przemęczany.

LXXVII.

Apud Cracoviam — mense Januario vel Februario 1318 anni.

Vladislaus Locticus dictus dux Cracoviae, Sandomiriae etc. villam *Kruplino* scultetis Martino et Petro locandam permittit (¹).

In nomine domini Amen. Quod magnifica principum decreuit auctoritas, ratum atque gratum debet perpetuis temporibus permanere. Proinde Nos Wladislaus dei gracia dux Cracouie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuyavie nec non heres Regni Polonie ad universorum tam presencium, quam futurorum, ad quorum noticiam presencia cupimus pervenire declarando lucide significamus, quod volentes villam nostram *Cruplijno* magis kmethonibus populare, Scultetis nostris ipsam locare admisimus in alio loco propius Civitatem et quando sculteti nostri Martinus et Petrus kmethones convocabunt ad possidendum, censum leviorem super kmethones et inhabitatores in eadem valebunt imponere, et nos grate et firme tenere debemus cum nostris successoribus sicut ipsi ordinabunt. Item ipsi Sculteti nostri septem mansos. duos ortulanos. unam thabernam. duas aruas suis curijs libere recipiant ibidem cum pratis et ortis ac quibusvis pro-

(¹) Muczkowski descripsit ex libris Tabulatii publici Regni Poloniae, Metryki koronne dictis vol. 23 pag. 79. Confirmatio regis Casimiri Jagiellonidis anno 1466 concessa, et ibidem in Tabulario asservata, caetera quoque advocatiae Brzeznicensis jura et privilegia annorum 1265, 1318, 1345, 1409, 1422 et 1441 continet. Sed hoc nostrum monumentum in libris „Metryki" sequitur privilegium anni 1345, uti Muczkowski docet, qui vult etiam, ut cum eodem conferantur privilegia annorum 1265, 1287, 1345, 1422, 1441 et alia. Privilegium anni 1265 typis jam exaratum legas in codice nostro (T. I, pag 88). Privilegium anni 1287 etiam editum a Muczkowscio l. c. (T. I, 121).

ventibus sicut ad quemlibet mansum pertinebit. et predictis omnibus libere uti et frui absque omnibus seruicijs tributis et collectis nostris universis tantum quando nos venire contingat ad civitatem nostram *Brzesnijczam* (²) debet venire ad viam nobis et post nos in civitatem equitare: et quando de eadem decedere deliberabimus usque ad noctarnum (³) nos conducere in duobus equis decentibus tenebuntur. In cuius rei testimonium sigillum nostrum majus presenti priuilegio est appensum. Actum apud *Cracoviam* anno domini millesimo tricentesimo decimo octavo in vigilia Sancti Petri Cathedra (⁴). Presentibus hijs testibus domino Clemente palatino (⁵) Nankero Cancellario Siradien. Stephano dicto Panthanka (⁶) Capit. Polonie, Andrea dapifero, Nicolao Succamerario et Nicolao Venatore (⁷). Datum per manus Sbiskonis vicecancellarij Cracoviensis.

(²) In agris silvae *Brzeznicia* dictae, oppidum conditum est a duce Lescone Nigro a. 1265. Sculteti quibus dux mansos silvae donat, ut agro exstirpato colonos ibidem locarent, fuerunt: Martinus et Pribislaus. Locus oppidi nunc autem villae parochialis *Antiquae Brzezniciae* est hodie Petricoviensis territorii et Radomscensis. regionis. „Civitas nostra *Brzesnijcza*" proxima hujus villae jus municipale circa a. 1287 nacta est. Anno 1287 vixit jam Catharina vidua, uxor Martini sculteti (Conf. Codicis hujus T. I, pag. 121). Alius Martinus est noster anni 1318. *Kruplin*, villa de qua etiam mentionem legimus in privilegio anni 1287 l. c. est parochiae Brzeznicensis.

(³) Quod polonice vulgo *nocleg* dicitur.

(⁴) Cathedra S. Petri Romae, celebratur 18 Januarii; eadem cathedra Antiochensis 22 Februarii. De priori huc potius mentio.

(⁵) Siradiensi, haud dubio, nam Cracoviensis hoc tempore comes Tomislaus erat.

(⁶) Stephanus Pancaneus eodem anno 1318 mense Augusto Capitaneus Poloniae et Cujaviae legitur in codice nostro (T. II privil. N°. CCXXIX).

(⁷) Haud dubio omnes officiales siradienses uti Clemens et Nankerus, nam negotium totum erat ducatus Siradiensis proprium. Nicolaus vero succamerarius siradiensis legitur sub a. 1327 in Codice diplomatico Lelevelii (legas: Poczatkowe prawodawstwo polskie in opere ejus majori: Polska średnich wieków T. 3).

LXXVIII.

Calissiae — die 9 Decembris 1319 anno.

Abbatissa de *Olobok* devoto fratri Bernardo priori domus suae potestatem dat, ut in causa de haereditate villae *Uszew*, a multis annis lata, procedat et statuat (1).

Nouerint vniuersi ac singuli ad quorum audienciam presens pagina deuoluetur. Quod ego abbatissa, vna cum meo conuentu ordinis Cisterciensium Sanctimonialium domus de *Oloboch*, causam que vertitur inter nos ex vna parte et sorores deodicatas in monasterio *Stanatkij*, ordinis Sancti Benedicti ex altera, super hereditate *wshua* (2) in wlgari nominata quam propria in persona fouere deberemus effectum mancipantes sed non valemus, propter multa viarum discrimina et aliis causis racionabilibus prepedite virum Religiosum ac deuotum fratrem Bernardum Priorem nostre domus *Olobocensis* (3) supradicte presencium ostensorem posuimus fecimus ordinauimus et constituimus nostrum procuratorem ydoneum et valentem, sponte ac de mera liberaque uoluntate, nostram commissionem recipientem et mandatum in causa hereditatis supradicte. Cui omnimodam potestatem damus et concedimus in causa sepedicta procedendi ordinandi concordandi et alia omnia facienda, que ipsius consilio videbuntur opportuna et quicquid ydem frater Bernardus noster procurator de causa hereditatis supradicte fecerit constituerit et diffiniuerit omnia firma et inconcussa promittimus irreuocabiliter obseruare. In cuius rey euidenciam pleniorem Sigillum nostri predicti conuentus duximus appendendum. Datum aput (sic) *Kalish* (4) Anno domini M. CCC. XIX die dominico infra octauas beati Nicolay.

(1) Sławiński descripsit ex tabula authentica membranacea Staniątciis asservata; sigillum desideratur, cujus abrupti nonnisi taeniola pergamena restat.

(2) *Uszew*, villa legas hujus tomi privilegium N°. LVIII et seqq. denique N°. LXXVI.

(3) *Olobok*, hodie in provincia Posnaniensi, quae Prussiae adnectitur

(4) *Kalisz*, Calissia, urbs Majoris Poloniae celeberrima, olim ducatus, hodie territorii et regionis caput.

LXXIX.

In monasterio Szczyrzycensi — 1324 anno.

Vladislaus Locticus Rex Poloniae remuneraturus servitia Petri dicti Kunicki villam ejus *Wilkowiski* de jure polonico in teutonicum transfert (¹).

In nomine Domini Amen. Largitas Regum multipliciter comendatur, si ex grata donacione confirmacio benivola subsequatur. Proinde Nos Vladislaus Dei gracia Rex Polonie nec non Terrarum Cracovie, Sandomirie, Lancicie, Cuyavie Syradieque Dux. Ad noticiam tam presencium quam futurorum volumus devenire: Quod atendentes et considerantes fidelia servicia fidelis nostri Petri dicti Cuniczky, que nobis multipliciter exhibuit ac adhuc in futurum actione diligenti nititur exhibere. Et ut ipsum Petrum ad nostra servicia redderemus promciorem, sibi hereditatem suam *Wilcowisce* (²) vulgariter dictam et in Terra Sciriczensi situatam, prout in suis terminis, gadibus et limitibus circumferencialiter est distincta, de iure polonico in jus Theutonicum, scilicet Novi fori, quod Sredense vulgariter dicitur, presentibus duximus transferendam; absolventes ipsum Petrum et omnes incolas et villanos suos, nunc aut in futurum ibidem manentes ab omnibus iuribus polonicalibus, sicut: *Sep, Stan, Naras, Powolove* et aliis singulis serviciis, angariis, perangariis, quecunque sunt aut quocunque nomine censeautur, que ius Theutonicum consueverunt perturbare: Ita quod predictus Petrus et sui legitimi heredes ac successores nullo alio iure, quam suo Theutonico Sredensi in omnibus causis Capitalibus magnis seu parvis, una cum sculteto et villanis suis in perpetuum pacifice et libere perfruentur. Liberamus etiam sepedictos fideles nostros ab omnibus iurisdicionibus Castellanorum, Palatino-

(¹) Apographon a Josepho Łepkowscio nobis concessum.
(²) Hodie *Wilkowisko*, villa ut apparet et nostro privilegio proxima oppidi *Szczyrzyc*, de quo supra.

rum, Judicum, subiudicum et omnium aliorum officialium, sic quod si citati ad presenciam eorum unquam fuerint, minime respondebunt, nisi per literam sigillo nostro sigillatam ad nostram presenciam citati erunt, extunc iure suo Theutonico unicuique querulanti de ipsis respondere tenebuntur. In cuius rei testimonium et evidenciam pleniorem presentem paginam conscribi fecimus et sigillo nostro roborari. Actum apud Claustrum *Scïricz,* in die beate Katherine. Anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo quarto, presentibus hiis Nobilibus nostris: Johanne Castellano de *Brescho,* Sbigneo Venatore Cracoviensi, Petro Vexillifero, Sbigneo preposito Cracoviensibus, Signeo filio Broconis Subdapifero Sandomiriensi, Petro Canonico Cracouiensi et Vice-cancellario Curie nostre, et aliis multis fide dignis. Datum per manus Magistri Francisci prepositi Wisliczensis et Cancellarii Cracoviensis.

LXXX.

Apud Cracoviam — 11 Novembris 1326 anno.

Vladislaus Locticus Rex Poloniae, villas abbatis Tinecensis in silva sitas *Gromnik* et *Golanka* dictas, jure teutonico locandas permittit (¹).

In nomine Domini Amen. Quae matura deliberatione digestoque consilio Principum aliquo respectu quibuslibet permittuntur, ea per commemorationem longinquam hominum, quorum memoria labilis est attestatione veridica, scriptisque patentibus datur non immerito roborari. Hinc est quod nos Vladislaus Dei gratia Rex Poloniae, nec non Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Lancitiae, Siradiae Cuiaviaeque Dux et Dominus, scire volumus universos praesentes et posteros, quorum audientiae praesens scriptum fuerit devolutum, Quod consideratis fidelibus servitijs et inspectis, quae nobis fidelis Abbas

(¹) Apographon a Josepho Łepkowscio descriptum.

noster et Conventus Tynecensis exhibuit, et in futurum nititur exhibere, haereditatem ipsius in silva sitam vulgari *Gromnik* et *Golanka* vocitatam, indulgemus, damus et conferimus potestatem Jure Theutonico collocandam, Jure scilicet novi fori, secundum quod est praedicta silva certis suis limitibus designata. Eximentes et liberantes Scultetum et Incolas, seu villanos, quos ibidem locaverit, dantes eis per viginti annos continue sequentes plenam et omnimodam libertatem ab omni servitio et datione Dominio nostro pertinenti. Absolvimus itaque Scultetum et villanos qui ibidem ad inhabitandum venerint, ab omnibus Polonicalibus Juribus, solutionibus, exactionibus, servitijs, omnibus angarijs et praeangarijs, quocunque nomine censeantur, videlicet a *Naraz*, *Powoz*, a *Powod*, a *Sep*, a vacca, a bove, a *poradlne*, vel quocunque dici queant vocabulo, quod Jus Theutonicum consuevit perturbare, et ab omnibus Judicijs Polonicalibus Palatinorum, Castellanorum, omniumque Judicum et Subiudicum, et omni Jurisdictione ipsorum ac Officialium, Ministerialiumque quoque eorum, sed tantummodo Scultetus ipsius omnes causas, poenas furti, sanguinis, homicidij et quascunque cum Scabinis suis in bonis eisdem Jure Theutonico iudicabit, et ipse Abbas et Conventus una cum Sculteto ipsorum iuxta Jus Theutonicum poenas sive emendas percipient iudicati. Citati tamen Scultetus et villani supradicti per nostram literam tantum in nostra Curia de se quaerulantibus apparebunt, dum idem Scultetus in reddenda iustitia negligens repertus fuerit, Jure Theutonico responsuri. In cuius rei testimonium praesentes fieri et Sigilli nostri munimine iussimus communiri. Actum apud *Cracoviam* in die B. Martini Anno Domini M. CCC. XX. VI. III. ante Idus Novembris. His praesentibus Nobilibus nostris: Tomislao Palatino Sandomiriensi (²), Navogio Castellano, Nicolao Subcamerario Cracoviensibus, Domino Sbiscone Praeposito Cracoviensi. Datum per manus Magnifici Francisci Praepositi Visliciensis Canonici et Cancellarij Cracoviensis.

(²) Falsum igitur, quod Niesiecki noster dicit, Tomislaum hunc jam anno 1325 mortuum esse.

LXXXI.

Apud Cracoviam — 21 Maji 1327 anno.

Spicimirus Cracoviensis palatinus et Leonardus filius Dirsicrai villas inter se commutant. Spicimirus pro dimidia parte haereditatis *Tarnowo* villam *Dęba* donat et quadraginta marcas grossorum. Vladislaus Locticus Rex commutationem hanc ratam esse jubet (1).

In Nomine Domini Amen. Cum commutaciones, ordinaciones et resignaciones robur obtinere nequeant firmitatis, si consensu Regum seu principum et litterarum testimonio non fuerint roborate: Proinde Nos Wladislaus Dei gracia Rex Polonie, necnon Terrarum Cracovie, Sandomirie, Lancicie, Cuyavie Syradieque Dominus et Heres. Ad noticiam tam presencium quam futurorum volumus devenire, Quod fidelis noster Spicimirus Palatinus Cracoviensis in nostra nostrorumque Baronum constitutus presencia corporali, sanus mente et in obtima (sic) corporis sui valetudine, non coactus sed sponte hereditatem suam *Dambani* wlgariter dictam, cum porcione, quam ybidem habent Dominus Nankerus et Petrus filii Stognei nomine comutacionis cum omnibus utilitatibus, proventibus, usu fructibus, et toto Dominio, prout solus tenuit et possedit, prout in suis terminis, Gadibus et limitibus circumferencialiter est distincta, fideli nostro Leonardo filio Dirzislai pro dimidia parte hereditatis *Tharnowo* (2) Jure hereditario in perpetuum dedit, edidit et libere resignavit, nichil penitus Juris sive Dominij ybidem pro se vel suis legittimis heredibus seu successoribus

(1) Privilegium hoc Josephus Łepkowski descripsit ex tabula pergamena, cujus sigillum desideratur et funiculi jam nullius coloris. Ex altera parte archetypi polonice quisquam titulum inscripsit sequentem: „Spiczymir, woiewoda Crakowski wieś Damba Lenarthowi Derslawowemu synowi za puł Tharnowa z przydatkiem zamienił. Anno 1327." Descriptum vero privilegium est e fasciculo primo copiarum urbis Tarnoviae (hrabstwo Tarnowskie, comitatus).

(2) *Tarnow, Tarnovia* urbs Tarnowsciorum, postea vero ducum Ostrogiensium etc. in antiquo palatinatu Sandomiriensi regioneque Pilzniensi sita, hodie in regno Galliciae, caput provinciae et episcopi sedes.

ybidem reservando. Nos vero precibus ipsorum ex utraque parte benignis inclinati, prefatum commutacionem et resignacionem ratam et gratam habentes, ad guam hereditatem Ipse Spicimirus Palatinus prefato Leonardo quadraginta Marcas grossorum addidit, Sepedicto Leonardo et suis legittimis heredibus ac successoribus Jure hereditario Ipsam hereditatem *Dambani* possidendam, vendendam seu commutandam, sicut eis utilius et melius expedire videbitur in perpetuum presentibus confirmamus. In cuius rei testimonium presentem paginam conscribi fecimus et sigillo nostro roborari. Actum apud *Cracoviam* XII° Kalendas Junij. Anno domini Millesimo, trecentesimo vicesimo Septimo. Presentibus hiis Nobilibus nostris: Nawogio Castellano, Sbigneo Preposito, Nycolao Subcamerario Cracoviensibus. Sandone Judice Sandomiriensi, Petro Nosal Vexillifero Cracoviensi et aliis multis fide dignis. Datum per manus Petri Prepositi Sandomiriensis et Vicecancellarii Curie nostre.

LXXXII.

Apud Wisliciam—24 Aprilis 1328 anno.

Rex Vladislaus Locticus villam *Tarnowiec* donat Spicimiro Cracoviensi palatino; cujus etiam haereditates, magnum et parvum *Tarnow*, de jure polonico in teutonicum transfert (¹).

In nomine Domini Amen. Largitas Regum seu principum multipliciter commendatur, si ex grata donacione confirmacio benivola subsequatur. Nos igitur Wladislaus dei gracia Rex Polonie necnon terrarum Cracovie, Sandomirie, Cuyavieque Dux et heres. Ad noticiam tam presencium quam futurorum volumus devenire: Quod attendentes et considerantes grata ac fidelia servicia, que nobis fidelis

(¹) Łepkowski descripsit privilegium hoc ex archetypo membranaceo in Tabulario Comitum Tarnowsciorum asservato. In dorso tabulae leguntur sequentia polonice: „Przywiley od Krola Wladzislawa na mały Tharnowiecz z wolnościami y prawem Maigdeburskim." Sigillum abruptum, cujus tamen reliquiae sunt.

noster Comes Spicimirus Palatinus Cracoviensis multipliciter exhibuit, et adhuc in futurum animo diligenti paratus est exhibere; Et ut ipsum ad nostra servicia redderemus prompciorem, sibi et suis legitimis heredibus ac successoribus villam sive hereditatem nostram parvum *Tharnowecz* wlgariter dictam et in districtu Civitatis *Woynicensis*, iuxta villam ipsius Spicimiri magnum *Tharnow* ([2]) situatam, Jure hereditario cum omnibus utilitatibus, proventibus et toto Dominio prout personaliter tenuimus, damus, conferimus in perpetuum possidendam, vendendam seu commutandam, sicut eis utilius et melius videbitur expedire; ut autem predictus Spicimirus Palatinus eo melius et facilius ipsas ambas hereditates *magnum* et *parvum Tharnow* cum suis legitimis heredibus locare et possidere valeat, eas exnunc de iure polonico in ius Theutonicum scilicet novi fori, qnod *Sredense* wlgariter nuncupatur, presentibus duximus transferendas, removentes ibidem omnia iura polonicalia, sicut: *Sep, Stan, narzaz, povolowe,* Vacca, Ove, *Opole, Stroza, Podworowe, Prewod,* et alia singula servicia Angariaciones (sic) et preangariaciones, quecunque sunt aut quocunque nomine censeantur, que ius thewtonicum consueverunt perturbare, Sic quod prefatus Spicimirus cum suis scultetis et villanis in ipsis villis nullo alio iure quam suo thewtonico prenominato in Causis capitalibus decollandi, suspendendi, mulctandi, et in alijs omnibus magnis seu parvis libere et pacifice in perpetuum perfruentur, Absolventes ipsos etiam scultetos et villanos specialiter ab omnibus Jurisdicionibus et potestatibus Castellanorum, Palatinorum, Judicum, subiudicum et omnium aliorum Officialium, ita si unquam ad presenciam eorum pro quacunque causa citati fuerint, minime respondebunt, nisi dum per literam sigillo nostro sigillatam ad nostram presenciam fuerint evocati, extunc coram nobis unicuique querulanti non alio Jure quam

([2]) Spicimirus palatinus Cracoviensis multos favores apud Vladislaum Locticum regem habuit. Progenitor gentis Tarnowscianae fuit. Urbem *Tarnow* ipse condidit et hanc ob causam, sicut vidimus, et villas emerat (vide privilegium praemissum ad N⁰. LXXXI. et rex ei varias haereditates donaverat. Conf. opus „Starożytna Polska" T. II, pag. 480. Spicimirum palatinum Cracoviensem jam legimus a. 1320 ap. Szczygielscium, castellanum vero Cracoviensem jam a. 1330. Vixit etiam anno 1350 (ap. Niesieccium falso jam a. 1330 mortuus est). Conf opus „Biblioteka Warszawska" 1850. T. III, pag. 414).

suo sepedicto thewtonico tenebuntur respondere. In cuius rei testimonium et evidenciam pleniorem presentem paginam conscribi fecimus, et nostro sigillo roborari. Actum apud *Wiśliciam* in die beati Georij (sic) martiris. Anno Domini M. CCC. vicesimo Octavo; presentibus hijs nobilibus nostris: venerando in Christo Patre domino Johanne Episcopo Cracoviensi, Navogio Cracoviensi, Petro Sandomiriensi Castellanis, Mstuyo Judice, Pelka pincerna, Nicolao Subcamerario Cracoviensibus, ac alijs multis fidedignis. Datum per manus Domini Sbigneij Prepositi et Cancellarij Cracoviensis.

LXXXIII.

Cracoviae — 1330 anno.

Vladislaus Locticus rex, privilegia advocatiae Novae civitatis Sandecensis a praedecessore suo Venceslao Bohemiae rege data, confirmat (1).

(1) (Vide privilegium anni 1292, praemissum sub N°. LXVII, pag. 155, ubi in annotatione privilegium Vladislai Loctici jam editum est).

LXXXIV.

In villa Jakubkowice — 1333 anno.

Erectio ecclesiae parochialis in villa *Jakubkowice* a **Hedvige** regina Poloniae et domina terrae Sandecensis uxore Vladislai Loctici facta (1).

...Ad hanc Ecclesiam venimus, d. Plebanum non deprehendimus, et continuo se absentat propter jurium indicationem, unde Investiga-

(1) Depromptum ex Visitatione ecclesiae *Jakubkowicensis* a quibusdam praelatis. Doctissimus Josephus Łepkowski descripsit ex quodam Archivo in Gallicia asservato. Orthographia locorum et personarum in hac erectione multo posterior est; certe

tionem ferme nullam ratione Inventarii et aliorum habere potuimus, nihilominus cum plurima desolata vidimus et avulsa, eo intelleximus, vocatis ad Nos Nobilibus Heredibus collatoribusque, cum de Privilegio interrogaremus, prout fama fuit apud Nobilem Joannem Wierzbięta haesisse, sedata controversia, cum Nobis idem Joannes Wierzbięta produxisset Privilegium in Pargameno descriptum Sigillo majori et minori munitum, nec illud Nobis concedere voluisset, nos nihilominus pro nostra securitate et ad perpetuam memoriam illud ad acta praesentia Visitationis inseruimus. Cujus Privilegii de verbo sequitur et est Tenor talis:

Anno Incarnationis Domini Millesimo, trecentesimo trigesimo tertio, Quoniam omne datum a Deo est, in cujus recognitionem Domini omnia nos oportet praestare; quae vero temporaliter geruntur, ex humana memoria dilabuntur, nisi solemni titulo literarum et testium annotatione roborentur. Igitur meminerint tam presentes quam futuri, quos Nos Hedvigis Dei gratia Regina Poloniae et specialis Domina haereditaria, Domina Terrae Sandecensis, cupiendo ut Dei Nostri Omnipotensis maxima gloria ubique locorum propagetur et Ipsius Supremum Dominium recolatur, quocirca in villa *Jakubkowice* (²), in qua jam Ecclesiam novam aedificavimus in honorem eidem Deo Omnipotenti sub titulo SS. Apostolorum Petri et Pauli, Presbyterum, qui in eadem Ecclesia Divina peragat, locamus, ad quem presbyterum cura animarum tam ex eadem

praelati, qui ecclesiam visitaverant, sui temporis orthographia usi sunt. Sed quale hoc tempus fuit? nescimus. Conf. privilegium etiam Hedvigis reginae infra editum sub a. 1339.

(²) *Jakubkowice* villa hodie in Gallicia, olim fuerat in palatinatu Cracoviensi, territorio Sandecensi, regione vero Czchowensi. Omnes villae ad parochiam spectantes proximae sunt. In jam laudato illustrissimi Alexandri Przeździeccii proprio manuscripto: „Konskrypcya miast etc." anno 1676 legimus sequentes villas parochiae Jakubkowicensis: *Jakubkowice, Jaroszowka* (in hac erectione nostra, haec villa haud dubio *Wolka Jarostowka* appellatur), *Łączna, Łososina, Stankowa* et *Stankowska Wola*, (certe villae, de quibus erectio: „utramque *Wolka* cum *Staszkowa*" dicit), *Wronowice, Bielsko, Sadowa* (in erectione mons vel collis legitur *Sadowa*), *Wroczmirowa* (in erectione *Wroczymirowa*) et *Michalczowa*). Villam *Zbikowice*, quae in erectione legitur, in indicibus locorum a. 1676, invenimus nullam in parochia Jakubkowicensi, sed villa ejusdem nominis ad ecclesiam in *Ulanowice* his temporibus spectabat. Altera villa *Łososina* ejusdem regionis Czchowensis, parochialis etiam fuit.

villa *Jakubkowice*, quam aliis villis *Wrocimirowa*, *Łaczne*, *Łososina*, quam locorum exstirpandorum in iisque hominibus Colonis locandorum seria (?) spectabit. Cui Presbytero in Parochum erecto de consensu nostro speciali et Consilio DD. Baronum nostrorum et aliorum, Nostra erga Deum Omnipotentem e devotione et profunda Ipsius Supremi Domini recognitione, pro stustentatione et dotatione dicti Presbyteri seu Parochi in iisdem bonis Nostris donamus et assignamus pro dote perpetua Ipsius et ejusdem Ecclesiae Aream Plebanalem et fundos in dictis nostris bonis, videlicet Laneos tres emensuratos. In eadem villa *Jakubkowice* Laneum unum in longum a Colle *Sadowa* dicto pro extirpatione designato ad fluvium *Łososina* extensum, cum duobus subditis in hocce Laneo sitis, latum vero a metis villae *Łaczne* et *Jakubkowice* in formam Cunei et ultra prout via publica ad montem versus *Thangoborze* (³) ducentem decurrit, protensum; et in villa *Łososina* laneum secundum, incipiendo a praefato agro in longum a via publica a *Łaczne* ad *Łososinam* ducenti ad fluvium *Łososina* extensum, et tribus subditis in eadem villa *Łososina* circa Praedium villae locatis, cum pratis sub monte *Sadowa* dicto in laneo ibidem sitis. Tertium Laneum in *Wolka Jarostowka* cum Cmetone uno noviter exculto, sylva ibidem excrescenti inter tres profundos fontes vicinos ad metas villae *Surdnik* sita et molendino inferiori sub eadem sylva et monte sito, seu alias eundem Presbyterum ad presens Petrum de *Sandecz* Ipsiusque posteros Parochos medietatibus villarum praenominatarum *Łososina, Jakubkowice* et *Wolka Jaróstowka* Montis dotamus, et in novam Parochiam erigi volumus et contendimus, atque huic Parochiae villas Nostras *Jakubkowice, Łososina, Łaczne, Bielsko, Michalczowa, Wroczymierowa, Zbikowice, Wronowice* et utramque *Wolka* cum *Staszkowa* adjungimus, ex quibus villis omnibus aliisque locis extirpandis et extirpatis Parochiae huic subjectis, campestrem decimam frumentorum omnium Parocho moderno Petro de *Sandecz* ipsiusque Posteris pro Portione et dote perpetualiter habenda concedimus.

(³) Willa *Tęgoborza*, parochialis etiam in antiqua regione Czchovensi, nunc in Gallicia.

Volumusque etiam, ut praeter decimam campestrem ex villis *Bielsko, Łososina* et *Wronowica* ex aula per duas maldratas tritici et totidem avenae pro sustentatione alterius Presbyteri quotannis extradendas perpetualiter. Insuper eidem Parocho liberum usum cremandi et liquores in sua una Taberna Parochiali a Nostra distincta exercendi jus tribuimus; pariter libera pascua inter jumenta Nostra, liberam piscationem in communi fluvio *Łososina,* et liberam sylvarum Nostrarum incisionem quoties opus fuerit pro usu Parochiali impertimur. Et sicut permissa de Nostra libera voluntate cupiendo ampliare omnibus in locis majorem Omnipotentis Dei cultum, ejusdem Presbyteri Parochi ejusque posteris (sic) usui benigne conferimus et perpetualiter condonamus atque in dotem erigimus perpetuo et in aevum ita pro nostra Christiana Collatione in posterum cavemus praetactos fundos ab omni onere terrestri Polonicali esse liberos et ad Authoritatem et Jurisdictionem Spiritualem spectare dignoscimus. Quam dotem alienare quoque modo non licebit, nec quisquam sub comminatione districti Judicii Dei audebit perpetualiter et in aevum. Et veluti ad eundem Parochum atque posteros haec nostra beneficia, ut Ipsos hilariores haberemus, perpetualiter habemus, ita nunc et in posterum studiosos esse volumus et attentos, ut quotquod opportunum fuerit hominibus in hac Parochia auxilium spirituale egere a praefato Parocho, tenebitur extunc misericordi charitate et pro officio subvenire, et pro Nobis Divinam Majestatem exorare et Magistrum juxta morem antiquum Ecclesiarum tenere, collatione Posterorum Parochorum Nobis et Nostris successoribus reservata. Acta haec sunt in *Sandecz* coram his Testibus: scilicet Spiczemiro Castellano Crac. Domino Przybyslao Subjudice Crac. Dominno Aegidio Pincerna, Domino Strzeszone Procuratore Nostro et aliis fidedignis. Datum per manus Domini Zbignei Cancellarii Praepositi Cracoviensis.

Quod ejusmodi Privilegium in Pergameno descriptum cum aliter fieri non potuit Nobili Wierzbięta Heredi in *Bielsko* reddidi, quod duo caerea sigilla adhuc intacta habuit appensa. Tandem cum Nos de statu moderno intelligeremus, et in absentia Parochi plene informari non valuimus, homines senes advocavimus, et ad perpetuam rei me-

moriam examinavimus, quorum sub juramento relata sunt haec. I^{mus} Martinus Rycerz annorum 70 juratus recognovit... etc. (4).

(4) Sequuntur testium verba, qui de statu ecclesiae praelatis visitantibus multa retulerunt, sed in apographo Łepkowscii nulla eorum testimonia habemus.

LXXXV.

Avignon — 18 *Octobris* 1335 *anno.*

Benedictus XII papa precibus deodicatarum virginum de *Staniątki* commotus, monasterium earum, personas et bona, sub beati Petri protectionem suscipit et privilegia omnia earum confirmat (1).

Benedictus episcopus seruus seruorum dei. Dilectis in Christo filiabus Abbatisse et Conuentui Monasterij de *Nouacella* alias de *Stanetek* Ordinis sancti Benedicti Cracouiensis diocesis Salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est, et honestum, tam uigor equitatis quam ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecte in domino filie uestris iustis postulationibus grato concurrentes consensu personas uestras et locum in quo diuino estis obsequio mancipate cum omnibus bonis que in presentiarum rationabiliter possidetis aut in futururum (sic) iustis modis prestante domino poteritis adipisci sub beati Petri et nostra protectiorre suscipimus. specialiter autem ecclesias, terras, possessiones, domos, vineas et alia bona uestra, sicut ea omnia iuste et pacifice obtinetis uobis et per uos Mo-

(1) E tabula membranacea in archivo Staniątcensi asservata Sławiński descripsit, sigillumque plumbeum filis sericis rubei et flavi coloris appensum esse tradidit. Sigillum vero parvum est et in altera parte duo capita repraesentat cum inscriptione: *S. PA. S. PE.* (Sanctus Paulus Sanctus Petrus); ex altera vero parte inscriptio *Benedictus PP.* (Papa) *XII.* Ipsum diploma subscripsit Romae: *P. Verul*, id est Petrus de Verulis. Joannes ejus nominis XXII. Papa, mortuus est 4 Decembris 1334 anno. Benedictus XII (olim Jacobus Fournier) huic successit.

nasterio uestro auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Auinion XV Kalendas Nouembris Pontificatus nostri Anno Primo.

LXXXVI.

Sandeciae — die 3 Februarii 1336 anno.

Hedvigis regina vidua Poloniae et domina Sandecensis, Nicolao advocato Sandecensi donat silvam, ut exstirpatis agris villam ibidem jure teutonico locaret (1).

In nomine Domini Amen. Cum ea quae geruntur etc. Ideo noverint universi praesentes etc. Quod Nos Ingenua Hedvigis Dei gratia Regina Poloniae.... et Domina Sandecensis, bona voluntate ac consensu nostri dilecti filii Casimiri Regis Poloniae, necnon de maturo consilio militum et Baronum nostrorum, Discreto viro Nicolao, Advocato Sandecensi ad fidelia servitia nobis impensa et adhuc in posterum impendenda, tradimus et donamus sylvam circa nigram *Kempriciam* (2), ubi sunt tres rivuli fluentes, qui vulgariter *Schemkempnitz*

(1) Josephus Łepkowski descripsit hanc tabulam ex archetypo, quod in Gallicia asservatur. Tabula in quodam transumpto erat, sed illo praetermisso Łepkowski tantum privilegium Hedvigis reginae descripsit, sive potius succum rei nostrae tabulae, quem hic edimus. Conf. privilegium, quod sequitur (N⁰. LXXXVII).

Villa quam vigore hujus privilegii locavit Nicolaus advocatus, in silva circa „Nigram Kempriciam" fuit *Kamionka*, uti Łepkowski nos docet. Qualem autem villam *Kamionka* dictam Łepkowski hoc loco intelligit nescimus, nam in indicibus locorum jam laudatis „Konskrypcya miast" anno 1676. *Kamionka* est villa antiquae Rei publicae Polonorum regionis Sandecensis, parochiae vero ad villam *Nawojowam* spectantis, altera vero *Kamionka* villa ejusdem est regionis et suae parochiae caput, et villam *Kamionkam* etiam legimus in regione *Oschovensi* parochiae *Ujanovicensi*.

(2) Łepkowski non potest nomina haec nobis barbara intelligere. Conf. sequentem tabulam.

nuncupantur, et ex eadem sylva eidem Nicolao Advocato Sandecensi concessimus et indulsimus villam jure Theutonico ac Magdeburgensi, centum mansos continentem, si tot vel pauciora (sic) ibidem fieri possunt, collocandam. Dantes etiam ei Nicolao praenominato in eadem scultetiam cum sex mansis liberis, tabernis, molendinis, quaeque necessaria fuerint super aquam ad eandem villam pertinentem, cum Banicis sutorum, carnificium et pistorum, quot ibi necessitas postulat et requirit, atque cum mellificiis, venationibus, piscinis et pratis, quae sunt in suis metis circumferentialiterque sita, et tertium denarium de judicio: Haec omnia memoratus Nicolaus Advocatus in praedicta villa libere obtinebit sibi et suis liberis, heredibus seu successoribus jure hereditario perpetuo valitura, et ad usus bene placitos convertenda, prout sibi et suis posteris etc. Concedimus eis in villa praehabita Ecclesiam construendam, ad quam (³) Testibus: Spicimiro Castellano Cracoviensi, Sbigneo Cancellario Cracoviensi. Datum per manus Joannis scriptoris. Anno domini M. CCC. XXXVI in die Blasii aut Secundo Nonas Februarii, in Castro *Sandecensi.*

(³) Conclusio privilegii sequitur, quam Łepkowski non descripsit et causam facti hanc posuit, conclusionem variam ab multis aliis non esse.

LXXXVII.

Sandeciae — 3 die Februarii 1336 anno.

Ejusdem privilegii aliud apographon ex transumpto Sophiae reginae Vladislai Jagellonis uxoris (¹).

Zofia Dei gratia Regina polonie Significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis. quomodo dum ingruente casu infortuito nostre ville *pataschnikowa* Scultetus prouidus Nicolaus noster fidelis

(¹) In fasciculo Leonis Rzyszczewscii proprio, jam descriptorum privilegiorum, ab illustrissimo vero doctissimoque Alexandro Przezdziecio nobis ad usum Codicis concessorum, invenimus in transumpto Sophiae reginae Poloniae, id est quartae uxoris Vladislai Jagellonis tabulam praemissam Hedvigis reginae Nicolao advocato datam. Transumptum

priuilegium hereditatis sub titulo Illustris Heduigis quondam Polonie Regine et domine Sandeczensis divini recordii perdidit et amisit qui quidem coram nobis super eo satissufficienti presencium virorum edocuit testimonio pro parte que ejusdem Sculteti nostre celsitudini est humiliter suplicatum vt sibi priuilegii sui tenorem quod in nostra metrica nostre Cancellarie prius habuimus insertum sub titulo nostro innouaremus daremus atque donaremus. Nos autem suscipientes horum omnium pro parte sculteti jam dicti suplicacionem et decernentes eam fore justam volentesque hanc hereditatem ad pristina Jura relevare ne in aliquo detrimentum patiatur et hunc Scultetum in peticionibus suis reddere consolatum eiusque incolas eo iure quo antiquo priuilegio et perdito gaudebant vtifrui perhenniter et in evum juxta prefatum tenorem priuilegii perditi nouum priuilegium sub sigillo nostro dedimus donauimus et perpetuo damus donamus in hec verba graciose ratificamus ipsum habere robur .... firmitatis.

In nomine domini amen. Cum enim vota que ex mera seu regali libertate ac .... per mobilitatem temporis et defluxum ejusdem obliuionem sepe .... et multiplicum viciorum esse dinoscitur ut firmo caractere literali et testimonio proborum virorum roborantur. Ideo nouerint vniuersi presentes et posteri ad quos presens scriptum fuerit deuolutum. Quod nos ingenua Heduigis deigracia Regina polonie domina Sandeczensis cum bona voluntate ac assensu nostri dilecti filii Kasimiri Regis polonie necnon de maturo consilio militum et Baronum nostrorum Nicolao Advocato sandeczensi ob fidelia seruicia nobis impensa et adhuc inposterum impendenda tradimus et donamus siluam circa *nigram Kamieniczam* vbi sunt tres Riuuli fluentes qui vulgariter .... (²) *Ka-*

in nostro apographo tota conclusione caret, sed privilegium ipsum Hedvigis et variantes lectiones habet, multoque majus et uberius est quam in Łepkowscii apographo, quod etiam mendis scatet. Hanc ob causam et apographon, quod invenimus in fasciculo copiarum Rzyszczewscii huc repetimus, sed benevolum lectorem humillime rogamus, ut tabulam nostram cum praemissa conferat. Rimae laedentes tabulam, de qua apographon Rzyszczewscii descriptum est, tota verba legere impediverunt.

(²) Apud Łepkowscium leguntur hoc loco „nigra *Kamenicia* et *Schenkenpaita*" Vide supra.

mieniecz nuncupantur et in eadem silua eidem Nicolao Sandecensi concessimus et indulsimus villam jure Theutonico ac Maydeburgensi centum mansos continentem si tamen vel pauci .... ibidem fore possunt collocandam. Dantes etiam ei Nicolao prenotato in eadem sculteciam cum vj mansis liberis Thabernis, Molendinis queque necessaria fuerint super aquam ad eandem villam pertinentem cum Bancis Sutorum Carnificum et pistorum secundum quod ibi necessitas postulat et requirit, atque cum mellificiis venacionibus piscinis et pertinenciis (3) secundum quod est in suis metis circumferencialiter sita et tandem (4) denarium de Judicio, haec omnia memoratus Nicolaus advocatus in predicta villa libere obtinebit sibi ac suis liberis heredibus seu successoribus jure hereditario perpetue valituram et ad vsus placidos conuertendam commutandam secundum quod sibi et suis posteris [vtilius et commodius .... expedire. Ceterumque damus de nostra gracia .... ac successoribus ipsam habitantibus per spacium viginti .... seruiciis ipsos incolas ab omnibus exaccionibus collectis penis solucionibus communibus seu specialibus liberos et penitus absolutos reddentes. Et si quos .... Nicolaus Aduocatus in suos sex mansos liberos locauerit ab omni solucione regali vel Capitaneali sint exclusi sed predicto Nicolao Aduocato post elapsam libertatem velud (sic) alii ibidem morantes census soluantur (sic) et soluere tenebuntur. Addidimus eciam in his scriptis de nostro fauore benigno .... collocatorem prefatus Nicolaus Aduocatus sub nomine suo. incolis assignauit cum illo ipsi residenciam faciant non .... ad .... residenciam compellens. Ut autem de diuersis libertatibus ibidem morantes possint gratulari] (5) Concedimus eis in villis prehabita .... (6) ad quam duos mansos liberos et duos pro pascuis villanis assignamus. Et inter cetera ipsos .... coram

(3) Fortasse mala lectio, ap. Łepkowscium legitur *pratis*.
(4) Etiam fortasse mala lectio, apud Łepkowscium legitur *tertium*.
(5) Quae uncis interclusimus, in apographo Łepkowscii desunt.
(6) Desunt hoc loco verba, quae ex apographo Łepkowscii citamus: *ecclesiam construendam, ad quam* etc. Caetera in apographo Łepkowscii etiam desunt.

nullo Castellano vel Palatino aliquo in suis causis arduis respondebunt nisi litera nostra citentur. Et suo Jure Theutonico ac Meydburgensi et non alio coram nobis respondebunt, Volumus.... .... per elapsam libertatem nostrum nuncium tribus judiciis generalibus in anno mittere quem muneribus respiciant velud in aliis villis circumadiacentibus est .... et consuetum. Quum autem post cuncta praeterea libertas .... e .... tam omnes Incole ville prenominate singulis annis de quolicet manso nobis et nostre posteritati octo Scotos soluere. De quibus sepedictus Nicolaus Advocatus sextum denarium recipiat et sui legitimi successores atque .... annis cunctis de singulis laneis fertonem pro decimis monete vsualis assignabunt volumus eciam vt antedictus Nicolaus Advocatus propter donacionem hanc post elapsam libertatem ad expedicionem nobis et nostris posteris et aliis seruiciis seruiat prout vero est mos scultetorum circumsedencium (?) et sua posteritas ab ipso legitime procreata Ut autem hec nostra donacio de maturo consilio et bona deliberacione habita donacionisque prefati (7) presens robur obtineat valiturum .... et nostri sigilli munimine fecimus communiri. Et ad euidencius testimonium .... et Cancellario subnotatis hiis testibus Domino Sbigneo Castellano Cracouiensi (8) atque Sbigneo Cancellario Cracouiensi nec non Subpincerna Regni .... subcamerario et Stiborio Czoszata ceterisque quamplurimis fidedignis. Notum Curie nostre. Datum in *Sandecz* per manus nostri scriptoris Johannis sub anno domini MCCCXXXVI° in die Blasii .... nonas Februarii.

(7) Qui tabulam descripsit, non bene verba tenoremque privilegii hoc loco intellexit et hanc ob causam signum interrogationis in uncis posuit.

(8) Mala evidenter lectio *Sbigneo* pro *Spicimiro*, qui eodem tempore castellanus Craccoviensis fuit. Conf. supra tabulam N°. LXXXVI. Finis privilegii cum testibus longe alia est in nostro quam in apographo Łepkowscii.

LXXXVIII.

Vlodimiriae — die 20 Januarii 1339 anno.

Georgius Dux Regni Russiae nobili Bartconi de Sandomiria aduocatiam in civitate *Sanok* cum plena potestate et omni jurisdictione confert (1).

In dei nomine amen. Ab humana mundi negotia facilius elabuntur memoria. que nec scripto neque voce testium lucide confirmantur. Ideo necesse est vt res acta digno memorie scripto perhenniter roboretur. Nouerint igitur vniuersi et singuli tam presentes quam futuri quorum audiencie seu visui presens pagina demonstratur. Quod nos Georgius dei gracia dux et heres Regni Russie existentes inbona corporis sospitate et mentis sanitate maturata ac prehabita meraque voluntate dedimus et contulimus fideli nostro seruitori bartkoni de *sandomiria* aduocaciam in *Sanak* (2) nostra Ciuitate super flumen quod dicitur *San* sitam cum plena potestate et omni iurisdiccione Theuthonico iure id est iure Meydeburgensi sibi et suis pueris legitimis heredibusque vniuersis perpetuo iure libere ac hereditarie habendam tenendam et possidendam prout ipsum (sic) ius Meydeburgense viget et tenetur per Ciuitates singulas. omnem hominem iudicandum siue

(1) Ex archetypo membranaceo illustrissimi Leonis Rzyszczewscii proprio descriptum. Non legimus ipsam tabulam et hanc ob causam non possumus quidquid de sigillo et de archetypo etiam enarrare. Privilegium hoc potius ad Codicem diplomaticum Galliciae seu Rutheniae (Russiae rubrae) pertinet, sed illud huc edimus, nam ille Bartko de *Sandomiria* advocatus sanocensis polonus est.

(2) *Sanok* temporibus Reipublicae Polonorum, urbs fuit terrae suae caput in antiquo Rutheniae palatinatu, et hodie etiam urbs, circuli caput in Regno Galliciae. Olim sedes castellani et capitanei cum jurisdictione erat.

sit Theuthonicus. polonus. vngarus et Ruthenus cuiuscunque condicionis et sexus fuerit homo siue status indistrictu confinioque eidem Ciuitati *Sanak* assignato. De pena vero a iudicatis personis cedente duo denarii nobis iure cedere debent. tertius autem denarius ipsi bartkoni et suis posteris ac heredibus debet destinari. Demum dedimus presens dicto bartkoni suisque pueris ac successoribus legitimis presentibus et futuris in ipsa Ciuitate *Sanak* forum et eius circumferenciam omni iure et libertate hereditarie possidendam vt quidquid super ipsam edificare et construere valuerint seu potuerint. pretorium. institas et cameras emptibiles vniuersas. videlicet. pannicidarum institorum. macellorum. sutorum. piscatorum. et ea que ad vsus proprios quiuerint conuertere aut commutare (?) similiterque eidem bartkoni predicto et suis posteris dedimus et contulimus curiam sartorum et balnea cum areis eorundem siue intra ac extra Ciuitatem *Sanak* fuerint situata. Insuper bono spiritu sepius nominato bartkoni suisque successoribus aut pueris legitimis dedimus perpetuo iure atque hereditarie habendum sextum mansum seu laneum inter gades et metas *Sanak* ipsius Ciuitatis scilicet sub spacio dimidii miliaris eius quoque circumferencia superius et inferius ciuitatis prope flumen *San* 1. miliare ad partem dextram totidem in ista parte litoris in qua Ciuitas est locata cum omnibus vsualibus proventibus que sunt et que fieri possunt. . In agris extirpatis et extirpandis. Inpratis. Inpascuis. In Campis. In paludibus. In siluis. et rubetis. In venatione animalium et ferarum cunctarum et omnium auium captura in omni quoque usu et profectu (?) que comparare poterint inter gades et limites prelibatas. Incole vero et subsides in ipsa *Sanak* Ciuitate et extra residentes seu commorantes reliquos mansus vel laneos in confinio iam dicte Ciuitatis colentes et laborantes expirata et consumpta XV annorum libertate de quolicet mansu et laneo XVI grossos soluere tenebuntur census annualis. De ortis vero circum iacentibus Ciuitati tertius denarius eidem bartkoni et suis pueris debet destinari. Insuper sepefato bartkoni et eius progenitis Vniuersis dedimus et contulimus flumen *San* in longitudine dimidii miliaris littore ex utroque superius Ciuitatem ascendendo cum insula minori prope Ciuitatem et omnes fluuios ad

ipsum *San* defluentes in metis prenotatis. et molendinum in *Trebscz* (3) locatum quidquid in eo et in eis vsus siue prouentus facere poterint scilicet molendina piscinas et piscaturas piscium obstaculorum quorumlicet quod Theuthunice *wer* sclauonice vero *jas* nuncupatur. Nihilominus volumus et distinctius mandamus quatenus sub obtenta gracie nostre nullus officialium et ministerialium nostrorum nobilis aut imgnobilis (sic) potens et simplex quidquam habeat agere. iudicare et imperare in dicta Ciuitate. *Sanak* eiusque confiniis in terris aut in aquis contra uoluntatem sepefati bartkonis et suorum heredum ac successorum legitimorum. qui vero secus fecerit nostram se senciat incurrisse indignationem et offensam grauiorem. Sed qua si (?) quando placuerit eidem bartkoni sepius nominato suis heredibus et posteris legitimis casu oportunitatis eueniente pretactam aduocaciam sana- censem cum vniuersis vsibus et prouentibus partim aut in toto vendere proponere exponere aut in alia bona commutare plenissime consentimus. In horum euidenciam presentes conscribi et dependendi nostri sigilli munimine dedimus roboratas. Actum in *lodomiria* (4) sub testimonio uirorum proborum et honestorum videlicet. Johannis dicti Lacta adalberti aduocati de *bochna.* bartholomei aduocati de *warssov.* Johannis brunonis leonis de *Sywicz.* Datum anno domini Millesimo trecentesimo tricesimo nono in die sanctorum fabiani et sebastiani.

(3) Villa est *Trepcza* in antiquo polonico territorio Sanocensi. Conf. librum manuscriptum jam citatum: „Konskrypcya miast" 1676, pag. 498. Fortasse de illa mentio.

(4) *Vlodimiria*, polonice *Włodzimierz* urbs antiquissima, olim Rutheniae meridionalis caput, nunc autem in Wolhynia in imperio Rossiaco, moderno Regno Poloniae proxima. Ab hoc oppido et tota illa regio nomen Lodomeriae acepit, qualem titulum regum Galliciae et Lodomeriae primi Imperatores Austriae sibi usurpaverunt.

LXXXIX.

Sandeciae — 1329 *anno*.

Hedvigis regis Vladislai Loctici vidua, domina Sandecensis et soror ordinis S. Clarae, silvam suam villae *Jakubkowice* proximam, extirpandam Paulo Benedicto Hungaro dedit et ibidem villam cujuslibet linguae et nationis locandam permittit (¹).

Anno Incarnationis 1340 Nobilis vir Dominus Paulus Benedictus Hungarus de *Jakubkowice* ad nostram accedens praesentiam, nobis instantissime supplicavit, ut Privilegium a Matre nostra charissima Regina Poloniae, felicis recordationis, super quoddam oppidum datum et obtentum, dignaremur confirmare. Cujus Privilegii de verbo ad verbum tenor erat talis:

In nomine Domini Amen. Quoniam quae temporaliter geruntur, ex humana memoria cito elabuntur, nisi solemni titulo literarum et Testium annotatione roborentur; igitur noverint tam praesentes quam futuri, quod Nos Hedvigis Dei gratia Regina Poloniae et specialis Domina hereditaria, Domina Terrae Sandecensis, Sororque Ordinis S. Clarae, cupiens in Nostra Terra de nemoribus et sylvis fructus uberiores ampliare et inde fructum augere, quandam sylvam villae dictae *Jakubkowice,* a fluvio dicto *Łososina* sursum tendentes versus *Thangoborza* usque ad metas rivulorum super montem praedictum emanantium, Nostra de libera voluntate conferimus ac condonamus, ut haeredes ejusdem dictae villae *Jakubkowice* cum suis adjacentiis jure haereditario pertinentibus exstirpare (sic!), jure Theu-

(¹) Apographon habuimus a Josepho Łepkowscio descriptum ex quodam Tabulario Galliciensi. Conferas lector benevole hoc nostrum privilegium cum erectione ecclesiae in villa *Jakubkowice* jam supra sub Nº. LXXXIV edita, et ibidem etiam invenies loca huc memorata. Privilegium, uti apparet, insertum est tabulae Casimiri Magni regis.

tonico atque Jure Magdeburgensi per ipsum Paulum Benedictum fundatorem aut suos posteros legitimos locare in suburbio ejusdem oppidi et villae *Vrocimirowa* in praedicta sylva, et villae *Jakubkowice* et *Vrocimirowa* jure haereditario ad praefatum Paulum Hungarum pertinere dignoscuntur. Ad quem nostra beneficia habuimus, studiosum et attentum et in hactenus et in posterum ut haberemus eum hilariorem, donamus eidem Paulo Benedicto Hungaro ac suis successoribus perpetualiter nostra mera de voluntate, ut ibidem ad praedictae sylvae extirpationem possint ac debeant cujuslibet linguae ac nationis homines conveniri, omni contradictione semota, ac ibidem oppidum in suburbio locare, construere et acdificare, pro se quam suis successoribus ligitimis retinere, seu cuilibet alteri concedere, condonare, vendere, seu quolibet modo, jure sub eodem Theutonico alienare, ordinare; quod saepedictus Paulus Hungarus et sui legitimi successores molendina quotquot fuerint opportuna, mensus panum, sutorum atque macella carnificum et tabernas similiter aedificare, locare et construere, jure sub eodem praefato; oppidanos autem et suburbanos praefati oppidi nec non villae *Vrocimirowa* volumus esse supportatos ab omni jure Polonicali et ab auctoritate Castellanorum, Judicum ac aliorum Officialium, et ab omnibus angariis, quae solent per praefatos Officiales exerceri, non debeant seu teneantur praedicti oppidani et suburbani aut Coloni in *Vrocimirowa* pro quacunque causa seu delicto ac furto vel homicidio, nisi coram suo herede vel ejus advocato per eundem constituto respondere; et ut memorata sylva plenius posset extirpari, iisdem, qui ibidem suam struxerint mansionem, viginti annis omnimodam concedimus libertatem, qua libertate elapsa, solis Dominis saepe dictis oppidani et coloni censum reddere seu dare tenebuntur, juxta consuetudinem oppidi *Bobowa* (²). Et coloni similiter, quemadmodum in aliis villis, sub quorumvis potestate constitutis foris dies in dicto oppido singulis feriis secundis in perpetuum obseruantur (sic) imponimus sive statuimus; et nihilominus ad petita et supplicationes Majestatis Reginae Poloniae et aliorum Dominorum atque Ba-

(²) *Bobowa* oppidum regionis Biecensis a. 1676.

ronum nostrorum, praefato Paulo Hungaro suisque legitimis successoribus pro aedificatione per dictum flumen *Łososina* pontis desolati, reformationis viarum periculosarum, concedimus, statuimus saepedicto Domino Paulo Hungaro theloneum in dicto oppido esse recipiendum a quolibet equo, curru, in quo mercimonia ducuntur versus Hungariam, *Sandeciam* utramque, *Lipniciam* (³), *Varschoviam* (⁴), *Cracoviam*, per quatuor denarios communis monetae polonicalis. Acta haec sunt in *Sandecz* A. D. M. CCC. trigesimo nono, coram his testibus, scilicet: Spicimiro Castellano Cracoviensi, Domino Przybyslao Subjudice Cracoviensi, Domino Egidio Pincerna, Domino Andrea Subdapifero, Domino Streschone Procuratore Nostro, et aliis pluribus fidedignis. Datum per manus Joannis Scriptoris in Octava SS. Petri et Pauli Apostolorum.

Nosque ipsius precibus satisfacere volentes, in perpetuum Privilegium in omnibus punctis, clausulis universis, quas cum Regalis nostri Sigilli appensione praesentibus confirmamus. Actum *Cracoviae* feria secunda proxima post festum S. Michaelis. Anno Domini M. CCC. quadragesimo, praesentibus his testibus: Ottone Cancellario Poloniae, Pełka Castellano Sandecensi et Egidio Pincerna, Joanne Venatore Cracoviensi et Laurentio de *Socolna* scribarum Procuratore Sandecensi, et aliis multis fidedignis. Datum per manus Domini Zbignei Cancellarii, Praepositi Cracoviensis (⁵).

(³) *Lipnica* oppidum hodie in Regno Galliciae.

(⁴) *Varschovia*, *Varsovia*, *Warszawa* polonice, hodie caput Regni, jam haud dubio his temporibus urbs celebris fuit, quum in privilegiis de illa sit mentio. Eodem anno 1339 judices et inquisitores sedis apostolicae delegati causam auspiciis Benedicti XII, inter Casimirum magnum regem Poloniae et ordinem Cruciferorum Varsoviae peragebant. Hujus causae habemus acta id est libros et regestra a Joanne Długossio illustrissimo rerum patriae gestarum scriptore collecta, et ab doctissimo comite Tito Działyńscio de *Kurnik* (in Magno Ducatu Posnaniensi) ad fidem codicis membranacei bibliothecae Kurnicensis praeclare edita in opere cui titulus: „Lites ac res gestae inter Polonos ordinemque Cruciferorum." Sunt jam tomi duo.

(⁵) Ultima verba privilegii sequuntur „Acta in *Cachow* feria secunda proxima post festum S. Joannis Baptistae Anno Domini Millesimo Quingentesimo vicesimo. Coram me Krajewski Notario." Sunt-ne haec verba praelatorum, qui visitaverunt ecclesiam Jakubkowicensem? estne hic annus 1520, annus visitationis ecclesiae? nescimus. Unus Łepkowski potuit nos de hac re certiores facere et non fecit.

XC.

Cracoviae — die 11 Junii 1339 anno.

Fulco castellanus Sieciechoviensis una cum consorte Margaretha coram rege Casimiro magno filiae suae conjugi Niemirae de *Gotcza* omnes haereditates suas, ab avis et proavis acceptas, in perpetuum possidendas donant (1).

In Nomine Domini Amen. Ne res gestas coram magnificencia Regum aboleat processus temporum, oportunum est, ut eas roboret sollempnis tytulus literarum. Eapropter Nos Kazimirus Dei gracia Rex polonie, universorum Noticie, tam presencium quam futurorum presentibus declaramus, Quod venientes ad nostram nostrorumque Baronum presenciam Vir Nobilis Pełka Castellanus Seczechoviensis (2), una cum sua consorte, Domina Margareta, pari consensu et unanimi voluntate, sani mente et corpore existentes, non compulsi nec coacti, sed de bona et matura deliberacione suorum animorum (sic), volentes pocius proprio sanguini favere, quam aligeno, motique visceribus caritatis, sue filie uterine Coniugi Nemerze de *Gotcza,* domine Czudcze, omnes hereditates ipsorum, iste que ipsum ex successione Paternali contingebant, videlicet: *Sochow, Wola, Tarnowecz,* cum duabus villis: *Tarnovecz* similiter vocatis, cum Castro, *Scitniki,*

(1) Tabulam hanc habuimus in apographo a Josepho Łepkowscio descriptam. Exemplar authenticum membranaceum in Tabulario Tarnoviensi hodie asservatur, quod in Gallicia. Sigillum deest, funiculorum tantum reliquiae videntur. In dorso privilegii titulus polonice scriptus sequens: „Pełka Castellan Szeczechowski z Żoną sswą Małgorzatą Czorcze swey Czudcze Niemierzynei, *Zoczow, Tharnowiec, Grussow* ets darowali na wiecznosscz 1339."

(2) Incerti sumus de quali urbe huc mentio sit? *Sieciechów,* latine *Sieciechovia* urbs est hodie parva territorii Radomiensis, regionis vero Kozienicensis in Regno Poloniae. Monasterium ordinis Benedictinorum Sieciechoviae olim fuit a Boleslao Magno, Chrobry dicto, fundatum (hodie suppressum). Sed castellanos Sieciechovienses, nunquam in privilegiis legimus. Villae huc memoratae omnes haud dubio in Gallicia inveniuntur.

Grusow, Barzisow vulgariter dictis, et illam hereditatem dotaliciam, videlicet *Sobossow* sic nuncupatam, secundum quod in suis metis et terminis circumferencialiter sunt distincte sive limitate, cum omnibus utilitatibus, usibus, fructibus, et universis pertinenciis ad eandem spectantibus, ac toto Dominio post mortem suam a se et a suis omnibus propinquis libere dederunt, ac coram nobis resignarunt eidem domine Czudcze uxori Nemerze et suis progenitis legitimis in perpetuum tenendas, possidendas et habendas, donandas, vendendas, commutandas, pro suaque et suorum posterorum voluntate convertendas, iuxtaque sibi et suis posteris videbitur utilius expedire, pro quo nobis ex utraque parte preces multimodas obtulerunt, ut hoc quod inter ipsos lucide exstitit ordinatum sive factum, nostro Regio consensu et assensu dignaremur confirmare. Nos igitur precibus ipsorum benignius inclinati, resignacionem illorum et suscepcionem istius ratam et gratam habentes, presentibus confirmamus, dantes prefate Domine Czudcze et suis progenitis presentem literam roboratam nostro sigillo Regali in testimonium et robur perpetue firmitatis. Actum in *Cracovia,* feria secunda in Octavis Corporis Christi. Anno Domini M. CCC. XXX° Nono. Presentibus hijs Nobilibus nostris: Petro Castellano Sandomiriensi, Floriano Cancellario Lanciciensi, Jascone Castellano de *Polanecz,* Thoma Castellano Beyczensi ([3]), Jascone Subcamerario ([4]), Pribcone Subiudice Cracoviensibus. Datum per manus Domini Segnei Prepositi sancti Michaelis in Castro Cracoviensi et Vicecancellarii Curie nostre.

([3]) Fortasse castellanus Biecensis, *Biecz* oppidum in Gallicia, (confer. hujus Tomi privilegii praemssi N°. XXII).

([4]) Jasko Jura subcamerarius Cracoviensis legitur in nostro Codice T. II, fol. 690, sub a. 1344. Joannes hic dictus etiam Skóra legitur sub a. 1340 in privilegio exarato Leopoli (conf. opus „Dodatek tygodniowy do Gazety Lwowskiéj," anni 1853 N°. 58).

XCI.

Cracoviae — die 8 Octobris 1339 anno.

Dirsco canonicus Cracoviensis se causa, quam habuerat cum monasterio Sczyrzycensi ratione decimarum aliorumque proventuum ex villis *Krzyszkowice* **et** *Mogilany*, **abdicavit** (1).

In Nomine Domini, Amen: Sub anno Nativitatis eiusdem Millesimo trecentesimo tricèsimo nono, VIII Idus Octobris, hora V vesperum. In domo habitationis Honorabilis viri Domini Nicolai Officialis Cracoviensis et Plebani ecclesie sancti Stephani, in *Cracovia,* in stuba ipsius, in presencia mei notarii infrascripti et testium subscriptorum ad hoc vocatorum specialiter et rogatorum. Veniens ad presenciam dicti Domini Officialis Cracoviensis Honorabilis vir dominus Diezco Canonicus Cracoviensis ecclesie, non coactus, non compulsus, sed de bona ac matura deliberacione, habitoque consilio sapientum, ac venerabilis in Christo Patris et domini, domini Johannis (2) divina et apostolice sedis providencia Episcopi Cracoviensis, ut idem Dirzek asseruit, cessit liti publice, quam habuit et movit Venerabili viro Domino Abbati de *Cziricz* ac suo conventui pro decima post aratrum seu araturas agrorum ipsorum, ubicunque araret propro aratro vel aratris, convocacione kmetonum, que dicitur *Povaba* vel etiam *Thlaca* (?) et quicunque agri arantur pro monasterio predicto, in villis dicti monasterii in *Crziskowicze* (3) et *Mogilani* decimam ad Prebendam suam predictam Cracoviensem non pertinere, licet habeat decimam post

(1) Doctissimus Josephus Łepkowski descripsit apographon hoc ex quodam Tabulario in Gallicia asservato.

(2) Joannes dictus Grot, stemmatis Rawicz, episcopus (1326—1347).

(3) De villa *Krzyszkowice* dicta conf. hujus Tomi privilegia praemussi ad N°. XVII et XXIX.

Kmethones tunc temporis villarum predictarum tamen omni sic de iure et presertim ex consuetudine terre Cracoviensis, quod ubicunque aratur pro monasterio proprijs sumptibus, decima non pertinet nec transit in *Gonitvam,* sed pro monasterio eodem; unde cedo liti predicte, et renuncio omnibus exceptionibus iuris vel facti, et omnibus aliis innovacionibus seu allegacionibus quomodocunque, quocunque modo vel nomine censeantur, et nolo contravenire per me, vel per alium vel alios, contra premissa vel aliquod premissorum, publice et oculte; super quibus omnibus sic gestis ibidem astans Religiosus vir frater dominus Johannes procurator dicti monasterii, petivit dictam cessionem litis in publicam formam redigi. Actum et datum anno, mense, loco et hora quibus supra. Presentibus Discretis viris Dominis: Johanne Plebano de *Secechovicz* (4), Allexio vicario ecclesie kathedralis Cracoviensis, Nicolao, Ermanno (?) et Leonardo (?) vicariis ecclesie sancti Stephani, Petro vicario de sancto Floriano, et Radmiro notario publico, ac aliis multis. In cuius rei testimonium predictus dominus officialis duxit sigillum suum presentibus apponendum ad euidenciam meliorem ac firmitatem pleniorem.

Et Ego Mathias quondam Voyslai de *Svescovicz* (?) Clericus Cracoviensis dyoceseos publicus imperiali auctoritate notarius premissis omnibus et singulis una cum prenunciatis testibus presens interfui, et ea in hanc publicam formam redegi, sigillumque meum consuetum apposui rogatus, in testimonium premissorum.

(4) *Sieciechowice* villa est territorii et regionis Ilcussiensis, suae parochiae caput in Regno Poloniae.

XCII.

Grybów — 15 *Maji* 1340 *anno.*

Casimirus Magnus rex Poloniae Antonio civi Sandecensi oppidum novum germanice *Grynberg* dictum, locandum permittit (¹).

In Nomine Domini. Amen. Cunctorum perit prolixitate temporum memoria factorum, nisi fuerint scriptum authentica et testimonio fide digno memoriae commendata. Hinc est, quod Nos Casimirus Dei Gratia Rex Poloniae, proventus nostri regni augmentare cupientes, et tempore insultus, nostros pauperes saltem in tempore ab inimicis conservare, viro provido et honesto Antonio civi Sandecensi, quondam filio Joannis divitis, locatori villarum super fluvium dictum *Biała* in vulgari, in se centum quinquaginta mansos franconicos continentium, intra limites villarum jam dictarum, indulsimus et mandavimus civitatem jure Magdeburgensi facere et collocare; ratione cujus collocationis ob ipsius Antonii fidelia servitia, quae in hac locatione Nobis impendit, non parcendo laboribus et expensis, in recompensam eorundem laborum et expensarum, jam dicto Antonio et per cum suis genitoribus atque veris haeredibus in praedicta civitate, cujus nomen sit *Grynberk* (²), advocatiam cum pleno jure Magdeburgensi liberaliter condonamus; cui, inquam, advocatiae adjungimus quatuor mansos ex

(¹) Apographon hujus privilegii etiam a Josepho Łepkowscio habemus, qui illud ex libris manuscriptis officii consularis oppidi *Grybów* in Gallicia descripsit. Cujus rei testimonium in apographo Łepkowscii sequens legitur: „Ex originali de verbo ad verbum transsumptum et excerptum de consensu officii Consularis Greboviensis. Paulus Niebielski rajca Grebowski, Jan Pająkowicz civis Greboviensis. Locus X. sigilli civitatis Grebov."

(²) *Grünberg* Casimiri Magni hodie est oppidum *Grybów*, situm in antiqua regione Biecensi, nunc vero Sandecensi in Gallicia. Res gestas hujus oppidi et capitaneatus Gry-

praedictis centum quinquaginta mansis, molendina quotquot construere poterit cum piscinis, stubam balnealem una cum duabus cameris pannorum et institutorum, macellis, mensis panum, et sutorum mensis, mactatorio quod Butglow theutonice dicitur et nuncupatur, rota vel rotis pro pannis contundendis, etiam singulis utilitatibus, quas facere et excogitare poterit praedicto jure Magdeburgensi permittentes. Quae omnia et singula debent esse libera et a qualibet pensione penitus absoluta. Et statuimus quod jam in dicta civitate die Sabbathi debeat esse Forum pro emptione et venditione omnium rerum hominibus, cujuscunque conditionis vel linguae fuerint et existant. Propterea volumus et statuimus, ut nullus Palatinorum, Castellanorum et quodlibet judicium Nostri regni, nec cives, nec villanos circumsedentes civitatem, pro quacunque causa seu causis debeat judicare, nisi advocatus supradictus et sui successores, et non alio jure, nisi Theutonico Magdeburgensi supradicto. Advocatus etiam supradictus et sui successores coram nullo judice, qui pro tempore fuerit, nullatenus respondebit, nisi tantum coram Nobis stabit, et non aliter de se quaerulantibus respondebit, nisi suo jure Theutonico Magdeburgensi. Et ut eandem civitatem melius idem Advocatus valeat collocare; omnibus et singulis ipsam inhabitantibus et villas circumsedentibus, a solutione census et a qualibet contributione, a data presentium per quindecim annos concedimus omnimodam libertatem; qua expirante, de quolibet laneo per decem scotos monetae in regno Nostro currentis, in festo Beati Martini Nobis solvere

bowiensis scripsit doctissimus Alexander Stadnicki et easdem in opere quod singulis mensibus Varsoviae prodit, vulgo „Biblioteka Warszawska" dicto, typis mandavit (julius et augustus a. 1855, id est, ejusdem anni T. III, p. 178 et seqq.). Dissertatio haec non parvi est momenti. Falso tamen Stadnicki civem sandecensem cui locatio a rege Casimiro permissa est, Hankonem Divitem polonice *Bogacz* dictum appellavit, nam ex ipso tenore privilegii nostri scimus, Antonium filium Joannis, non Joannem scultetum Grynbergensem a rege nominatum fuisse. Antonium hunc tabula nostra „locatorem villarum super fluvium dictum *Biala*" appellat. Stadnicki novit hoc nostrum anni 1340 privilegium quod ex ejus dissertatione patet. Nomen urbis *Grynberg* brevi tempore ipse rex Casimirus permutavit in modum polonicum nam in alio privilegio a. 1365 eidem urbi dato, jam his verbis de oppido Grynberg rex usus est: „Grybow vulgariter nuncupatae," teste Stadniccio, (vide Bibl. Warsz. 1855, III, 179).

tenebuntur; pro Advocato et ejus haeredibus semper sexto denario census, et judicio pro Nobis duobus denariis, et advocato tertio reservatis. Caeterem volumus et mandamus advocato jam dicto, ut pro pascendis pecoribus excipiat tot mansos, quod necesse fuerit et consonum. Caeterum voltumus, ut Ecclesia ibidem habeat duos mansos, quos liberos esse volumus, nostrae salutis ob respectum et progenitorum Nostrorum. Jus patronatus pro Nobis ac haeredibus Nostris reservamus. Promittimus itidem praesenti Privilegio et spondemus, quod cives ejusdem civitatis et incolae eidem civitati adjacentes, de praedictis mansis non solvent decimam manipularem nec campestrem, sed de quolibet manso solvent monetae usualis scotonem, praedicta duntaxat libertate expirante. Praeterea volumus et statuimus, ut expirata jam dicta libertate, advocatus memoratus et sui haeredes Nobis et Nostris successoribus, ad quamlibet expeditionem in defensionem Nostri regni, cum tribus famulis, armis bellicis bene dispositis, quomodo necesse fuerit, paratus esse teneatur. Idem volumus et statuimus, ut cives jam dictae civitatis, una cum ipsorum advocato, durante praedicta libertate, a solutione thelonei in *Cracow* et in *Ryther* ab equis et universis mercibus ineundo et redeundo sint liberi et penitus absoluti. In quorum omnium testimonium et evidentiam firmiorem praesentes dari fecimus, Nostri Sigilli mumimine roboratas. Actum *Cracoviae* in octava Beati Stanislai, Anno Domini Millesimo trecentesimo quadragesimo. Praesentibus his: Spiczymierz Castellano, Mstygneo Palatino Cracoviensi, Henrico Succamerario, Wilczkone Subdapifero Sandomiriensi, Sbigneo Vice-Cancellario curiae Nostrae et Praeposito Sancti Michaelis, et aliis multis fide dignis. Datum per manus Domini Sbignei Canonici et Praepositi Crac.

XCIII.

Cracoviae — 17 Martii 1343 anno.

Casimirus Magnus Rex Cives Sandomirienses a solvendo Visliciensi Castellano theloneo liberat (¹).

In nomine domini Amen. Licet acta coram Regibus contractuum humanorum satis firma dinoscuntur, ne tamen ab integritate sua fluctuentur, sumunt vi scripti perpetuum incrementum. Proinde nos Cazimirus dei gratia Rex Poloniae Recognoscimus uniuersis tenore praesentium potituris. Quod cum nostram nostrorumque Baronum vicibus quam plurimis accedentes praesentiam fideles nostrj Ciues Sandomirienses constanter posuerunt, Quomodo a multis retroactis temporibus immo nunquam soluissent Theloneum in *Wislicia* (²) Wisliciensi Castellano, quod nomine suae Castellaniae ab alijs sibi cedit, sed semper quieti ab eo cum suis mercibus et rebus quibuscumque huc et illac (sic), quoties eis opportunum fuerat transierunt. Igitur nobis per Barthconem Conciuem suum Sandomiriensem communiter omnes humili voce supplicauerunt. Ut hoc eorum iure viso, et ex certa relatione Baronum cognito, in perpetuam rei memoriam, literam nostram Regalem eis dare dignaremur. Nos autem quamvis satis credibiles positionibus eorum constantibus, et Militum nostrorum Spicimiri videlicet Castellani Cracoviensis (³), qui ante fuerat Wisliciensis Castellanus Nec non Adae de *Xięze,* olim etiam Castellani Wisli-

(¹) Doctissimus Antonius Muczkowski descripsit apographon hoc ex libris manu scriptis Tabularii publici Regni Poloniae „Metryki koronne" dictis, vol. 93, pag. 323 et seqq.

(²) *Wiślicia* urbs, jam non semel in hoc Codice laudata, Stobnicensis est territorii et regionis, in Regno moderno Poloniae.

(³) Spicimirus hic, stemmatis Leliwa, de quo legas in privilegio a. 1350 infra typis exarato, haud dubio castellanus Wiśliciensis fuit annis 1318—1319. Series igitur castellanorum Wiśliciensium sequens iisdem temporibus fuit:

1°. *Alexander* legitur ap. Helcelium „o klasztorze Jędrzejowskim" pag. 73 et 106, sub anno 1306 mese Septembri.

2°. *Petrus* castellanus Decembri 1316 etiam ap. Helcelium l. c. pag. 73.

ciensis super his attestationibus publicis et sufficientibus, Tamen ne quicpiam posthec possit orirj inter ipsos Ciues et Wisliciensem Castellanum in hac caussa, in praesentia testium subscriptorum, militem nostrum Andream Wisliciensem Castellanum admonuimus, ut quidquid haberet contra haec proferret. Ipse vero sanus mente et corpore respondit publice dicens: Ex quo mei antecessores hoc theloneum nunquam perceperunt, ut manifeste iam apparet, Ego etiam istis attestationibus, in nullo volo contraire, sed potius pro salute mea immunis ab hoc esse. Sicque nos Juri Sandomiriensium, et iustitiae contraire nequientes, judiciali decreto eos, et eorum quemquam, a solutione et debito Thelonei Castellaniae Wisliciensi imperpetuum censuimus esse liberos et immunes. Dantes eis hanc literam munitam nostro Regali insignio in robur omnium praemissorum. Actum *Cracouiae* feria secunda, dominicae Oculi, Anno domini Millesimo Trecentesimo quadragesimo tertio. Praesentibus his Nobilibus nostris dicto Spicimirio Cracouiensi Castellano Petro Praeposito Ecclesiae beati Florianj, Hermano Procuratore generalj, Clemente Gladifero, Petro Tribuno Cracouiensibus, Wilczkone Subdapifero Sandomiriensi, et alijs multis fide dignis. Datum per manus domini Zbignei Cancellarij nostri Cracoviensis.

3°. *Florianus* castellanus, mense Augusto 1317, apud Joannem Vinc. Bandtkie „Jus Culmense" pag. 305.

4°. *Spytko* id est *Spicimirus* ille noster, fortasse annis 1318—19, uti supra, nam postea jam a. 1320 mense Julio apud Szczygielscium legitur palatinus Cracoviensis. Tomislaus palatinus Cracoviensis praedecessor ejus vixit etiam a. 1318, conf. Codicis nostri tomi 2-di, tabulam ad N°. CCXXVIII praemissam et Helcelium l. c. pag. 43. Spicimirus vero ille jam a. 1330 in privilegiis legitur castellanus Cracoviensis. Conf. tabulam hujus tomi ad N°. LXXVI praemissam; in illa legimus Spicimirum castellanum Sandedensem, id est Sandecensem, mense Julio 1317. Fortasse et hic Spicimirus cum nostro unam personam faciunt. Florianus igitur fortasse successor castellaniae Wiślicensis post Spicimirum fuit.

5°. *Adamko* castellanus mense Februario 1324 ap. Nakielscium in „Miechovia," et Adam, mense Majo 1331 ibidem. Ex nostra tabula scimus, illum haeredem villae *Xiąż* fuisse; urbs vero *Xiąż Wielki* et villa *Xiąż Mały* in regione Miechoviensi hodie inveniuntur. Sed ibidem locorum in antiquo Cracoviensi palatinatu multae aliae sunt villae ejusdem vel similis nominis, uti *Xiążnice*, *Xiążnice male* et *Xiążnice wielkie*, *Xiążnicski* etc. Haud dubio Adam qualemcumque villarum earum uti haeres, possidebat; castellaniam vero, uti ex tabula hac nostra scimus, resignavit, quo anno? nescimus.

6°. *Andreas* castellanus in nostro diplomate legitur, a. 1343.

XCIV.

Cracoviae—sine mense 1344 anno.

Casimirus Magnus rex Poloniae, a Nicolao advocato Sandecensi rogatus, privilegia advocatiae ipsius a Venceslao rege Bohemiae et Vladislao Loctico concessa, rata esse jubet (1).

(1) (Legas privilegium hoc Casimiri in annotatione prima tabulae ad N°. LXVII praemissae, pag. 155 et seqq.).

XCV.

Cracoviae — 11 Maji 1344 anno.

Casimirus Magnus rex Poloniae, a comite Spicimiro castellano Cracoviensi rogatus, omnia privilegia et jura urbis Tarnoviae et villarum adjacentium innovat et confirmat easque jure teutonico locandas permittit (1).

In Nomine domini. Amen. Que deivera deliberacione Regie Magestatis tam in donacionibus, quam Juribus et confirmacionibus quibuslibet ob fidelia servicia neve (sic) grata cuipiam benignius conferuntur, testium amminiculo apicibusque literarum fulciuntur, ut sui robur optineant perpetue firmitatis inconvulsum. Nos igitur Kazimirus dei gracia Rex Polonie, necnon terrarum Cracovie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Cuyavie Pomeranieque dominus et heres, notum facimus singulis et Universis tam presentibus quam futuris, pre-

(1) Ex archetypo membranaceo Tabularii illustrissimorum Tarnowsciorum proprio tabula haec descripta a Josepho Łepkowscio. Funiculis viridis coloris et rubri, sigillum majestaticum Casimiri regis appensum est, uti Łepkowski nos docet. In altera parte tabulae, sequentia polonica verba: „Potwierdzenie Krola Kazimirza Spiczymirowi Hrabi Przywileiow na Tharnow y Wsi do niego należących z nadaniem prawa Maideburskiego."

senciam continenciam inspecturis, Quod veniens ad presenciam nostram Generosus vir et famosus Comes Spicimirus Castellanus noster Cracoviensis, nobis dilectus et fidelis, quedam privilegia Serenissimorum Principum Bolezlai et Lestconis dei gracia Illustrium Ducum Cracoviensium et Sandomiriensium terrarum, necnon Excellentissimi Principis Wladislai per eandem graciam Regis Polonie nostri dilectissimi Genitoris, felicis recordacionis nostrorum Predecessorum, exhibuit coram nobis et Baronibus nostris inferius annotatis, super quibusdam suis hereditatibus infrascriptis, quas per commutacionem, empcionem et donacionem legitime, racionabiliter atque iuste est adeptus, primo, videlicet, super *Tharnow* (2) Civitate et Villis eidem adiacentibus, scilicet: *Skrissow* (3), *Lancavicza, Sonwald* sive *Mnych, Podgrodze* et *Keyzerswald* wlgariter vocitatis, que ville ac locus, in quo dicta Civitas est locata semper ab inicio fuere militales, quas quidem dictus Castellanus per commutacionem sufficientem atque iuste extitit assecutus, ita integraliter atque plene, seu in ambitu suo circumferencialiter ipse continentur ab antiquo, quas etiam premissus Princeps Wladislaus Genitor noster dilectissimus eidem perpetuo confirmavit, Jus Thewthonicum conferendo; Item super *Cobilniki,* Villa ita dicta, quam similiter per commutacionem legitimam dinoscitur possidere, que in duas villulas eiusdem vocabuli est divisa. Insuper alia Privilegia ostendit: super *Pomanovavola* (4) et *Brzezowecz* et *Jassen* (5), que sunt omnes tanquam una villa intra gades seu terminos unos et eosdem. Item super *Porambam* (6) et *Okochin* wlgari famine (??) taliter nuncupatas, quas per commutacionem et empcionem acquisivit, ita integraliter atque plene, sicuti in suis terminis sive gadibus circumferencialiter sunt distincte. Ceterum alia Privi-

(2) De *Tarnovia* legas tabulam ad N°. LXXXI, de villa autem *Tarnowiec*, de magno et parvo *Tarnow* tabulam ad N°. LXXXII praemissam.

(3) *Skrzyszow* et *Łękawica* fortasse villae parochiales in Pilzniensi regione (conf. Konskrypcya miast, etc.).

(4) Conf. annotationem 4-tam tabulae ad N°. LX praemissae.

(5) Legas tabulae praemissae N°. LVIII annotationem 8-m, hujus Tomi pag. 129.

(6) De locatione villae *Poremba* dictae legas in annotatione 1-a privilegii ad N°. LXI praemissi, tomi hujus pag. 135.

legia ostendit super *Zábno* (*) et *Thárnowecz* parva, Villas communiter dictas, quas ex donacione largiflua prenominati Regis Patris nostri Reverendi legitime ac luculencius extitit consecutus, ita plenarie et ex toto, prout eedem in suis terminis circumferenciis, Juribus et Pertinencijs quibuslibet spectantibus ad easdem fuerunt temporibus ab antiquis que inquam omnia supradicta patrata fuere, ordinata sive gesta, quam in commutationibus et empcionibus, tam in donacionibus de voluntate gratuita, favore, prout et assensu eiusdem Regis nostri Patris predilecti, ac etiam clarius confirmata, quemadmodum in Privilegijs ipsius prelibatis, nobis per dictum Castellanum exhibitis ut prefertur luculentissime, ac expresse continetur, Cumque dicta Privilegia per examinacionem sufficientem, fore cognovissemus firma, valencia, decencia atque iusta, eadem rata grata penitus habentes et firma, ob fidelia servicia et utilia per dictum Castellanum constanter, fideliter ac utiliter crebrius exhibita Dulcissimo Patri nostro premisso atque nobis, ac in posterum opitulamine inpendenda cum divino, ut merita vicissitudine meritorum se gaudeant repensari, quodque ceteri eodem exemplo ad similia excitentur, eiusdem supplicacionibus benigniter acclinati, sepius dicta Privilegia Innovamus, ratificamus, comprobamus et presenti nostre Maiestatis Regie Privilegio, perpetuo valitura, necnon duratura graciosius confirmamus, una cum Civitate ac villlis omnibus prenominatis iam dicto Castellano, ipsiusque liberis ac succedaneis universis Jure hereditario in perpetuum possidenda et habenda, ita integraliter, ex toto atque plene, quemadmodum eedem hereditates in suis terminis gadibusque circumferencijs et Juribus quibuslibet fuerunt temporibus ab antiquis, retroactis et primevis, ac etiam convertenda seu alienanda, secundum quod ipsorum beneplacito Voluntatis melius ac utilius videbitur expedire. Preterea innovamus, damus ac etiam confirmamus de gracia nostra speciali Jus Thewthonicum hereditatibus omnibus memoratis,

(*) *Żabno;* parochia *Żabno Laskowska* et in eadem villa *Żabno* leguntur sub a. 1676 in libro manu scripto: „Konskrypcya miast," etc. in regione Pilzniensi, quae hodie in Regno Galliciae invenitur.

Eximentes ipsas et Sculte̓tos ac Incolas seu Kmethones earundem ab omni potestate et Juridicione Castellanorum et Palatinorum omnium, Judicum, Subiudicum Officialiumque ipsorum. Absolvimusque sepefatas villas et omnes incolas earundem ab omnibus angarijs et consuetudinibus Polonicalibus quibuscunque nominibus censeantur, que frequencius Jus Thewthonicum predictum consueverunt perturbare. In quorum omnium testimonium atque robur perpetuo valiturum presentes conscribi fecimus atque dari, nostri sigilli appensione vigorantes. Actum in *Cracovia,* in Claustro fratrum Minorum, feria diebus Rogationum. Anno Domini M°. CCC°. XL°. quarto. Presentibus Baronibus nostris Comitibus Mstugio Sandomiriensi, Imramo (?) Cracoviensi Palatinis, Sbigneo Preposito et Cancellario Cracoviensi, Petro Nosal Sandomiriensi, Andrea Wisliciensi Castellanis, Johanne Judice Cracoviensi, ceterisque pluribus fidedignis. Datum per manus domini Petri Prepositi Sancti Floriani et Vicecancellarij Curie nostre. Scriptum autem per manus Pribislai nostri Notarii.

XCVI.

Tineciae — 1345 *anno.*

Henricus abbas Tinecensis, fratribus consentientibus, scultetiam in villa *Zborowice* Petro de *Lipnik* vendit (¹).

In nomine Domini Amen. Quoniam ab humana memoria res gestae annorum revolutione continua et temporum vicissitudine de facili prolabuntur, Quare non improvide est inventum, ut hebeti memoriae hominum scripturarum testimonys prout est possibile succurratur. Hinc est quod nos Henricus (²) Dei et Apostolicae Sedis pro-

(¹) Apographon à Łepkowscio habuimus.
(²) Henricus secundum Szczygielscium, ejus nominis secundus ab a. 1349—1354, abbas Tinecensis fuit. Praedecessores ejus vero fuerunt: Bogussius, sive Bogusz qui mortuus est anno 1349 et Silvester 1345—9 quem secutus est noster Henricus.

videntia Abbas Monastery Tynicensis Ordinis S. Benedicti totusque Conventus eiusdem Ecclesiae Reformationi ipsius Monastery non modicum intendentes, de consilio proborum virorum Fratrum nostrorum vendidimus Scultetiam in villa nostra *Zborowice* dicta Discreto viro Petro Sculteto de *Lipnik* pro XL marcis grossorum monetae usualis sibi ac suis posteris perpetuo possidendam. In qua scilicet villa donamus eidem Petro ac suis pueris duos mansos liberos, Tabernam construendam, piscinam, molendinum, macellum panis, carnium unum et unum sutorum, piscationes liberas ac venationes, sextum denarium de censu et tertium de iudicio cum omnibus libertatibus, quas habere solent aly Sculteti huius Regni secundum Jus Maydeburgense et communem consuetudinem aliorum nostrorum Scultetorum. Concedimus insuper incolis eiusdem villae de cultis agris trium annorum, de silva vero XX. annorum libertatem, post quorum revolutionem de quolibet manso VIII Scotos dare tenebuntur, pro decima vero a primo anno usque ad vicesimum de cultis agris pariter cum rubetis mansuatis (sic) de singulis mansis per fertonem nobis dabunt. Post decursum vero XX. annorum et expirata libertate et mansuata haereditate saepedicta, de quolibet laneo ut supradictum est per octo scotos pro censu et pro decima fertones nobis dare sunt astricti. Ceterum tria prandia in anno quolibet et honores in Christi nativitate et in Pascha secundum consuetudinem per unum grossum de manso quolibet nobis dabunt. Damus etiam eisdem pro pascuis unum mansum et ad Ecclesiam ibidem construendam pro nostra salute unum mansum. Donamus insuper saepedicto Petro ac ipsius posteris plenam libertatem vendendi, alienandi, exponendi et commutandi praedictam Scultetiam quoties voluerit, nostro tamen cum assensu. Insuper Scultetus saepedictus armatus servire tenebitur nostrum ad mandatum. Ad nostram vero Curiam duos mansos pro nobis reservamus. Ceterum si pro nostri Monastery utilitatibus nos contigerit in futurum aliqua construere vel aedificare, nolumus nobis supradicta praeiudicare. Et ut haec omnia et singula perpetua maneant stabilitate firmata, nec a quolibet Successorum nostrorum valeant praepediri, praesentem paginam conscribi fecimus et Sigilli nostri mu-

nimine ac Fratrum nostrorum duximus roborandam. Praesentibus testibus; Fratre Joanne quondam Abbate *Calvi montis* (3), Fratre Matthia Cellario, Fratre Venceslao et Fratre Joanne Custode, et quam pluribus alys fide dignis. Datum in *Tyncia* Anno Domini M. CCC. X. L. V.

(3) *Łysa Góra*, monasterium in Regno Poloniae.

XCVII.

Cracoviae — 29 Decembris 1346 anno.

Joannis dicti Grot Episcopi Cracoviensis de pendendis decimis mensae episcopali pertinentibus villarum *Rybna* et *Przeginia* decretum (1).

In nomine Domini Amen. Ratio suadet et aequitas ut Ecclesiasticae utilitati consulentes, in ampliatione fructuum et redituum ipsius eum teneamus modum aptum et honestum, per quem conditio potior redditur Ecclesiae et Jura ipsius in aliqua parte non molestentur. Proinde nos Joannes Divina et Apostolicae Sedis providentia Episcopus Cracoviensis notum facimus universis tam praesentibus quam futuris praesentem paginam inspecturis. Quod licet Cmetones et incolae villarum videlicet in *Rybna* et in *Przegina* (2) multo tempore fuissent, authoritate nostra, Sententia excommunicationis, innodati, pro eo quod decimam more pristino in campis nobis solvere recusabant, poscentes et toto labore virium nobis humiliter supplicantes, ut pro decima eadem fertones usualis et currentis monetae recipere dignaremur ex causis et rationibus, quas pro se allegabant. Nos itaque habito consilio et una cum consensu Fratrum nostrorum Capituli Cracoviensis eorum humilibus supplicationibus clementer annuentes,

(1) Apographon a Łepkowscio habuimus descriptum.
(2) De villa *Przeginia* vide jam supra tabulae ad N°.L, praemissae pag. 112.

praesertim ad instantiam precum Venerabilis et Religiosi Viri Domini Fratris Henrici (3) Dei patientia Abbatis Monasterij Tynecensis Ordinis S. Benedicti Domini Temporalis ac Providi Viri Friczkonis Sculteti praedictarum villarum super solutione decimae Campestris de araturis eorundem Cmetonum, talem concordiam fecimus et perpetuam unionem, videlicet quod ipsi Cmetones seu Coloni de quolibet manso singulis annis semper in Festo Beati Martini nobis nostrisque Successoribus ratione decimae praedictae per octo Scotos grossorum Boëmicalium, unam mensuram tritici et unam mensuram Siliginis, qualibet occasione postposita, dare et solvere perpetuo tenebuntur. Nuntio vero nostro, quem ad colligendam dictam pecuniam duxerimus destinandum, mettertio (sic) tempore, quo eandem pecuniam exigit, de expensis necessarys pro personis et equis eorum providebunt, praedictas autem mensuras curribus ipsorum in *Lypow* Castrum nostrum deducant. Quod si ipsi vel aliquis eorum pecunias solvere aut frumenta in *Lypow* praesentare quoquomodo neglexerint infra octavas Sancti Martini praedicti, extunc praefati Coloni non solventes infra alios VIII dies, per dimidiam marcam eiusdem pagamenti et monetae nobis nostrisque Successoribus solvere debebunt, et ad id per Sententiam excommunicationis et per ipsum Scultetum et per eius Successores compellentur. Ad quae omnia memoratus Scultetus cum sex Scabinis Matthia, Henrico, Tyeznar, Heynkone (sic) Sartore Rudolpho, Petro et Thoma pro se et suis vicinis universis praedictarum villarum Colonis sponte et libere se submiserunt et astrinxerunt perpetuis temporibus firmiter adimplenda. Volentes insuper cum Sculteto et eius posteris gratiam facere specialem, meritis et precibus eius propulsati, ut videlicet in exactione praedictae pecuniae decimalis diligentiam operosiorem valeat adhibere, duos mansos ipsius speciales de nostra mera liberalitate a solutione tam pecuniae quam frumenti liberos facimus penitus et exemptos. In cuius rei evidentiam praesentibus nostrum nostrique Capituli Sigilla sunt appensa. Actum et Datum *Cracoviae* IV Kalend. January Anno Domini M. CC. XLVI. Praesenti-

(3) De Henrico eodem legas tabulam praemissam.

bus Honorabilibus et Discretis Viris Dominis: Magistro Petro Cantore, Nicolao Custode, Joanne Thesaurario, Bertholdo Cantore Visliciensi, Canonicis Cracoviensibus, Gregorio Woynic. Nicolao de *Kunow* Rectoribus Ecclesiarum et alys multis testibus fide dignis.

XCVIII.

Szydłoviae—25 Februarii 1347 anno.

Casimirus Rex Poloniae Hanussio de *Glacz* molendinum in oppido *Szydlow* donat (¹).

In nomine domini amen. Quia ut fructus et reditus terrarum pro utilitate magestatis Regie augeantur decet intendere merito eidem magestati, proinde nos Kazimirus dei gratia Rex Polonie notum facimus tam presentibus quam futuris harum literarum per tenorem. Quod propter preparacionem piscine in parte inferiori piscinarum que sunt in *Sydlow* (²) quam preparare debet Hanussius de *Glacz* (³) de nostra pecunia et edificacionem molendini eciam de nostra pecunia per eundem Hanussium construendi, eidem Hanussio et suis legitimis successoribus idem molendinum damus tribuimus et conferimus hereditarie in perpetuum possidendum tenendum et habendum, Sic quod ipse Hanussius postquam dictum molendinum consumauerit et rotas quotquot voluerit ad molendum frumenta seu ad tundendum pannos preparabit, ita videlicet que ipse rote frumenta molire et pannos tundere incipiant et ualebunt extunc de obuencionibus molendini dictus

(¹) Descriptum ex archetypo illustrissimi Leonis Rzyszczewscii proprio.

(²) *Szydłów* hodie haud dubio oppidum situm in territorio Stobnicensi, suae regionis et parochiae caput (olim in Sandomiriensi palatinatu), ad rivulum *Ciekaca* dictum. Jus teutonicum urbi rex Vladislaus Locticus largitus est a. 1329. Rex postea Casimirus ecclesiam Szydłowiensem noviter e muro estruxit circa a. 1355. (Conf. opus „Starożytna Polska," T. II, pag. 367 et seqq.).

(³) *Glacz* certe *Glatz*, urbs in Silesia, hodie regionis caput, Polonice *Kłocko*, Comitatus *Glatz*, „hrabstwo Kłockie." Hanussius, Johann, haud dubio germanus fuit.

Hanussius et sui succedanei duas partes pro nobis reseruando terciam pro se percipient et habebunt. Circa uero reparaciones attinenciorum molendini, cum aliqua fuerint destructa nos duas partes denaiorium et ipse Hanussius cum suis successoribus partem terciam impendemus, Sed omnino ipse Hanussius et sui successores nullam utilitatem piscium habebunt in dicta piscina. Ceterum licitum erit predicto Hanussio cum suis posteris predictam suam terciam partem prefati molendini donare et vendere de uoluntate nostra, persone que nobis placebit, In cuius rei testimonium presentibus nostrum sigillum est appensum. Actum in *Sydlow* die dominica qua cantatur Reminiscere Anno domini MCCC Quadragesimo septimo, Presentibns hijs testibus, Dominis Joanne Jurâ Sandomiriensi Palatino, Stanislao Cracouiensi Abraham Sandomiriensi, Subpincernis, Sethegio Agazone Cracouiensi, Wilczcone Subdapifero Sandomiriensi et Johanne doctore Decretorum Canonico Wratislauiensi, datum et scriptum per manus Johannis de *Busca* (4) Notarii Curie nostre.

(4) *Busko*, urbs Stobnicensis regionis in Regno Poloniae.

XCIX.

Cracoviae — 23 Junii 1348 anno.

Privilegium fundationis seu erectionis Villae *Binarowa* a Casimiro magno datum discretis viris Nicolao et Hermanno (1).

In nomine domini. Amen. Quod magnifica Regum Magestas facere decrevit maxime ad utilitatem sui Regni debet esse firmum et stabile roburque perpetue firmitatis obtinere. Igitur Nos Kazimirus dei gracia Rex Polonie Notum facimus universis tam presentibus

(1) Łepkowski descripsit e tabula authentica hodie in Tabulario urbis *Biecz*, in Gallicia dictae asservata, et docet nos de villae *Rinarowa* mentionem hac esse. Locus villa et tenore ipsius tabulae apparet.

quam futuris hanc literam inspecturis, Quod cupientes utilitates Regni nostri peramplius ampleare, Discretis viris Nicolao dicto Vlosniczar et Hermanno damus villam in fluvio qui *Sitnicza* dicitur inferius metis *Beijcz.* Jure Theutonico quod Maydburgense nuncupatur, que villa habebit in limitibus suis sexaginta mansos locandi, disponendi et mansos mensurandi omnimodam potestatem. In qua villa damus predictis Nicolao et Hermanno et eorum posteris sculteciam perpetuo tenendam, habendam, donandam, vendendam comutandam ac possidendam pro sua et suorum posterorum voluntate quomodolibet convertendam; quibus Scultetis racione eorum Scultecie et successoribus ipsorum perpetuo et iure hereditario damus sex mansos liberos, Molendina quotquod possunt facere infra limites dicte hereditatis libera, Cameram panum, carnium, sutorum, tabernas duas Brascatorium, piscinas duas, licebitque dictis Scultetis et posteris ipsorum piscari infra limites dicte hereditatis, tercium denarium de Judicio in causis tam magnis quam parvis, duobus duntaxat pro nobis reservatis, sextum vero denarium de censu, unum mansum pro grege pellendo quod *Scotnicza* dicitur, et unum pro Ecclesia dictus Scultetus ante omnia debet mensurare; removemusque a predicta villa omnia Jura Polonicalia, angarias et preangarias qualescunque ita quod Kmethones dicte ville coram nullo Judice Polonicali debent respondere nisi coram Scultetis dicte ville, Sculteti vero coram Judice nostro theutonicali, dum per nostram literam fuerint citati Jure theutonico predicto respondere tenebuntur, secundum quod ipsum Jus theutonicum requirit. Et ut dicta villa cicius possit locari, omnibus et singulis Kmethonibus dicte ville a data presencium ad viginti annos damus a solucione census et alys quibuslibet solucionibus ac servicio omnimodam libertatem, Qua elapsa, extunc Kmethones de quolibet manso racione census per octo scotos, et pro decima per fertonem in festo beati Martini solvent. Sculteti vero et sui posteri ad expedicionem cum uno homine in plactis vel in pancerio (²) tenebuntur servire. Ad tria Judicia magnaque ter in anno

(²) *Pancerz*, verbum polonicum significans certum armorum genus.

fieri consueverunt, unum Sculteti et duo Kmethones nuncio nostro ministrabunt, vel pro quolibet prandio per octo scotos solvent. In causis autem criminalibus quibuscunque magnis vel parvis, Scultetis iamdicte ville Judicandi, condempnandi et puniendi iuxta ipsum Jus theutonicum damus omnimodam facultatem. In cuius rei testimonium nostrum sigillum presentibus duximus appendendum. Data *Cracovie* in vigilia beati Johannis Baptiste, Anno domini M. CCC. Quadragesimo octavo. Presentibus hys testibus: Wilczkone Castellano Sandomiriensi, Hermanno procuratore, Floriano Cancellario Lanciciensi, Petro Voyski, Clemente subdapifero Sandomiriensi. Nicolao de *Bibicz* burgrabio de *Beycz* et alijs multis fidedignis.

C.

Cracoviae — 30 Septembris 1348 anno.

Johannes Jura palatinus Sandomiriensis emit villam *Ostrowa* a monasterio Staniątcensi et post mortem suam villam hanc monasterio eidem pro remedio animae donat (¹).

Nouerint vniuersi presenciam noticiam habituri quod nos Johannes Palatinus Sandomiriensis (²) emimus mansum in *Ostrow* villa Monialium de *Stananthek* de consensu omnium sororum eiusdem Monasterij pro nouem Marcis grossorum currentis monete quem videlicet mansum tenere debemus ad tempora vite nostre. post ingressum vero viam vniuerse carnis vite nostre dictum mansum cum omnibus vtili-

(¹) Sławiński descripsit ex tabula pergamena in Staniątcensi Tabulario assêrvata. Reliquiae tantum sunt sigilli in filo pargameno.

(²) Certe Johannes Jura (Skora) dictus, qui ut supra diximus, annis 1339—44 subcamerarius Cracoviensis erat. Palatinus Sandomiriensis is Johannes legitur in „Dodatek tygodniowy, 1852, N⁰. 21," sub a. 1350. Nunc scimus illum palatinum a. 1348 fuisse. Praedecessor ejus Neherza palatinus Sandomiriensis (quem apud Niesieccium frustra quaeres lector benevole) vixit mense Novembri 1346 anno. Huic haud dubio noster Johannes in officio successit, et non Otto de *Pilca*, uti Niesiecki in indicibus magistratuum Poloniae habet, nam sequentibus annis et scilicet jam primum, a. 1352 Pełkam (Fulconem) subcamerarium Cracoviensem, successorem Johannis, in Codice nostro legimus.

tatibus prouentibus melioracionibus necnon redditibus omnibus et singulis quodquod inibi tunc haberi poterunt tam in frugibus quam animalibus pro remedio anime nostre totaliter volumus esse deuoluendum ad dictum Monasterium cuiuscumque contradiccione non obstante In quorum testimonium sigillum nostrum presentibus duximus appendendum. Datum *cracouie* in crastino beati Michaelis Anno dominj M°. CCC°. XLVIII° presentibus hijs testibus Miroslao herede de *Brnocic* (3). Pakoslao herede *d'Newarow* (4). Petro herede *d'Neszcouic* (5). Jacobo rectore Ecclesie *d'Conemloth* (6), dicto Sank. Adam rectore Ecclesie *d'Lubcza* (7). Petro de *Wronino* (8) procuratore Monasterij de *Stananthek* et alijs pluribus fidedignis.

(3) *Bronocice* villa hodie in regione Proszowicensi, parochia vero Szkalbmiriensi, in Regno Poloniae.

(4) *Niewiarow*, certe villa antiqui palatinatus Cracoviensis, nunc in Gallicia, regione Szczyrzecensi, proxima oppido *Gdow*.

(5) *Nieszkowice*, etiam in antiquo palatinatu Cracoviensi, regione vero Czchowensi, parochiae ad *Pogwizdow* spectantis in Gallicia.

(6) *Koniemłoty*, villa in palatinatu Sandomiriensi, regione nunc Wiślicensi, parochiae suae caput.

(7) *Lubcza*, villa palatinatus Cracoviensis, regionis Xiążensis, parochiae suae caput.

(8) *Wronin* villa palatinatus Cracoviensis, regionis Proszovicensis, parochiae ad *Czulice* spectantis.

CI.

Cracoviae — 30 Septembris 1348 *anno.*

Casimirus magnus villam *Libuszam* locandam sculteto Jacobo permittit (1).

In Nomine Domini Amen. Quod Magnifica Regum Majestas facere decrevit maxime ad utilitatem Regni sui, debet esse firmum et

(1) Privilegium hoc a Josepho Łepkowscio habemus. Originale exemplar in pargameno scriptum in archivo parochialis ecclesiae in villa *Libusza* asservatur; sigillum ejus abruptum sed appensum erat filo pergameno. Tabulam edidit jam in opere laudato: „Dodatek tygodniowy" 1851, N°. 14. Franciscus Wolański, qui illam notis etiam illustravit.

stabile roburque perpetuae firmitatis obtinere. Proinde Nos Casimirus Dei Gratia Rex Poloniae notum facimus universis tam praesentibus quam futuris hanc Literam inspecturis, quod cupientes utilitates Regni nostri per amplius ampliare, de Sylvis, de quibus Nobis nulla paenitus utilitas proveniebat, discreto Viro Jacobo damus Villam in fluvio dicto *Libusz* Jure Theutonico quod Magdeburgense dicitur, locandi omnimodam potestatem. Quae Villa habebit infra limites Centum Viginti Mansos, In qua Villa ratione locationis praedicto Jacobo et Posteris Ipsius damus Scultetiam perpetuo et Jure haereditario tenendam, habendam, possidendam, donandam, vendendam, commutandam pro Sua et Suorum posterorum utilitate convertendam. Cui Sculteto et Suae posteritati damus perpetuo Octo Mansos Liberos, Etiam pro Ecclesia unum Mansum et alium pro pellendo grege, qui vulgariter *Skotnica* dicitur liberos more praedicto Magdeburgensi mensuratos, Molendina quotcunque potest facere in fluvio praedicto infra limites dictae hereditatis libera, dicto Sculteto et Suis Successoribus damus Cameram Panum seu pistorum Tabernam liberam, Macellum carnium seu Cameram Brascatorum, Cameram Sutorum, Piscinam liberam in Villa vel extra villam, Cui Sculteto et Successoribus Ipsius licebit piscari pisces libere, quatuor hortos liberos, Item damus Sibi et Suis Posteris perpetuo tertium denarium de Judicio in poenis tam Magnis quam parvis, duobus duntaxat reservatis. Et ut dicta Villa eo citius possit locari Omnibus et Singulis Cmethonibus, qui in Ipsa locabuntur a data Praesentium ad viginti annos a solutione Census et Servicio damus et largimur Omnimodam libertatem. Qua elapsa tunc Cmethones singulis annis perpetuo scilicet in Festo Sancti Martini de quolibet Manso pro Censu per Octo Scotos Grossorum solvent, et pro decima cui debebitur per Fertonem. Ad tria vero Judicia Magna quae ter in Anno fieri consueverunt, nostro Nuntio, quem ad hoc mittemus Unum prandium Scultetus et duo Cmethones

(1) Apud Wolańscium: *Lubus. Libusza* villa est parochialis sita in antiqua regione Biecensi, nunc vero in Jaslensi, inter oppida *Biecz* et *Gorlice.* Fluvius *Lubus* vero in tabula memoratus, rivulus est, cujus ostium in Ropa proximum villae *Libusza.* De scultetia hujus villae confer privilegium, quod edimus infra sub a. 1470.

dabunt vel pro quolibet Prandio per sex scotos grossorum solvent; removemus namque ibidem omnia Jura Polonicalia, Angarias et perangarias qualescunque, ita quod Cmethones dictae Villae coram nullo Judicio Polonicali respondere tenebuntur, nisi coram Sculteto Ipsorum Theutonicali Jure praedicto respondebunt, Scultetus vero coram Nobis aut nostro Judice Theutonicali Jure quo supra, dum tamen per nostram Literam fuerit citatus, tenebitur respondere. In causis autem Criminalibus quibuscunque Magnis vel parvis praedicto Sculteto et Suis Successoribus juxta Ipsum Jus Theutonicum judicandi, condemnandi et puniendi damus et tribuimus omnimodam facultatem. Excipimus tamen quod dictus Scultetus et Posteri Ejus ad quamlibet expeditionem generalem cum uno homine Galeato et Equo bono tenebitur servire. In cujus rei testimonium Nostrum Sigillum Praesentibus duximus appendendum. Datum *Cracoviae* in Crastino Sancti Michaelis Archangeli. Anno Domini Millesimo Trecentesimo, Quadragesimo Octavo. Praesentibus his Testibus: Hermano Procuratore Generali, Wilczkone Sandomiriensi, Vito de *Polanice* (3) Castellanis, Floriano Cancellario Lanciciensi, Nicolao de *Bibicz,* et Jaroslao Plebano de Civitate *Bochmna* (4) et aliis multis fide dignis.

(3) Apud Wolanscium l. c. legitur: „Vito de *Polanecz.*"
(4) Apud Wolanscium verbum incertum est, *Bezmna,* vel aliquid simile. Verbum est abbreviatum, et hanc ob causam Wolański ponit in parenthesi *Casimiriam,* legit igitur sic: „et Jaroslao plebano de civitate (Kazimiria)" etc.

stabile roburque perpetuae firmitatis obtinere. Proinde Nos Casimirus Dei Gratia Rex Poloniae notum facimus universis tam praesentibus quam futuris hanc Literam inspecturis, quod cupientes utilitates Regni nostri per amplius ampliare, de Sylvis, de quibus Nobis nulla paenitus utilitas proveniebat, discreto Viro Jacobo damus Villam in fluvio dicto *Libusz* Jure Theutonico quod Magdeburgense dicitur, locandi omnimodam potestatem. Quae Villa habebit infra limites Centum Viginti Mansos, In qua Villa ratione locationis praedicto Jacobo et Posteris Ipsius damus Scultetiam perpetuo et Jure haereditario tenendam, habendam, possidendam, donandam, vendendam, commutandam pro Sua et Suorum posterorum utilitate convertendam. Cui Sculteto et Suae posteritati damus perpetuo Octo Mansos Liberos, Etiam pro Ecclesia unum Mansum et alium pro pellendo grege, qui vulgariter *Skotnica* dicitur liberos more praedicto Magdeburgensi mensuratos, Molendina quotcunque potest facere in fluvio praedicto infra limites dictae hereditatis libera, dicto Sculteto et Suis Successoribus damus Cameram Panum seu pistorum Tabernam liberam, Macellum carnium seu Cameram Brascatorum, Cameram Sutorum, Piscinam liberam in Villa vel extra villam, Cui Sculteto et Successoribus Ipsius licebit piscari pisces libere, quatuor hortos liberos, Item damus Sibi et Suis Posteris perpetuo tertium denarium de Judicio in poenis tam Magnis quam parvis, duobus duntaxat reservatis. Et ut dicta Villa eo citius possit locari Omnibus et Singulis Cmethonibus, qui in Ipsa locabuntur a data Praesentium ad viginti annos a solutione Census et Servicio damus et largimur Omnimodam libertatem. Qua elapsa tunc Cmethones singulis annis perpetuo scilicet in Festo Sancti Martini de quolibet Manso pro Censu per Octo Scotos Grossorum solvent, et pro decima cui debebitur per Fertonem. Ad tria vero Judicia Magna quae ter in Anno fieri consueverunt, nostro Nuntio, quem ad hoc mittemus Unum prandium Scultetus et duo Cmethones

(1) Apud Wolańscium: *Lubus. Libusza* villa est parochialis sita in antiqua regione Biecensi, nunc vero in Jaslensi, inter oppida *Biecz* et *Gorlice.* Fluvius *Lubus* vero in tabula memoratus, rivulus est, cujus ostium in Ropa proximum villae *Libusza.* De scultetia hujus villae confer privilegium, quod edimus infra sub a. 1470.

dabunt vel pro quolibet Prandio per sex scotos grossorum solvent; removemus namque ibidem omnia Jura Polonicalia, Angarias et perangarias qualescunque, ita quod Cmethones dictae Villae coram nullo Judicio Polonicali respondere tenebuntur, nisi coram Sculteto Ipsorum Theutonicali Jure praedicto respondebunt, Scultetus vero coram Nobis aut nostro Judice Theutonicali Jure quo supra, dum tamen per nostram Literam fuerit citatus, tenebitur respondere. In causis autem Criminalibus quibuscunque Magnis vel parvis praedicto Sculteto et Suis Successoribus juxta Ipsum Jus Theutonicum judicandi, condemnandi et puniendi damus et tribuimus omnimodam facultatem. Excipimus tamen quod dictus Scultetus et Posteri Ejus ad quamlibet expeditionem generalem cum uno homine Galeato et Equo bono tenebitur servire. In cujus rei testimonium Nostrum Sigillum Praesentibus duximus appendendum. Datum *Cracoviae* in Crastino Sancti Michaelis Archangeli. Anno Domini Millesimo Trecentesimo, Quadragesimo Octavo. Praesentibus his Testibus: Hermano Procuratore Generali, Wilczkone Sandomiriensi, Vito de *Polanice* (3) Castellanis, Floriano Cancellario Lanciciensi, Nicolao de *Bibicz,* et Jaroslao Plebano de Civitate *Bochmna* (4) et aliis multis fide dignis.

(3) Apud Wolanscium l. c. legitur: „Vito de *Polanecz.*"
(4) Apud Wolanscium verbum incertum est, *Bezmna,* vel aliquid simile. Verbum est abbreviatum, et hanc ob causam Wolański ponit in parenthesi *Casimiriam,* legit igitur sic: „et Jaroslao plebano de civitate (Kazimiria)" etc.

CII.

Wschowae—2 Augusti 1349 anno.

Casimirus Magnus rex Poloniae ecclesiae a se fundatae in villa *Tymbark* et scholae ibidem dotem assignat (1).

In nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Quod Regum Majestas decrevit, firmum et stabile esse debet. Proinde Nos Casimirus Dei gratia Rex Poloniae, Lithuaniae Russiaeque Dominus et Heres, fundata Ecclesia nostra *Tymbarscensi* (2) lignea, tituli assumptae Mariae Virginis, quae dicata est, pro qua et Rectore scholae ejusdem Tymbarscensis talis assignatur dos: Imprimis habet Rector scholae nostrae Tymbarscensis Missalia, centum septuaginta quinque siliginis, avenae totidem, tam de praedio nostro Regali, quam subditis omnibus, quae sibi idem Rector scholae Tymbarscensis quotannis pro festo S. Martini pontificis recipere debet. Item habet idem Rector scholae Tymbarscensis agros cmethonales duos, incipientes se ab Ecclesia eadem Tymbarscensi, manuque dextra tendentes se ad sylvam dictam *Łopień*, alterum vero incipientem se a tergo Ecclesiae *Zallesze* dictum, tendentem ad sylvam *Łężow* protensive. Item habet idem Rector scholae Tymbarscensis pratum inter agros Plebanales jacentem (sic), ex quo ad acervum foeni idem Rector scholae Tymbarscensis colligere sibi debet. Item habet idem Rector scholae Tymbarscensis liberam propinationem in nostra villa Tymbarscensi tam cremati quam cerevisiae. Item habet idem Rector scholae Tymbarscensis subditos tres, qui in septimana per dies duos laborare debent. Item hatem idem Rector scholae Tymbarscensis

(1) Apographon ex tabula originali a Josepho Łepkowscio habuimus.
(2) *Tymbark* villa, postea oppidum in Cracoviensi palatinatu, regione Czchowensi, parochiae suae caput, ad quam anno 1676, pertinebant villae: *Jasna, Podlopien, Zawadka* et *Stopnice*.

liberam incisionem in sylvis nostris regalibus tam pro foco, quam aedificiis et aliis omnibus nostrae Ecclesiae necessitatibus. Habet quoque idem Rector scholae Tymbarscensis domum Plebanatus sui cum horto bonam mansionis suae. Quam quidem fundationem nostram regiam in omnibus punctis approbando, confirmando, ratificando, manu nostra Sacrae Majestatis subscriptam, Sigillo Regni communiri jussimus. Datum in *Schova* (³) d. 11 mensis Augusti. Anno Domini M: CCC. XL. IX. Casimirus Rex.

(³) *Wschowa*, germanice *Fraustadt*, urbs terrae suae caput in antiquo Posnaniensi palatinatu (hodie in Regno Borussiae).

CIII.

Cracoviae — 21 *Maji* 1350 *anno.*

Bodzanta episcopus Cracoviensis ecclesiam parochialem in villa sua *Niepołomice* fundat et erigit dotemque rectori assignat (¹).

In nomine domini amen. Quoniam magnus dominus et laudabilis nimis quem angeli incessabili voce laudant in excelsis. Eciam miseracione pia domum habere et eligere sibi dignatur in terris, vt pro modulo fragilitatis humane a fidelibus in ea velud (sic) creacione a sua creatura iugitur veneretur. Proinde Nos Bodzatha (sic) diuina et apostolice sedis prouidencia Episcopus Cracouiensis ad ipsius magestatis preconia deuocius attollenda, et ad honorem ipsius genitricis virginis Marie ac beatorum decemmilium militum Martirum, ad in-

(¹) Sławiński descripsit ex tabula pergamena apud illustrissimum canonicum et praepositum Słupscium Niepołomiciis asservata. Funiculi duo, alter sericus rubri coloris sine sigillo, alter sericus viridis coloris cum sigillo oblongo et satis magno, in quo effigies templi ex parte, cum una turri et super cujus tectum parvum conspicitur vexillum. In ambitu vero hujus sigilli, sequentia leguntur verba: „*S. cracoviensis e..... Sti Wencezlai* (Sigillum ecclesie Cracoviensis Sancti Vencezlai).

Omnes villae huc in annotationibus memoratae sunt antiqui palatinatus Cracoviensis. De aliis villis jam supra.

stanciam Magnifici Principis domini nostri domini Kazimiri dei gracia Regis Polonie Illustris, Ecclesiam parochialem in villa sua wlgariter dicta *Nepolomice* (2) fundantes et erigentes, pro sustentacione Rectoris et clerici ipsius, et pro incumbentibus oneribus comode supportandis, nomine dotis decimam in villa que wlgariter dicitur *Spythcouaporaba* (3) prope *Wsswsam* (4), actenus ad mensam nostram Episcopalem pertinentem de consensu Venerabilium Virorum dominorum fratrum nostrorum Capituli Cracouiensis, eidem Ecclesie damus liberaliter et tradimus perpetuo. Parochiam vero sibi in villis infrascriptis, scilicet *Msczancyn* (5) in *Pobednik* (6), *Cystebrzegy* (7) in *Igolomia, Clay* in *Chelm* (8) et *Podlanze* in *Bodzanow,* olym ad Ecclesias predictas iure parochiali pertinentes. Nunc vero propter nimiam distanciam et diffusionem earundem parochiarum, predicte Ecclesie in *Nepolomice* iungimus et limitamus, earum et colonorum in eisdem existencium et futurorum, curam et regimen in spiritualibus Rectori ipsius Ecclesie Nepolomicensis, qui pro temporefuerit de cetero committentes et volentes vt in ipsa et non alias officia diuina audiant et ecclesiastica recipiant sacramenta. Nos enim predictarum villarum inhabitatores et colonos ipsarum, exnunc ab obediencia et subieccione Rectorum scilicet, Pobednicensis, Igolomiensis, Chelmensis et Bodzanouiensis, Ecclesiarum modo premisso auctoritate nostra ordinaria absoluimus et liberamus omnino Ipsis nichilominus et eorum cuilibet virtute obe-

(2) *Niepolomice* ad Vistulam, hodie in Gallicia, olim villa Cracoviensis regionis, grata Casimiro magno, qui arcem in villa aedificavit et saepe ibidem „sub Jove frigido conjugis immemor" moratus est, nam venationi addictus, habuit circa Niepołomice et densas silvas ferasque magnas. Ecclesiam vero in villa episcopus Cracoviensis una cum rege, non rex vero ipse fundavit, uti falso tradunt auctores in opere: „Starożytna Polska" T. I, 187.

(3) *Spytkowa Poręba*, est regionis Czchovensis, parochiae vero ad villam *Poręb* spectantis (hodie in Gallicia).

(4) *Uszew*, vide supra.

(5) *Mszczęcin* villa est regionis Szczyrzycensis, parochiae Niepołomicensis, hodie in Gallicia. — (6) *Pobiednik*, regionis Cracoviensis in Regno Poloniae est villa parochiae Pobiednicensis.

(7) *Czyste brzegi* olim, hodie vero *Wola Batorska*, villa est regionis Szczyrzycensis, parochiae Niepołomicensis.

(8) *Chelm* villa est regionis Szczyrzycensis, parochiae Chełmensis.

diencie et sub pena synodali prohibendo, quod amplius se de regimine et cura villarum et inhabitancium in eisdem nullatenus intromittant, nec in Ecclesijs suis ad officia diuina predictos colonos admittant nec eis ecclesiastica sacramenta sine licencia et voluntate Nepolomicensis Rectoris Ecclesie quoquomodo ministrare presumant. In cuius rei testimonium et euidenciam pleniorem, nostrum nostrique Capituli sigilla presentibus sunt appensa. Actum et datum *Cracouie* XII° kalendas Junij Anno. M°. CCC°. Quinquagesimo. Presentibus Honorabilibus et Nobilibus viris dominis, Ottone Floriano et Jacobo Syrzicone Canonicis Cracouiensibus ac Spythcone Castellano Andrea Subcamerario terre Cracouiensis. et Johanne dicto Jura Palatino Sandomiriensi et alijs pluribus fidedignis.

CIV.

Leopoli — 11 Augusti 1350 *anno.*

Casimirus magnus rex Poloniae libertatem donat Spythconi castellano Cracoviensi ejusque posteris omnia metalla cujuscunque generis in bonis ipsius conquirendi (¹).

In nomine domini amen. Dignum est ut ea que Regia maiestas ad utilitatem sui regni et regnicolarum suorum facere decrevit robur perpetue firmitatis debeat obtinere. Igitur noverit tam presens etas quam futura. Quod nos Kazimirus dei gratia Rex Polonie, nec non errarum Cracovie, Sandomirie, Sijradie, Lanchicie, Cuyavie, Pomo-

(¹) Tabulam hanc descripsit illustrissimus et doctissimus Alexander Przeździecki et versionem ejus polonicam in opere: „Biblioteka Warszawska," 1850, T. II, pag. 413 edidit, tabula ipsa latina ad usum Codicis diplomatici relicta. Alter rerum domesticarum non ignarus vir, author operis polonici: „Górnictwo w Polsce" Hieronymus Łabęcki de illa tabula totam dissertationem scripsit et juris publici eam fecit etiam l. c. in „Biblioteka Warszawska," pag. 415—418. Łabęcki narrat, tabulam nostram antiquissimum esse monumentum juris Polonici montani. Archetypon tabulae asservatur in archivo urbis *Zaslaw* dicto in *Wolhynia* ducum Sanguszkorum proprio. Sigillum jam desideratur.

De *Spicimiro* castellano conf. multas praemissas tabulas ad N°. LXXXI et LXXXV typis jam exaratas et praecipuae tabulae XCIII annotationem tertiam. Ex castellano Wi-

ranieque dominus et heres pensatis, fidelibus et dignis serviciis, que nobis magnificus vir dominus Spythco, Castellanus Cracoviensis (in?) utilitatem tocius regni nostri et precipue metalla cuiuslibet generis querendo, exhibuit multipliciter et constanter. In recompensam itaque eorumdem servitiorum, exnunc eundem dominum Spythconem Castellanum, filios suos et successores eorum legitimos, nec non ceteros montanos principales et posteros, ubicumque metallum cuiuscunque generis auri, argenti, cupri atque plumbi, in bonis ipsius domini Spythconis inventum fuit circa ius montanum quo alia montana in omnibus terris frui consueverunt, tanquam verum et legitimum heredem, cum sua posteritate denunciamus et conservare volumus gratiose salvo iure et dominio nostre Regie maiestatis. In cuius rei testimonium et evidentiam pleniorem presentes dari fecimus, nostri sigilli munimine roboratas. Datum in *Lamburga* (²) in crastino beatj

sliciensi (fortasse et Sandecensi), palatinus Cracoviensis jam a. 1320 et castellanus Cracoviensis jam a. 1331 (apud Nakielscium) fuit. Przeździecki l. c. corrigit errorem Niesieccii, qui (Nostra etiam opinio est) ex una persona duas fecit Spicimirum et Joannem de *Mielsztyn*, nam et Spicimirus noster haeres fuit oppidi *Mielsztyn* dicti, et ambo castellani Cracovienses Spicimirus Joannesque unum insigne habuerunt, dictum *Leliwa*.

Ejusdem Spicimiri res gestas nostris jam temporibus, scripserunt doctissimi Michael Baliński (legas in opere: „Biblioteka Warszawska," 1844, T. III dissertationem, cui titulus: „Spytko Mielsztyński i ród jego") et Carolus Szajnocha custos Bibliothecae Ossolinianae Leopoliensis in praeclarissimo suo opere nuper edito: „Jadwiga i Jagiełło, 1374—1413, opowiadanie historyczne" (legas Tomum 2-dum pag. 9—14 et in notis pag. 367—73). Baliński Niesieccium secutus est et satis late de Spicimiro et de Joanne Mielsztyńscio castellanis Cracoviensibus enarrat, sed falso. Szajnocha, sicut nos, nullum Joannem castellanum videt a. 1336—1352, sed Spicimirum. Alius est enim Joannes de Mielsztyn castellanus Cracoviensis a. 1363—1376, filius ejusdem Spicimiri. In indicibus castellanorum Cracoviensium etiam omittendus est Lucas stemmatis Ciołek, qui secundum Niesieccium, eundem magistratum habuit a. 1352—1356. Sunt documenta, quae citat Szajnocha ex Czaccio, et patet ex illis, Spicimirum castellanum jam etiam a. 1356 vixisse. De illo vero Joannes de Czarnkow archidiaconus Gnesnensis ap. Sommersberg II. 101 dicit: „Spytconi castellano Cracoviensi, quorum consilio Kazimirus rex protunc juvenis regebatur." Et Ludovicus rex tantum Hungariae et Poloniae successor, Casimiro vivo „Spytkoni.... donaria multa extulit, castra et possesiones concessit et singulis annis certa stipendia..." (Sommersberg, l. c. pag. 101). Spicimirus, unus potentissimorum Minoris Poloniae his temporibus dominorum, vir est magni ingenii, magnarum opum, magnae superbiae, maximae imo auctoritatis apud reges et in tota illa provincia.

(²) *Lamburga*, hodie apud Germanos *Lemberg*, Leopolis, polonice *Lwow* caput moderni regni Galliciae et Lodomeriae.

Laurentij martyris. Anno Domini Millesimo CCC quinquagesimo. Presentibus hijs testibus Wijlczkone Castellano Wysliciensi Dobeslao Cracoviensi, Clemente Sandomiriensi Subdapiferis, Stascone Cracoviensi, Abraham Sandomiriensi Subpincernis et aliis multis fidedignis Datum per manus Pribislai Curie nostre notarij.

CV.

Szydłoviae—d. 25 men. Junii 1351 anno.

Casimirus magnus Poloniae rex, omnes et singulas villas ad monasterium Calvi montis pertinentes de jure polonico in jus teutonicum Novi fori, quod *Srodzkie* dicitur, transfert (1).

In nomine domini amen. Quod magnifica Regum magestas pro utilitate suorum subditorum facere decreuit, non inmerito uigore scripti et testimonio digno perpetue memorie debeat commendarj. Ea propter nouerit tam presens etas quam futura, quod nos Kazimirus dei gracia Rex Polonie nec non terrarum Craccovie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Cuiavie, Pomeranieque dominus et heres, pensatis (sic) ac inspectis dignis ac iustis peticionibus que nobis relligiosus (sic) dominus abbas *Suiethoslaus* (2) nomine, vna cum fratribus sui conventus ordinis Beati Benedicti ecclesie Sancte Trinitatis monasterii de *Lissiec* humiliter et devote porrexerunt, ut omnes villas eiusdem monasterii, quorum nomina inferius declarabuntur, propter commodum

(1) Tabulam hanc descripsit ipse doctissimus Leo Rzyszczewski ex libro manu scripto in 8vo, seculo decimo sexto concinnato (anno 1527), cujus titulus sequens: „Privilegia libertatum et exempcionum concessarum per Reges et Principes Poloniae, bonis cenobii Sancte Crucis et ante omnia oppido domini abbatis Nova Slupi dicto, auctore Jacobo Sandomiriensi." Liber hic manu scriptus, qui habet 76 paginas, proprius est doctissimi Casimiri Stronczyńscii, qui in colligendis tam copiosis fontibus rei diplomaticae adjuvit potissimum editores priorum tomorum Codicis nostri et magnum hanc ob causam meritum adeptus est.

(2) *Swiętosław* polonice, successor Desiderii, abbas a. 1351—1365 quo mortuus est, magnus Casimiri regis amicus.

ipsius monasterii et quedam gravamina in villis polonicalibus plerumque emergencia commodius euitanda de iure polonico in ius theutunicum (sic) transferre dignaremur: nos itaque ob reverenciam et honorem Sanctissime Crucis in remediumque nostre ac parentum et predecessorum nostrorum salutis, iustisque peticionibus predicti domini abbatis et fratrum sui conventus favorabilius inclinati, exnunc omnes et singulas villas ad *calvum montem* (3) sive in *Lijssiecz* pertinentes, *Slup* civitatem cum villula sibi adiacenti, que eodem nomine *Slupi* apellatur etc. prout in suis metis et terminis circumferencialiter ex antiquo sunt distincte et limitate, de iure polonico in ius theutunicum Novifori, quod *Sredszke* vulgariter dicitur, transferimus perpetuo duraturum, remouentes in eisdem villis omnibus omnia iura polonicalia, modos et consuetudines, angarias et preangarias uniuersas, quocumque nomine uel voce dicantur, que ipsum ius theutonicum impedire consueverunt; preterea absolvimus predictum dominum abbatem et omnes fratres sui conventus et successores ipsorum, nec non Cmetones et incolas ac scultetos omnium villarum ab omnibus iudiciis et iurisdicionibus palatinorum, castellanorum, judicum, subiudicum, et officialium quorumcumque, et perpetuo liberamus, ita quod coram ipsis vel eorum aliquo pro causis magnis et paruis, puta furti, sanguinis, homicidii, incendii, et aliis universis, nulli penitus debeant respondere, nisi cmetones villarum coram suo sculteto vel aduocato iure suo theutunico sredensi respondebunt, sculteti vero non alias nisi coram suo domino abbate, vel eciam coram nobis dum per litteram nostro Regio sigillo signatam euocati fuerint, tunc de se querulantibus non aliter tamen quam suo jure theutunico superius expresso respondere teneantur. Preterea de nostra gracia speciali omnes et singulas uillas et incolas earumdem a pena *Zaglouune* que dicitur in vulgari *Zaglouuna szeszcz grzivien* absolvimus et in perpetuum liberamus, ita quod eandem penam *Zaglouune* nullus Palatinorum, Castellanorum,

(3) *Calvus mons*, hodie *Łysa góra*, olim etiam *Łysiec* appellatus, villa est regionis Opatoviensis, Sandomiriensis palatinatus. *Słupia nova* ibidem villa, sub ipso monte jacet et monasterium in parochia hujus villae invenitur.

Judicum, subiudicum, vel oficialium quorumcumque percipiet nisi dominus abbas cum fratribus sui conventus supradicti, et eorum successores ipsam penam *Zaglouune* libere percipient et quiete. In quorum omnium testimonium, evidenciam pleniorem, presens dari fecimus, nostri sigilli munimine roboratas. Actum in *Szidlouu* (4) sabatto infra octavas beati Joannis baptiste, anno domini millesimo tricentesimo quinquagesimo primo, presentibus hiis testibus, Joanne doctore decretorum et cancellario Cuiaviensi, Dobeslao subcamerario Sandomiriensi, Miczcone dicto *Puszcz* subdapifero Graccoviensis (sic), Joanne Sandomiriensi, Pelka Graccoviensi uexilliferis, Creslao herede de *Szromsko* (5), et aliis multis fide dignis. Datum per manus domini Sbignei cancellarii Graccoviensis, scriptum autem per notarium Aule nostre Pribislaum et plebanum Sandecensem.

(4) *Szydlow*, hodie oppidum territorii Stobnicensis, regionis suae nominis et parochiae caput.

(5) Fortasse *Szumsko* debebat esse; *Szumsko* est villa Sandomiriensis palatinatus, regionis Staszowensis, parochiae caput.

CVI.

Cracoviae — 2 Julii 1353 anno.

Casimirus magnus rex Poloniae Cunado sculteto silvam jacentem circa fluvium Łososina jure teutonico locandam permittit et advocatiam in oppido *Jodłowa góra* ei eiusque posteris in perpetuum donat (1).

In Nomine Domini. Amen. Quod magnifica Regum fieri decrevit Authoritas, ratum debet esse et perpetuo firmum observari apud posteros. Nos igitur Casimirus Dei Gratia Rex Poloniae, nec non Dominiorum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cujaviae

(1) A Łepkowscio apographon habuimus ex quodam Tabulario in Gallicia asservato descriptum.

Pomeraniaeque Dominus et Heres, ad notitiam omnium et testimonium tam praesentium quam futurorum, harum serie literarum volumus devenire; Et volentes de nemoribus et sylvis fructus uberiores ampliare et indesinenter augeri, damus viro provido Cunado, filio Alpodrici, nostro fideli scultori (sic), sylvam nostram jacentem circa fluvium *Łososina* (²) vulgariter nuncupatum, centum mansos franconicos in se continentem, locare jure theutonico, quod Maydeburgense appellatur. Ratione cujus locationis eidem Cunado et suis veris heredibus et successoribus legitimis damus etiam aduocatiam in civitate, cui nomen *Jodłowa góra* (³) est impositum, haereditate tenendam, habendam, vendendam, commutandam, nostro tamen consensu ad haec perennitus obtento, ac perpetuo possidendam; hos reditus eidem advocatiae expresse adjacentes.... quatuor mansos liberos, plebano vero sive rectori Ecclesiae ibidem mansum cum dimidio, et tres mansos pro pascuis communibus assignamus. Caeterum ipse Cunadus et sui haeredes legitimi omnes cameras panni et earum institutorum, nec non Cymatorum, Banicas pistorum, sutorum, omnia macella carnificum, sartorum, quod Kuttlow dicitur in vulgari, stubam balnealem habebunt. Quae omnia et singula debent esse libera et a qualibet pensione poenitus absoluta. Item praedictus Cunadus advocatus et sui successores judicabunt omnes tam parvas quam magnas causas, de quibus percipient tertium denarium a qualibet re iudicata, duobus pro Nobis reservatis. De censu vero idem advocatus et sui posteri habebunt sextum denarium, et quinque pro nobis convertent. Insuper ut praedicta civitas uberius augeatur, damus ibidem advocato et suis successoribus in mansis omnia (sic) civitati deputatis villam locare .... *dinum* in fluvio *Łososina*, tabernam et alia

(²) De fluvio *Łososina* legas praemissam tabulam ad Nr. LXXXIV, et praecipue ejusdem annotationem 2-dam, pag. 188. Villa vero *Łososina* praeter illam in tabula a. 1333 memoratam, altera cum ecclesia parochiali invenitur in regione Sandecensi (1676).

(³) Villa parochialis *Jodłowa polska* fuit regionis Biecensis 1676: ad parochiam vero spectabat iisdem temporibus et *Jodłowa niemiecka*. *Jodłowka* villa fuit in parochia Rzezawiensi, *Jodłownik* vero in parochia Skrzylnensi, ambo Czchowensis regionis (Konskrypcya miast etc.).

quaecunque ex sua industria invenire poterint; damus omnimodam facultatem, admittentes etiam de nostra gracia speciali, quod villae praedictae civitati eidem adjacentes, eodem jure gaudebunt, quo ipsa civitas gaudet praenominata. Praeterea omnibus cmethonibus villae eidem advocatiae adjacentibus, locandis, ad extirpationem nemorum ibidem et sylvarum, damus a data praesenti infra viginti annos continuos, ab omnibus nostris theloneis et exactionibus universis, omnimodam libertatem. Qua elapsa incolae civitatis praemissae et cmethones villae, qui locabuntur, de quolibet festo S. Martini novem scotos grossorum Nobis solvere teneantur. Adjecimus etiam, quod advocatus cum civibus civitatis praedictae, ac cum incolis adjacentibus advocatiae memoratae in quibuslibet festivitatibus infrascriptis, videlicet: in Nativitate Christi, in Pascha, in Pentecoste Domini, de mansis ipsorum, libertate expirante, decem et octo scotos in solidum, in signum honorificentiae, ad quod *Poczta* vulgariter dicto (sic), pro mensa nostra dare et impendere sint adstricti. Demum volumus quicunque nuntius ex parte nostra ad praesidendum ibidem judicio, quotiescunque fuerit deputatus, toties advocatus praedictae civitatis eidem nostro nuntio prandium unum aut sex scotos dare teneatur. Inter alia absolvimus praedictum Cunadum aduocatum et suos successores, nec non Cmethones, ut permittitur (sic), in villa ad eandem advocatiam spectante, ab omnibus judiciis et jurisdictionibus omnium Palatinorum, Castellanorum quorumlibet judicum, subjudicum Regni Nostri poenitus liberamus, ita quod coram ipsis vel coram aliquo pro causis magnis vel parvis nulli debeant respondere, nisi cives et cmethones coram suo advocato jure theutonico Maydeburgensi respondebunt. Advocatus vero praedictus et sui successores non alias nisi coram Nobis dum tamen per literam nostro sigillo munitam evocati fuerint, tum de se querulantibus non aliter quam suo jure theutonico respondere teneantur. In causis autem capitalibus et criminalibus, puta: furti, sanguinis, homicidii, incendii et aliis uniuersis, ad modum praefatae civitatis judicandi et formandi, plenam et omnimodum elargimur potestatem; prout ipsum jus theutonicum postulat et requirit. Demum statuimus, ut idem advocatus, et sui posteri ad quamlibet

30*

Pomeraniaeque Dominus et Heres, ad notitiam omnium et testimonium tam praesentium quam futurorum, harum serie literarum volumus devenire; Et volentes de nemoribus et sylvis fructus uberiores ampliare et indesinenter augeri, damus viro provido Cunado, filio Alpodrici, nostro fideli scultori (sic), sylvam nostram jacentem circa fluvium *Łososina* (²) vulgariter nuncupatum, centum mansos franconicos in se continentem, locare jure theutonico, quod Maydeburgense appellatur. Ratione cujus locationis eidem Cunado et suis veris heredibus et successoribus legitimis damus etiam aduocatiam in civitate, cui nomen *Jodłowa góra* (³) est impositum, haereditate tenendam, habendam, vendendam, commutandam, nostro tamen consensu ad haec perennitus obtento, ac perpetuo possidendam; hos reditus eidem advocatiae expresse adjacentes.... quatuor mansos liberos, plebano vero sive rectori Ecclesiae ibidem mansum cum dimidio, et tres mansos pro pascuis communibus assignamus. Caeterum ipse Cunadus et sui haeredes legitimi omnes cameras panni et earum institutorum, nec non Cymatorum, Banicas pistorum, sutorum, omnia macella carnificum, sartorum, quod Kuttlow dicitur in vulgari, stubam balnealem habebunt. Quae omnia et singula debent esse libera et a qualibet pensione poenitus absoluta. Item praedictus Cunadus advocatus et sui successores judicabunt omnes tam parvas quam magnas causas, de quibus percipient tertium denarium a qualibet re iudicata, duobus pro Nobis reservatis. De censu vero idem advocatus et sui posteri habebunt sextum denarium, et quinque pro nobis convertent. Insuper ut praedicta civitas uberius augeatur, damus ibidem advocato et suis successoribus in mansis omnia (sic) civitati deputatis villam locare .... *dinum* in fluvio *Łososina*, tabernam et alia

(²) De fluvio *Łososina* legas praemissam tabulam ad N[ro] LXXXIV, et praecipue ejusdem annotationem 2-dam, pag. 188. Villa vero *Łososina* praeter illam in tabula a. 1333 memoratam, altera cum ecclesia parochiali invenitur in regione Sandecensi (1676).

(³) Villa parochialis *Jodłowa polska* fuit regionis Biecensis 1676: ad parochiam vero spectabat iisdem temporibus et *Jodłowa niemiecka*. *Jodłowka* villa fuit in parochia Rzezawiensi. *Jodłownik* vero in parochia Skrzylnensi, ambo Czchowensis regionis (Konskrypcya miast etc.).

quaecunque ex sua industria invenire poterint; damus omnimodam facultatem, admittentes etiam de nostra gracia speciali, quod villae praedictae civitati eidem adjacentes, eodem jure gaudebunt, quo ipsa civitas gaudet praenominata. Praeterea omnibus cmethonibus villae eidem advocatiae adjacentibus, locandis, ad extirpationem nemorum ibidem et sylvarum, damus a data praesenti infra viginti annos continuos, ab omnibus nostris theloneis et exactionibus universis, omnimodam libertatem. Qua elapsa incolae civitatis praemissae et cmethones villae, qui locabuntur, de quolibet festo S. Martini novem scotos grossorum Nobis solvere teneantur. Adjecimus etiam, quod advocatus cum civibus civitatis praedictae, ac cum incolis adjacentibus advocatiae memoratae in quibuslibet festivitatibus infrascriptis, videlicet: in Nativitate Christi, in Pascha, in Pentecoste Domini, de mansis ipsorum, libertate expirante, decem et octo scotos in solidum, in signum honorificentiae, ad quod *Poczta* vulgariter dicto (sic), pro mensa nostra dare et impendere sint adstricti. Demum volumus quicunque nuntius ex parte nostra ad praesidendum ibidem judicio, quotiescunque fuerit deputatus, toties advocatus praedictae civitatis eidem nostro nuntio prandium unum aut sex scotos dare teneatur. Inter alia absolvimus praedictum Cunadum aduocatum et suos successores, nec non Cmethones, ut permittitur (sic), in villa ad eandem advocatiam spectante, ab omnibus judiciis et jurisdictionibus omnium Palatinorum, Castellanorum quorumlibet judicum, subjudicum Regni Nostri poenitus liberamus, ita quod coram ipsis vel coram aliquo pro causis magnis vel parvis nulli debeant respondere, nisi cives et cmethones coram suo advocato jure theutonico Maydeburgensi respondebunt. Advocatus vero praedictus et sui successores non alias nisi coram Nobis dum tamen per literam nostro sigillo munitam evocati fuerint, tum de se querulantibus non aliter quam suo jure theutonico respondere teneantur. In causis autem capitalibus et criminalibus, puta: furti, sanguinis, homicidii, incendii et aliis uniuersis, ad modum praefatae civitatis judicandi et formandi, plenam et omnimodum elargimur potestatem; prout ipsum jus theutonicum postulat et requirit. Demum statuimus, ut idem advocatus, et sui posteri ad quamlibet

expeditionem generalem in defensionem Regni nostri cum una Galea Nobis et Nostris successoribus, praedicta libertate elapsa, pro jure sint obligati. In cujus rei testimonium et euidentiam clariorem praesentes scribi mandavimus, nostri sigilli munitione roboratas. Actum *Cracoviae* feria quarta post diem Petri et Pauli Apostolorum Sanctorum. Anno Domini 1353. Praesentibus his testibus: Joanne Vojnicensi Castellano, Ottone Cancellario Poloniae. Boleslao Sandomiriensi (4), Andrea Cracoviensi Succam. (5) Petro Tribuno, Andrea de.... *Mstyczów* (6) ac aliis multis fide dignis.

(4) Dobieslaus subcamerarius Sandomiriensis legitur in Codice Nostro sub a. 1351.

(5) Andreas hic legitur succcamerarius Cracoviensis a. 1354 et 1356 in Codice nostro (T. I et II, pag. 724) et 1358 in opere: „Dodatek tygodniowy" etc. (1852 Nr. 44).

(6) *Mstyczow* villa parochialis, hodie in Miechoviensi regione et territorio (Cracoviensis olim palatinatus). Haeredes ejusdem villae *Mstyczów* temporibus Vladislai Loctici erant castellani et palatini Pacoslai, de quibus uberius doctissimus Helcel l. c. „o klasztorze Jędrzejowskim."

CVII.

Avenione—30 *Octobris* 1353 *anno.*

Innocentius VI papa abbatem Andrejoviensem judicem a sede apostostolica delegatum nominat mandatque ei, ut causas monasterii Tincoensis procuret (1).

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilecto filio Abbati de *Andreiow* Cracoviensis Dioaecesis Salutem et Apostolicam benedictionem. Dilectorum filiorum Abbatis et Conventus Monastery Tynicensis Ordinis Sancti Benedicti Cracoviensis Dioaecesis precibus inclinati, praesentium tibi authoritate mandamus, quatenus ea,

(1) Ex transumpto Francisci abbatis Andrejoviensis, judicis apostolici depromptum. Transumptum legas infra ad a. 1354 (tabula N°. CX.

Innocentius VI, antea Stephanus d'Albert, Cardinalis episcopus Ostiensis, electus papa (mense Decembri) 1352, mortuus est a. 1362.

quae de bonis ipsius Monastery alienata inveneris vel distracta, ad Jus et proprietatem eiusdem Monastery legitime revocare procures, contradictores per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Testes autem qui nominati fuerint, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Datum *Avinione* II Calend. Novembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

CVIII.

Cracoviae — 9 Decembris 1353 anno.

Consisterii Cracoviensis decretum, quo coenobio Tynecensi decimam villae *Polanka* dictae de qualis inter Joannem abbatem monasterii praedicti et Bodzantam episcopum Cracoviensem agebatur, adjudicat ([1]).

In nomine Domini Amen. Exorta coram nobis Bodzata Divina et Apostolicae Sedis providentia Episcopo Cracoviensi ex una et Joanne ([2]) Abbate Tynecensi et Conventum suum (sic) super Decima in *Polanka* parte ex altera materia quaestionis, aliquibus ad Ecclesiam et mensam nostram eandem Decimam pertinere asserentibus, Alys vero ad Ecclesiam et ad Abbatem Tynecensem et suum Conventum in contrarium dicentibus pertinere, Nos (alter)cationum.... eorum sopire prout iustum et honestum est non incongrue cupientes, de Fratrum nostrorum consilio Honorabili Viro Fratri nostro Domino Iwoslao Canonico et Officiali Cracoviensi Causam praedictam ut secundum Deum et iustitiam lances appendens aequo libramine state-

([1]) Apographon a Łepkowscio habuimus.
([2]) Joannes polonus abbas Tinecensis successor fuit Henrici, qui teste Szczygielscio mortuus est 19 Augusti 1354 anno (XIV kal. Septembr.) annus mortis, videmus, falsus est. Joannes abbas vero vitam cum morte commutavit, secundum eundem Szczygielscium in „Tinecia" mense junio 1359. Conf. tabulam proxime sequentem.

rum gestans in manibus, praedictam Causam discerneret et diiudicaret ac fine debito terminaret, commisimus audiendam. Lite igitur coram ipso contestata praestito etiam Juramento de veritate dicenda et testibus productis et eis prudenter examinatis et solenniter publicatis, visis etiam positionibus et responsionibus hinc inde factis et latis, Abbate praedicto una cum suo Conventu Sententiam postulante, tandem ut nihil de predicta Causa seu Controversia remaneret indiscussum, Honorabili Viro Fratri nostro Domino Sbiluto Praeposito Plocensi Decretorum Doctori Canonico Cracoviensi ac Judici Curiae nostrae (3) dedimus in mandatis, ut ex superabundanti praemissa omnia examinaret et cum determinacione Causam ipsam Definitivae Sententiae calculo terminaret, qui cum alys habito super his diligenti tractatu et ipsorum .... rum communicato consilio, Dei nomine invocato, Procuratore Mscislao ipsius Abbatis et Conventus legitimo praesente, nostris vero Procuratoribus absentibus ad hoc deputatis ad audiendam Sententiam definitivam, Citatis tamen de nostra certa scientia, definiendo pronuntiant et pronunciando definiunt, Decimam in *Polanka* ad Ecclesiam et ad Abbatem Tynecensem una cum Conventu suo et ad utilitates ipsorum omnimodas temporibus perpetuis pertinere. In cuius rei testimonium ad evidentiam pleniorem Sigillum nostrum praesentibus est appensum. Actum et Datum *Cracoviae* Quinto Idus Decembris Anno Domini Millesimo Trecentesimo Quinquagesimo Tertio. Praesentibus Testibus Discretis Viris: Stanislao Publico Notario, Cimado (sic) Cubiculario Domini Episcopi Cracoviensis, Theodrico Clerico, et aliis multis testibus fide dignis.

(3) *Zbylut* (polonice), decretorum doctor, praepositus plocensis legitur in nostro Codice jam mense Februario 1348 (T. II, pag. 281 et 1350).

CIX.

Tineciae — 24 Februarii 1354 anno.

Donatio Scultetiae in villa *Strzegoczyce* per Joannem Abbatem Tinecensem facta Stanislao servitori cum conditione, ut illam jure teutonico locaret (1).

In nomine Domini Amen. Omni calumniae ianua praecluditur, id quod scripti perpetuo testimonio roboratur. Igitur noverint praesentes et futuri Quod Nos Joannes Divina miseratione Abbas Tynicensis Ordinis Sancti Benedicti una cum Conventu nostro Cupientes bona Monastery nostri ampliare, ad petitionem Honorabilis Viri Domini Hermani Procuratoris Domini Regis et Praepositi Sandomiriensis necnon Canonici Cracoviensis Damus provido viro Stanislao Scultetiam in fine *Stregoczyc*, gades novae plantationis sint, ubi Dominus demonstravit Abbas eidem Stanislao ad locandum Jure Maydeburgensi, Ipsumque Stanislaum Scultetum aut suos Successores legitimos facimus in eadem locatione per praesentes, tali conditione apposita, quod idem Stanislaus Scultetus praedictus quotquot laneos ibidem tam in silvis quam etiam in cultis agris locare poterit Jure Theutonico, habebit plenam et omnimodam locandi potestatem. Ratione vero locationis pro suo aratro duos mansos liberos, unum in silva, secundum in cultis agris habebit. Damus etiam saepedicto Stanislao Sculteto et suis legitimis Successoribus ad locandam tabernam, Molendinum, Mensam panum et Sutorum, tertium denarium de Judicio provenientem, pro nobis duobus reservatis. Ut autem praemissa locatio facilius fieri valeat, omnibus et singulis Cmetonibus aut Villanis,

(1) Apographon a Josepho Łepkowscio habuimus.

qui se in dictis bonis locaverint, a tempore locationis damus et concedimus Incolis villae de agris cultis quatuor, super silvas viginti annorum a solutione Census et decimae plenam et omnimodum libertatem, Quibus expletis et evolutis de quolibet manso octo Scotos grossorum Pragensium pro Censu in Festo Beati Martini singulis annis nobis et nostris Successoribus solvere tenebuntur. Decimam autem dabunt nobis more Polonico Campestrem de grano quadruplici, videlicet Tritici, Siliginis, hordei et avenae; Scultetus vero praedictus sextum denarium de Censu pro se reservabit, nobis quinque praesentatis, piscinas autem in fluvio dicto *Krosnica* quotquot construere poterit, et mansos ex utraque parte habebit. Solvent etiam nobis tria prandia, omni anno pro quolibet prandio sex scotos, de quibus prandys Scultetus unum prandium persolvet. Insuper singulis annis in festo Paschae pro honore quilibet Cmeto unum grossum solvet, Scultetus autem praedictus aut sui Successores legitimi servient nobis cum equo valente duas marcas, in pancerio cum balista et slappa, et omnia et singula alia praedictus et Cmetones et Scultetus nobis et nostris successoribus facient et adimplebunt, ad quae ipsos Jus Maydeburgense seu Teutonicum reddit obligatos. Damus insuper praedicto Sculteto et suis Successoribus licentiam donandi, commutandi, vendendi vel alio quovis modo alienandi Scultetiam supradictam, dummodo hoc fiat de consensu nostro et voluntate. In cuius rei testimonium Sigilla nostrum et Conventus duximus appendendum. Actum in Monasterio *Tynciensi* in die Beati Matthiae Apostoli, Anno Domini M. CCC. L. IV. Praesentibus Religiosis viris: Henrico Priore, Fratre Raphaele, Fratre Clemente Custode, Magistro Cedrone, Fratre Vito, Fratre Hancone, Fratre Joanne Capellano Domini Abbatis, Fratre Mistislao, Fratre Matthia Subdavigero et alys quam pluribus fide dignis.

CX.

Cracoviae — 16 Junii 1354 anno.

Franciscus abbas Andreioviensis judex apostolicus ad monasterium Tincense delegatus praepeditus negotiis suae domus Francisco praeposito S. Floriani in Cracoviensi suburbio executionem mandati papae Innocentii commendat (¹).

Franciscus Divina miseratione Abbas Monasterij de *Andreiow,* Judex a Sede Apostolica ad infra scripta deputatus Honorabili viro Domino Francisco Praeposito Ecclesiae Sancti Floriani in Suburbio Cracoviensis Civitatis Salutem in Domino. Noveritis Nos sanctissimi in Christo Patris Domini Innocentij Papae VI literas non rasas, non abolitas nec in aliqua parte sui vitiatas, sed omni vitio et suspicione carentes eius vera bulla plumbea bullatas recepisse in haec verba. *(Hic sequitur idem contextus verborum, quem precedens diploma anni* 1353 *Innocentii VI papae (ad N°. CVII editum supra) exhibet).*

Nos igitur varys et diversis arduisque negocys domus nostrae praepediti, cognitioni ac decisioni Causae huiusmodi iuxta continentiam directarum litterarum Apostolicarum intendere non valentes, de prudentia et solicitudine vestra plurimam fiduciam obtinentes, tenore praesentium vices nostras commitimus, ut in ipsa Causa cognoscendo (sic), iuxta formam nobis traditam procedatis tamdiu quousque ipsas ad nos duxerimus revocandas. Si vero negligens fueritis in praemissis et remissus seu mandatis praedictis non parueritis cum effectu, in vos Sententiam Excommunicationis Canonica monitione praemissa sex dierum, quorum duos dies pro prima, duos pro secunda et sequentes duos continue et immediate sequentes pro tertia monitione a die notificationis harum litterarum vobis factae ferimus in his scriptis. In cuius rei testimonium praesentes litteras nostri appen-

(¹) Ex tabula Francisci praepositi ecclesiae S. Floriani in suburbio Cracoviensi, quam edimus infra (N°. CXIV) depromptum.

sione Sigilli fecimus roborari, ac Notario infrascripto mandavimus ipsum subscribi huius in evidentiam pleniorem. Datum *Cracoviae* in Domo habitationis Conventus Fratrum de *Czyrzcz* (sic) Anno Domini M. CCC. LIX ([2]). Indictione Septima, Sedecimo Kalend. July, hora sexta. Praesentibus Religiosis viris et Discretis Joanne Procuratore de *Czyczrycz*, Petro Priore, ac Joanne Fratribus dicty Monastery de *Andreiow* et alys pluribus.

([2]) Mendose annus 1359 indicatus, nam anni 1354 tabula nostra est, demonstrat errorem scribae et indictio ipsa, nam anno 1354 non 1359 septima propria erat. Papa igitur mense octobri 1354 delegavit abbatem Andrejowiensem. Franciscus a se delegavit praepositum S. Floriani mense junio 1354, praepositi vero hujus studio et opera decretum mense januario 1355 anno publicatum est, vide infra tabulam CXIV.

CXI.

Cracoviae — 29 Junii 1354 anno.

Cristinus et Franciscus haeredes de *Blogocice*, fratres inter se germani, et filiastri eorum, suam partem in eadem villa monasterio Staniątcensi vendunt, quod rex Casimirus confirmat ([1]).

N ([2]) nomine dominj. Amen. Cum vendiciones empciones, et contractus qualescumque, nullum robur firmitatis ualeant obtinere. Nisi sollempnj tytulo literarum et testium annotacione roborentur. Eapropter nos Kazimirus dej gracia Rex Polonie. Necnon, Terrarum, Cracouie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Cuyauie, Pomoranieque dominus et heres; perpetue memorie commendantes, tenore presencium, notum facimus vniuersis. Quod accedentes, ad nostram, no-

([1]) Sławiński descripsit e tabula authentica membranacea Staniątciis asservata. Sigillum majestaticum erat, sed abruptum et restat tantum funiculus sericus coloris rubei.

([2]) *N* tantum scriptum pro *In*; scriba, videtur nobis, bona voluntate *I* omisit et locum vacuum, teste Sławińscio reliquit, ut postea pulchro charactere signum *I* elaborare posset.

strorumque baronum presenciam. Cristinus, Franciscus, fratres germani. Vysslaus, Laurencius filiastri ipsorum, heredes de *Blogocicz* (³), sani mente et corpore existentes, non compulsi. Sed matura deliberacione prehabita, de consensu et voluntate nostra speciali, totam partem hereditatis, predicte, ibidem in *Blogocicz,* que ipsos ex successione hereditaria, legitime contingebat, prout eadem pars dicte hereditatis, in suis gadibus circumquaque est distincta, ac limitata. Nichil iuris, aut dominij, sibi uel suis successoribus, inibi penitus reseruando, Religiosis, Sororibus, et Conuentui domus, de *Stananthek;* ordinis sancti Benedicti. pro Triginta Octo Marcis grossorum, et tribus scotis. Polonicalis numerj. vendiderunt, et tytulo vendicionis, coram nobis resignauerunt, eisdem, Sororibus et Conuentuj domus predicte, perpetuo, tenendam habendam, vendendam, commutandam, ac possidendam, pro suaque voluntate conuertendam. Quamquidem, vendicionem, et resignacionem, considerantes, rite, et racionabiliter, esse factam, cum omnibus et singulis utilitatibus, ad eandem partem hereditatis spectantibus, ipsam admittendo, de solita nostre regie Maiestatis benignitate confirmamus. Harum, quibus Sigillum nostrum, est appensum testimonio literarum. Actum *Cracouie.* in die Petrj et Pauli Apostolorum beatorum, Anno dominj Millesimo. CCC. Quinquagesimo quarto, Presentibus hijs testibus, Johanne Palatino Sandomiriensi. Andrea Subcamerario Nicolao Judice Cracouiensibus. Petro Tribuno Cracouiensi. Swesslao Canonico et Officiali Cracouiensi. Nicolao dicto *Lala* Subcamerario regine Polonie (⁴) et alijs multis fidedignis.

(³) *Blogocice* erat villa monasterii Staniątcensis propria, conf. pag. 59. Codicis hujus tomi. Hanc ob causam nobiles nostri de *Blogocice* non villam, sed „totam partem haereditatis," quam in villa habent, vendunt monasterio.

(⁴) Primam huc mentionem legimus de subcamerario reginae. Regina habuit postea suos curiae magistros (mareschalcos vernacula lingua appellatos); primum talem magistrum legimus Joannem subcamerarium Sandomiriensem a. 1370 (vide Codicis nostri tomum 2-dum). Nobis hanc rem considerantibus videtur, ex subcamerario hoc postea magistrum curiae extitisse (reginalis).

CXII.

Cracoviae — 9 Julij 1354 anno.

Ejusdem villae *Blogocice* aliam partem Michael et Henricus cum suis sororibus haeredes, de regis Casimiri consensu monasterio Staniątecensi vendunt (¹).

N (²) nomine domini Amen. Cum vendiciones, et queuis resignaciones nullum robur obtineant. Nisi autenticis principum literis cum annotacione testium solidentur. Eapropter nos Kazimirus dei gracia Rex Polonie. Necnon Terrarum Cracouie, Sandomirie Syradie Lancicie Cujauie Pomoranieque dominus et heres. Vniuersis hanc paginam, inspecturis, publice profitemur. Quod accedentes ad nostram nostrorumque baronum preseneiam. Michael. et Heynricus, vna, cum, Sororibus, suis. Swenthoslaua, uidelicet et Gerka. Heredes de *Blogocicz.* sanj mente, et corpore, existentes, non compulsi. Sed matura deliberacione, animi sui prehabita, de consensu et voluntate nostra speciali. vnam, Sortem Agrorum, Terciam partem Molendinj, et Tabernam, ibidem in *Blogocicz,* que ipsos, ex successione hereditaria, pro porcione, cuiuslibet, pro se. in dictis, sorte, tercie partis Molendinj, ac Taberne, ex toto, Jus hereditarium, legitime, contingebat, prout, predicta, Sors, Molendinum, et Taberna, dicte hereditatis, in suis gadibus circumquaque, sunt distincta, ac limitata. Nichil Juris, aut dominij. sibi uel suis successoribus, inibi penitus, reseruando. Religiosis, deuotisque Sororibus, et Conuentui, domus de Stananthek, Ordinis sancti Benedicti. Pro Triginta quinque Marcis et Sex Scotis, grossorum, pecunie numerate. Vendiderunt, et tytulo vendicionis, coram nobis, resignauerunt, eisdem, Sororibus, et Conuentuj, domus

(¹) Ex tabula etiam authentica, uti praemissa est, Staniątcîis in Tabulario monasterii asservata descripsit Sławiński et docuit nos, reliquias tantum esse majestatici olim sigilli appensi funiculo rubei coloris.

(²) Character *J.* omissum tali modo, uti in praemissa tabula, vide ejusdem annotationem secundam.

predicte. perpetuo, tenenda habenda, commutanda, vendenda, ac possidenda, pro suaque voluntate conuertenda. Quam quidem, vendicionem et resignacionem, considerantes, rite et racionabiliter, esse factam, cum omnibus et singulis, utilitatibus, ad predicta, Sortem, Molendinum, et Tabernam spectantibus, jpsam admittendo, de solita nostre Maiestatis, benignitate, confirmamus. Harum quibus, Sigillum nostrum est appensum, testimonio literarum. Actum *Cracouie,* feria quarta post octauam Petri et Pauli Apostolorum. Anno domini Millesimo. CCC. Quinquagesimo, quarto. Presentibus hijs testibus. Johanne Palatino Sandomiriensi. Sbygneo Cracouiensi (³). Otthone Polonie. Florianj (sic) Lanciciensi Cancellarijs. Stanislao Castellano Malogostensi. Petro tribuno, Cracouiensi. et alijs multis fidedignis.

(³) Idem Sbigneus legitur jam cancellarius sub a. 1328, vide Codicis nostri tomi hujus pag. 187. De illo etiam Naruszewicz „Historya narodu Polskiego" editionis prioris, T. VI, pag. 95, sub a. 1339. Praepositus Cracoviensis fuit. De Floriano et Ottone multa in rerum patriae nostrae gestarum documentis.

CXIII.

Cracoviae — 13 Julij 1354 anno.

Nicolaus haeres de *Błogocice* et Margaretha conjux Joannis de *Wrocimowice* cum sorore et fratre germano aliam partem ejusdem villae, rege Casimiro consentiente, vendunt monasterio Staniątcensi (¹).

N (²) nomine domini Amen. Cum vendiciones, empciones, et contractus, qualescumque, nullum robor firmitatis ualeant obtinere. Nisi sollempni tytulo literarum et testium annotacione roborentur. Eapropter nos Kazimirus dej gracia Rex Polonie Necnon Terrarum

(¹) Ex tabula pargamena authentica a Sławinscio descriptum. Sigillum abruptum, funiculus tantum restat sericus rubri coloris.

(²) *J* omissum, vide annotationem secundam tabulae ad N°. CXI praemissae.

Cracouie Sandomirie. Syradie Lancicie, Cuyauie. Pomeranieque dominus. et heres, perpetue memorie commendantes, tenore presencium notum facimus vniuersis. Quod accedentes, ad nostram nostrorumque baronum presenciam. Nicolaus, Margaretha coniunx Johannis de *Wrotymouicz* (³), Magdalena, Sorores, cum Johanne fratre ipsarum germano, de *Blogocycz* heredes, sani mente, et corpore existentes, non compulsi. Sed matura deliberacione prehabita. de consensu, et voluntate nostra speciali, totam partem, hereditatis predicte, ibidem in *Blogocycz*, ad ipsos, ex successione hereditaria, legitime spectantem, prout eadem pars, dicte hereditatis, in suis gadibus, circumquaque est distincta ac limitata. Nichil iuris, aut dominij, sibi vel suis successoribus, inibi penitus reseruando, Religiosis Sororibus, et Conuentui, domus de *Stanenthek* Ordinis sancti Benedicti. pro Quadraginta Sex Marcis grossorum Polonicalis numerj, in pecunia numerata vendiderunt, et tytulo vendicionis coram nobis resignauerunt eisdem Sororibus et Conuentui domus predicte. perpetuo. tenendam. habendam. vendendam. commutandam, ac possidendam, pro suaque voluntate conuertendam. Quam quidem vendicionem et resignacionem considerantes, rite et racionabiliter esse factam, cum omnibus et singulis vtilitatibus, ad eandem partem hereditatis spectantibus, ipsam admittendo, de solita nostre Regie maiestatis benignitate, confirmamus. Harum quibus Sigillum nostrum est appensum, testimonio literarum. Actum *Cracouie*, in die beate Margarethe virginis, Anno dominj, Millesimo. CCC. Quinquagesimo quarto. Presentibus hijs testibus Johanne Palatino Sandomiriensi, Sbygneo, Cracouiensi. Otthone Polonie, Floriano Lanciciensi. Cancellarijs. Stanislao Castellano Malogostensi. Petro tribuno Cracouiensi, et alijs multis fidedignis.

(³) *Wrocimowice*, villa parochiae suae caput, in regione sita Proszouicensi, quae est in Regno moderno Poloniae.

CXIV.

Cracoviae — 2 Januarii 1355 anno.

Decretum Francisci praepositi S. Floriani in suburbio Cracoviensi, uti Commissarii Apostolici, inter Żegotam haeredem de Benkowice et abbatem Tincensem dirimens litem et villam *Łopuszna* monasterio adjudicans, executionemque decreti duobus rectoribus ecclesiarum committens (¹).

Franciscus Praepositus Ecclesiae Sancti Floriani in Suburbio Civitatis Cracoviensis Judex authoritate Apostolica per Venerabilem Virum Dominum Franciscum Divina miseratione Abbatem de *Andrejow* ad infrascripta subdelegatus. Discretis Viris de *Radzeszow* et de *Czernechow* (²). Rectoribus Ecclesiarum Salutem in Domino sempiternam et mandatis nostris, imo verius Apostolicis, firmiter obedire. Noveritis Nos litteras ipsius Domini Francisci Abbatis praedicti Sub Sigillo ipsius pendenti manu venerabilis Joannis publici Notarii scriptas, recepisse in haec verba: *(Hic sequitur diploma quod jam sub a.* 1354 *(N°. CX) edidimus.*

Et quia Zegota dictus Aureus Nasus haeres de *Benkowic* nostris litteris citatus ad nostram praesentiam et ex superabundanti iterum legitime et sufficienter evocatus ad instantiam Venerabilis viri Domini Joannis Divina patientia Abbatis et sui Conventus de *Tyncia* (³), in terminis et loco certis sibi assignatis super occupatione *Łopuszna* (⁴)

(¹) Privilegium hoc descripsit ex quodam in Gallicia Tabulario Josephus Lepkowski. In apographo et hac nostra, quam nobiscum communicavit, tabula, mandatum Francisci abbatis Andrejoviensis a. 1354 et in illo mandato breve Innocentii papae VI, a. 1353 continentur. Breve et tabulam abbatis Andrejoviensis suo loco jam supra edidimus.

(²) *Czernichów* villa parochialis olim in Republica, hodie in Magno ducatu Cracoviensi, sui decanatus caput. Villam vero *Radzeszów* in indicibus locorum non habemus.

(³) De illo Joanne videas supra tabulae ad annum 1353 praemissae (N°. CVIII) annotationem secundam.

(⁴) *Łopuszno* villa est parochialis hodie Kielcensis territorii et regionis. Fortasse alia ejusdem nominis hoc loco intelligenda est.

villae vulgariter dictae, dicto Zegotha contumaciter se absentare super petitione dictorum Abbatis et eius Conventus, Jure suadente, habito Sacramento corporali, atque super his habito Consilio Sapientum, Dei nomine invocato, praedicto Abbati et eius Conventui villae praedictae *Łopuszna* (possessionem ratione custodiae et tenutam) tenore praesentium assignamus, vobis et vestrum cuilibet districte praecipiendo, et in virtute Sanctae obedientiae ac sub excommunicationis poena, Canonica monitione praemissa, sex dierum, quarum duos dies pro prima, alios duos dies pro secunda, et reliquos duos continue sequentes pro tertia, quam vos et vestrum quemlibet incurrere volumus ipso facto, si mandatis huiusmodi obedire non curaveritis cum effectu, firmiter mandantes quatenus cum vestrum quilibet requisiti fueritis personaliter descendentes authoritate nostra, qua fungimur, possessionem et tenutam modo praedicto villae praefatae *Łopuszna* dicto Abbati et Conventui de *Tyncia* assignetis, mandantes firmiter et districte ac sub excommunicationis poena praedicta sex dierum Canonica monitione praemissa, omnibus et singulis Cmetonibus et Incolis in eadem Villa *Łopuszna*, a monitione .... vos facta, ut in omnibus licitis et honestis dicto Abbati et eius Conventui obediant, et nulli aly, ac Jura omnia debita dicto Abbati et Conventui faciendo, alios ipsos omnes et singulos Cmetones et Incolas memoratae villae mandato. huiusmodi in obedientes et rebelles, quos nos extunc prout exnunc in his scriptis excommunicamus in Ecclesys vestris infra missarum solemnia excommunicatos .... denuntiet, ac per alios Ecclesiarum Rectores, ubi expediens videritis, nuntiari authoritate nostra faciatis Singulis diebus Dominicis et festivis, tam diu donec a nobis aliud habueritis in mandatis. De executione autem per vos facta, vestris Sigillis appensis praesentes reddatis. Datum *Cracoviae* Anno Domini M. CCC. L. V. Quarto Nonas January.

CXV.

Cracoviae — 1356 *anno.*

Casimirus magnus rex Poloniae privilegium Boleslai Pudici, quo a potestate ducis Oswiecimiensis haeredes de *Trebol* eximebantur, confirmat (¹).

(¹) (Tabula haec legatur in praemissa N⁰. LV, tomi hujus pag. 121. Tempus tabulae incertum, data est enim „in octava beati Jacobi Apostoli." Dies autem Jacobi apostoli est vel 1-ma Maji, vel 25 Julji. Nobis videtur, ultimam diem praeferendam esse, nam prima Maji consecrata est una et Philippo et Jacobo duobus apostolis, cujus rei haud dubio cancellarius vel scriba memor fuit).

CXVI.

Cracoviae — 9 *Maji* 1356 *anno.*

Dirsicrajus dapifer Cracoviensis, a malignis hominibus inductus, litem habuit de parte lacus dicti *Łączany* cum monasterio Tineciensi, sed de jure suo cessit et verum haeredem lacus Joannem abbatem agnovit (¹).

In nomine Domini Amen. Quoniam ea quae geruntur in tempore ne simul evanescant cum Processu temporis, bonum et utile est, ut munimine Sigillorum et Scripti testimonys roborentur; Igitur noverint praesentes et futuri, quod nos Dirscho haeres de *Stognegowicz* (²), Dapiferque Cracoviensis eximij Principis Kasimiri Regis Poloniae, ex inducta malignorum hominum processeramus in lite cum Venerabili Viro Domino Joanne (Abbate) Monastery Tynicensis ordinis Sancti Benedicti et suo Conventu coram Illustri Principe Joanne

(¹) Apographon a Łepkowscio habuimus e tabula authentica descriptum.
(²) Fortasse intelligenda est hic villa *Stojanowice* territorii Miechowiensis, regionis Szkalbmiriensis, parochiae Gorzkowiensis.

Duce Osuencimiensi asserentes, nos habere partem de lacu in *Łanczan* ([3]), ex eo quod ad littus nostrae haereditatis ex una parte idem lacus contingat. Tandem recognoscentes, nos de eodem lacu penitus nullam partem habere, liti cessimus et amicabiliter concordiavimus, et eodem Dominos Abbatem cum suo Conventu Tynicensi veros haeredes facimus, nostris Successoribus legitimis perpetuum silentium de saepedicto lacu imponendo. In cuius rei testimonium praesentibus Sigillum nostrum est appensum. Datum *Cracoviae* Feria sexta in Crastino Beati Stanislai Anno Domini M. CCC. L. VI. Praesentibus Strenuis militibus: Andrea Subcamerario Cracoviensi, Andrea filio Gregory haeredis de *Morawicia,* et alys pluribus fide dignis.

([3]) In antiquis indicibus locorum (vide „Konskrypcya miast)" invenimus in terra (ducatu) Zatoriensi et Oswiecimiensi villam *Łączany* dictam a. 1676. Sed nullam ejusdem nominis villam legimus in editis patrum nostrorum memoria, novis itaque indicibus (Tabella miast, wsi, osad, 1827).

CXVII.

Cracoviae — 19 Augusti 1356 anno.

Wilczko castellanus Sandomiriensis haereditatem suam *Ochmanow* **dictam religiosis sororibus et conventui Staniątcensi vendit ([1]).**

N ([2]) nomine domini amen. Cum vendiciones. Empciones. resignaciones. et contractus qualescumque, nullum robur firmitatis pos-

([1]) E tabula authentica pargamena Staniątciis asservata descripsit Sławiński. Funiculi serici rubri coloris. Sigillum maximae formae, procul dubio majestaticum: effigies in illo regis juvenis diademate insignis, qui densas crines ex utraque parte capitis habet et sine barba est; rex sedet quasi intra templum gothicum, et dextra manu tenet longum sceptrum seu potius virgulam, sinistra vero pomum: super regem duo angeli tenent velum, ad pedes regis vero jacet scutum, in quo dimidium aquilae et dimidium gryphi videntur. In circuitu sigilli leguntur sequentes voces: *Kazimirus di (dei) gra (gracia) rex Polonie. Cracovie. Sandom(irie) sirad(ie) lan.... av. (lancicie cuiavie) pomoraie (pomoranie).*

([2]) Characterem *I* scriba omisit, qua de causa, vide supra annotationem secundam ad tabulam N°. CXI praecedentem.

sint obtinere, Nisi sollempnj tytulo literarum et testium annotacione roborentur, Eapropter. Nos Kazimirus dej gracia Rex Polonie. Necnon Terrarum Cracouie. Sandomirie. Syradie. Lancicie. Cuyauie. Pomoranieque dominus et heres. perpetue memorie commendantes tenore presencium, notum facimus vniuersis. Quod accedens ad nostram et baronum nostrorum presenciam. Nobilis vir dominus Wilczko Castellanus Sandomiriensis. heres de *Byrkow* (3) sanus mente et corpore existens non compulsus. nec coactus. neque per aliquem errorem seductus. Sed de bona et matura deliberacione animj sui prehabita. de consensu et voluntate nostra speciali. hereditatem suam *Ohmanow* (4) dictam sitam in districtu Cracouiensi, cum omnibus vtilitatibus. vsibus. fructibus. redditibus. Censibus, aquis. pratis et singulis pertinencijs ad ipsam hereditatem spectantibus. prout in suis metis et terminis circumferencialiter est distincta. ac cum toto Jure et dominio. prout solus tenuit. nichil penitus pro se et suis amicis et propinquis quibuscumque reseruando, Religiosis. Sororibus et Conuentuj domus de *Stananthek*. Ordinis sancti Benedicti. pro ducentis. Quadraginta Marcis grossorum pragensium. quadraginta Octo grossis pro marca qualibet computatis, vendidit irreuocabiliter libereque coram nobis resignauit. eisdem Sororibus et Conuentuj domus predicte perpetuo tenendam., habendam. donandam. vendendam. commutandam. ac possidendam. pro suaque voluntate conuertendam. Quamquidem vendicionem et resignacionem, considerantes, rite et racionabiliter esse factam. ipsam admittendo. de solita nostre Regie maiestatis, benignitate confirmamus, Harum quibus Sigillum nostrum est appensum. testimonio literarum. Actum *Cracouie* feria sexta proxima post diem Assumpcionis sancte Marie, Anno dominj. Millesimo. Treecentesimo. Quinquagesimo. sexto. presentibus hijs testibus Johanne. Woy-

(3) *Byrkow* anni 1356, fortasse *Bierkowice* a. 1676, quae villa fuit in parochia Dziekanowicensi, regione vero Szczyrzycensi, in Gallicia • In regno moderno Poloniae sunt regionis Stobnicensis nonnullae villae *Borkow* nominatae, et non procul a Cracovia ipsa, in chartis geographicis villam *Borkow* legimus. Benevolus lector inter illas eligere potest villam, quae hereditas fuit castellani Wilczkonis.

(4) *Ochmanow* villa antiqui palatinatus Cracoviensis, regionis Szczyrzycensis, parochiae Bodzanowiensis, hodie in Gallicia.

nicensi, Stanislao Malogostensi. Zauisza Sandecensi. Castellanis. Hermanno Cancellario Cuyauiensi. et Procuratore generali nostrarum Terrarum. videlicet. Cracouiensis. et Sandomiriensis. Andrea SubCamerario. Petro Tribuno. Cracouiensibus. Et alijs multis fidedignis, Datum per manus dominj Sbignej nostrj Cancellarij Cracouiensis.

CXVIII.

Cracoviae — 8 Junii 1357 anno.

Andreas de *Żorawice* cum uxore sua, antiquas limites inter villam suam *Sosnka* dictam villasque *Baczyczyn* et *Rybna* monasterii Tinecensis, roborat (¹).

In nomine Domini Amen. Omni calumniae via praecluditur, id quod scripti testimonio roboratur. Igitur noverint praesentes et futuri praesens scriptum inspecturi, Quod Nos Andreas olim Gregorij haeredis de *Soravicia* (sic) vitantes discordias sed orationes affectantes et etiam ratione confraternitatis, quam habemus una cum charissima coniuge nostra Agnete apud Dominos et Fratres Monasterij Tynecensis limitationes gaduum (sic) fecimus inter haereditatem nostram dictam *Sosnkam* et ipsorum haereditatem *Baczyczyn* cum Venerabili in Christo Patre Domino Joanne Abbate Monastery Tynecensis praedicti, Ordinis Scti Benedicti et suo Conventu de bona voluntate et deliberatione ita quod dictae Gades, quae pronunc inter *Sosnkam* et *Baczyczyn* limitatae sunt, et etiam Gades inter *Rybnam* et *Sosnkam*, quae iam longo tempore sunt limitatae et pacifice et quiete ex utraque parte possessae, debent in eadem limitatione perpetuis temporibus permanere, ita tamen etiam quod absit, si qua pars, tam nos seu nostri. Successores legitimi, quam etiam praedicti Dominus Abbas Tyncensis cum suo Conventu, vel possessores legitimi eiusdem Monastery praedictas Gades in supradictis haereditatibus, videlicet inter

(¹) Descripsit Łepkowski ex quodam Gallicienai Tabulario.

Sonkam, Baczyczyn et *Rybnam,* quovis modo infringere vellet, extunc parti Gades tenenti ante omnia Quadraginta Marcas grossorum Pragensium usualis monetae prius persolvat, deinde persoluta Summa pecuniae praetactae, ad renovandas saepedictas Gades procedat. Data *Cracoviae* Feria Tertia infra octavas Corporis Christi. Anno Domini M. CCC. LVII. In cuius rei testimonium praesentibus Sigillum nostrum est appensum. Acta sunt haec praesentibus Honorabilibus et Nobilibus viris Domino Hermano Procuratore generali Eximij Principis Casimiri Regis Poloniae, Custode Sancti Floriani Cunione (²) Andrea haerede de *Wanrowicz,* Imramo de *Rogow,* Przeczslao de *Korzenowicz.*

(²) *Cunione* legit Łepkowski sed nobis videtur falso; Cracoviam hoc loco intelligendam esse, res ipsa loquitur.

CXIX.

Sandeciae — 7 Junii 1348 anno.

Casimirus magnus rex Poloniae, ne cives de antiqua Sandecia jure teutonico utentes ad judicia Polonica trahantur, statuit. Conditio de sale in terram Scepusiensem vecto (¹).

In nomine Domini Amen. Quod magnifica Regum fieri decrevit auctoritas Ratum atque stabile perpetuo debet permanere. Proinde Nos Kazimirus Dei gracia Rex Polonie, Necnon Terrarum Cracovie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Pomeranie Russieque dominus et heres. Noticie universorum tam presencium quam futurorum presentibus declaramus, Quod Serenissima Princeps Neptis nostra Karissima Domina Constancia (¹) Olym Ducissa Glogoviensis, pronunc vero devota Christi Ancilla, Soror Ordinis sancte Clare Abbatissaque sancti-

(¹) Apographon a Łepkowscio descriptum.

(¹) Constantia haec fuit filia Bernardi ducis Swidnicensis in Silesia et Cunegundis filiae Vladislai Loctici, itaque fuit neptis Casimiri regis ex sorore germana. Nupsit vero Constantia duci Glogoviensi Premislao, qui Saganum urbem inferioris Silesiae tenuit.

monialium Cenobij Sandecensis nostre Regie celsitudini humiliter supplicavit, Ne homines ipsarum, videlicet Cives de Antiqua *Sandecz* (²) ad iudicia Castellanorum traherentur ad iudicandum, et ut suo iure Thewtonico, super quo sunt per ipsam ac per totum Conventum fundati et firmiter radicati, ipso iure in pace frui permitterentur. Nos itaque peticioni eius in hac parte acquiescentes supradictos cives ab omnibus iuris (sic) iurisdicionibus Palatinorum, Castellanorum, Judicum, Subiudicum, Officialium, Ministerialium, Justiciariorum nostri Regni et a quibusvis Angarijs et pre-Angarijs (sic) Polonicalibus, quocumque nomine censeantur, ipsos omnino facimus fore absolutos, liberos, immunes et exemptos, Ita ut coram eis aut aliquo eorum minime debeant respondere in causis tam parvis quam magnis Capitalibus, criminalibus, Puta: furti, Sanguinis, Homicidij, Incendij, Sacrilegij ac alijs quibuscunque, sed tantummodo unus quisque eorum coram suo Advocato omnibus de se querulantibus suo iure thewtunico respondebit et ibi unusquisque prout demeruerit, audacter puniatur. Insuper quia corpus matris nostre diligende ibidem requiescit, Unde ut animam eius eo diligencius in memoria habeant, Nos de nostra regia benignitate in recompensam huius, civitati ipsarum gratanter volumus subvenire Tali sub favore; Quod quicunque ex civibus prefate civitatis Terram Cipsensem (sic) (³) Sal ducere voluerint, illis omnibus et cuilibet ipsorum in Zuppis nostris videlicet *Welyczka* et in *Bochna* unumquemlibet Centenarium Salis per quatuor grossos monete usualis dari assignamus Zupparijs nostris, qui pronunc sunt aut qui pro tempore fuerint firmiter iniungentes hoc perpetuo inviolabiliter observari. Et in robur perpetue firmitatis huius nostre donacionis presentes sigilli nostri appensione duximus roborare. Actum in *Sandecz* feria quinta, In octava corporis Christi. Anno Domini Millesimo CCC°. Quinquagesimo Octavo. Presentibus hijs testibus: Petro Tribuno Crac., Wijczga Capitaneo Sand. (⁴), Wijrzbantha

(²) *Stary Sącz.* — (³) *Zips* germanice, *Ziemia Spiska*, vide jam supra tabulam ad N°. XLV praemissam, annotationem ejus vero primam.

(⁴) *Sandecensi*, non Sandomiriensi, uti legimus in transumpto a. 1461 (conf tabulam inferius typis exaratam). Wyczgam fuisse a. 1358 capitaneum sandecensem non dubita-

de *Maloszow* (⁵), Mroczkone de *Sandzisszowiycz* (⁶), Jaszkone de *Rudno* (⁷) heredibus, et Johanne dicto *Gladysz* Viceprocuratore Sandecensi. Datum per manus domini Johannis Cancellarij nostri.

nus, nam illius legimus testimonium sororibus S. Clarae Sandecensibus datum de certa aqua et molendino in opere jam laudato „Dodatek tygodniowy," 1852. Nr. 44.

(5) *Maloszow* villa parochialis in regione Miechoviensi, sed et altera villa *Maloszow* est parochiae ad oppidum *Xiąż Wielki* spectantis, in regione Szkalbmiriensi.

(6) *Sędziszowice* villa parochiae ad Rachwałowice spectantis, regionis Szkalbmiriensis, territorii vero Miechoviensis.

(7) *Rudno dolne* et *Rudno górne*, duae villae sunt in territorio Miechoviensi, regione vero Proszowicensi (villae sunt parochiae Poborowicensis).

CXX.

Niepolomiciis — 4 Octobris 1358 anno.

Erectio ecclesiae parochialis in villa *Niepolomice* **dicta, a Casimiro magno rege Poloniae** (1).

In nomine domini Amen. Cum domus dei, hoc est Ecclesia Militans, per Christi fideles, presertim Reges et Principes, Salomonis exemplo, fundari debeat, edificari, dotari, ac in suis Juribus conseruari, vt in ipsa deum deuocius, suis cum subditis, adorantes, bonis temporalibus in pace tranquilla, mereantur ab ipso deo consolari, et post uite huius tempora, in Ecclesia triumphante perpetue vite gaudio premiari, Proinde Nos Kazimirus dei gracia Rex Polonie, ac Russie, necnon terrarum et Ducatuum Cracouie, Sandomirie, Syradie Lancicie, Mazouie, Dobrinie, Cuyauie, Pomoranieque, dominus verus et heres, perpetue memorie commendantes, tam presentibus quam futuris, harum seriem literarum inspecturis, notum facimus quibus

(1) E tabula pergamena authentica Niepołomiciis apud praepositum loci et canonicum Słupscium asservata. Funiculus rubri coloris sericus. Reliquiae tantum sigilli majestatici videntur; in illo caput collum et dorsum magnae aquilae Polonorum exhibita cum una ala, aquila vero corona est redimita, in ambitu verba penitus deleta: „*Kazimir*......... *moraie*" ex altera vero parte sigilli angelus cum vero conspicitur et leguntur verba (finalia), inscriptionis: *pomoraie*.

expedit vniuersis, Quod in domino nostro Jesu Christo, et in gloriosis sanctis eius, decem milia Martiribus, deuocionem habentes specialem, Saneque aduertentes, quomodo idem dominus noster Jesus Christus, quibus miraculis gloriosa in sua passione, quam pro nostra dignatus est pati salute choruscauit (sic), eosdem gloriosos decem milia Martires, in eorum passionis et martirij, hora, eisdem miraculis mirabiliter decorauit, ad laudem et honorem ipsius dominj nostri Jesu Cristi, et eorundem sanctorum decem milia Martirum Ecclesiam in uilla nostra *Nepolomicze* ([2]) wlgariter nominata, mente deuota duximus erigendam, fundandam et construendam. Cupientes itaque tamquam eiusdem Ecclesie fundator primeuus et pronnus (sic), tota deuocione, ut in eadem Ecclesia eo amplius, crebrius, et deuocius cultus diuinus celebretur et augeatur quo melius laucius et largius de sustentacione temporalium, ipsam officiantibus donetur et prouideatur. Hos reditus fructus et prouentus sicuti et fundacionis dicte Ecclesie Ita et consecracionis aut dedicacionis tempore celebrata per Reuerendissimum in in Christo patrem, dominum Jaroslaum de *Bogoria*, sancte Gneznensis Ecclesie dignissimum Archiepiscopum, pro dilecti nostri et deuoti Capellani, dominj Pelcze, Rectoris predicte in *Nepolomicz* Ecclesie, et deinde suorum, qui pro tempore fuerint, successorum, honesta sustentacione, damus, ascribimus, appropriamus et incorporamus perpetuis temporibus nostri dominij et proprietatis Jure, facultate cum omnimoda percipiendos, tenendos, habendos, et in suos usus conuertendos in iam dicta nostra villa *Nepolomicze* vnam thabernam, agros omnes et singulos, qui ad nostram ibidem Curiam pertinebant, ad falcandum de pratis, et aliter quoquomodo disponendum pro quadraginta curribus bonis, et in magnis pratis iacentibus contigue iuxta prata eiusdem nostre ville. In siluis eciam nostris, ad eandem nostram spectantibus uillam, dicto domino Pelcze Rectori predicte nostre in *Nepolomicz*. Ecclesie. Suisque post eum quibuscumque successoribus, pro edificijs reformandis, uel de nouo construendis, uel

([2]) De villa *Niepolomice* legas supra tabulam anni 1350, ad N°. CIII praemissam et praecipue ejus annotationem secundam.

pro quibuslibet suis usibus habendis, excidere, ac educere, sit licitum, inpedimento cuiusuis conquiescente. Preterea damus et appropriamus eidem domino Pelcze cum suis in dicta nostra Ecclesia successoribus, in montanis nostris, seu in zuppa salis in *Bochna* singulis omnium et singulorum annorum quatuor temporibus, vnam marcam grossorum Pragensium numerj Regnj nostri Polonie, videlicet quadraginta VIII grossos pro marca computando, ac vnam mensuram salis albj minuti et cocti. Ceterum ut splendor luminaris in iamdicta nostra Ecclesia, ad decus et gloriam corporis dominj nostri Jesu Christi, qui est candor lucis eterne Reliquiarumque predictorum decem milia martirum, et aliorum sanctorum in ibi degencium continuis et claris diebus, offuscatisque noctibus, lympidius clareat, splendeat, et elucescat, antedicto domino Pelcze Rectorj Ecclesie iamdicte et suis successoribus damus in perpetuum et atribuimus, eciam quibuslibet quatuor temporibus, annis singulis vnum lapidem fuse cere et alium sepi (sic) fusi, ibidem, in *Bochna* zuppa nostra, percipiendi tollendi, et cum liberalitate totali. habendi et possidendi. In consolacionem vero iamdicte nostre in *Nepolomicz* Ecclesie de nostre magestatis Regie speciali benignitate, premissa omnia per nos decreta, et domino Pelcze Rectori predicto ipsius Ecclesie cum suis, ut prefertur successoribus liberaliter et deuotissime atributa et appropriata vt nostros quoslibet per successores firmiter obseruentur, eorum consciencias hortamur et honoramus (sic). Quia que iam Christo, et suo sunt cultuj diuino dedicata, ad humanos amplius vsus nullatenus sunt reuocanda. In quorum omnium clariorem efficaciamque firmiorem, presentes scribi et appensione nostrorum sigillorum communiri (sic). Actum in *Nepolomicze* uilla nostra predicta Anno dominj Millesimo, Trecentesimo Quinquagesimo VIII° die beati Francisci confessoris, quo fuit dicta nostra ibidem Ecclesia dedicata. Presentibus dicto domino Jaroslao Archiepiscopo, Preclaro Semouito duce *Warssouie* principe nostro, Ottone Polonie, Floriano Lancicie Cancellarijs, Petro Tribuno Cracouiensi Zauissa Castellano Sandeczensi, Nicolao Werzing (³) dapfero Sando-

(³) Wierzynek.

miriensi et alijs multis Baronibus nostris fidedignis. Datum per manus Reuerendi viri dominj Janussij decretorum doctoris Cancellarij nostri Cracouiensis et decanj.

CXXI.

Cracoviae — 30 Septembris 1359 anno.

Casimirus Rex Andreae et Nicolao fratribus germanis in silva juxta fluvium *Jodlowa*, in territorio Biecensi, villam nomine *Jodlowa* jure teutonico locandam permittit (1).

In nomine domini amen. Nos Cazimirus Rex Poloniae etc. Notitiae universorum etc. Quod de nemoribus et sylvis Regni nostri fructibus et utilitatibus amplificare cupientes, providis viris Andreae et Nicolao fratribus germanis in sylva iuxta fluvium *Jodlowa* vulgariter dictum in teritorio Biecensi villam iure Theutonico Maidemburgensi octuaginta mansos franconicos continentem, incipiendo a fine ipsius villae prout ad eius locationem arbores sunt succise sursum ab utraque parte fluvij praedicti sic, quod longitudo agrorum ab una parte se extendat, ad fluvium *Wisloca* (2) vulgariter nominatum locandi damus et concedimus plenam et omnimodam potestatem nomen eidem villae ex nunc *Jodlowa* imponendo, ipsos Andream et Nicolaum ac eorum legitimos successores in ipsa villa *Jodlowa* Scultetos perpetuo faciendo, Ratione cuius locationis dicti Sculteti quatuor mansos liberos cum quatuor hortis, tabernam liberam cum braxeatorio, molendina

(1) Tabulam hanc descripsit ex libris manu scriptis vulgo „Metryki koronne" dictis, in Tabulario Regni Varsoviae asservatis, doctissimus Muczkowski (Metr. vol. 98, pag. 139 et seqq.). Muczkowski illam ex confirmatione regis Sigismundi Augusti deprompsit. Regem Bonarii (Bonarowie) rogaverunt, ut eorum privilegia super villam *Jodlowa* confirmaret, quorum supplicationibus rex permotus, privilegium hoc antiquum Casimiri magni die 22 martii 1564 confirmavit. Conf. tabulam jam supra ad N°. CVII praemissam. De villis etiam supra.

(2) *Wisłoka* rivulus hodie in Regno Galliciae, qui in Vistula habet ostia Conf. hujus codicis T. I, pag. 205 et 231.

cum piscinis, quodcunque intra limites dictae villae construere poterint (sic), et specialiter unum molendinum in praedicto fluvio *Wijsloсza* constituent pro sua utilitate tam (sic) sine praeiudicio aliarum villarum quarumcunque. Item mensam panum, mensam carnium, mensam sucorum et unum fabrum ac alias omnes utilitates, quas ante ipsius villae limites iuxta dicti iuris Theutonici exigentiam facere poterunt, pro sua melioratione sine nostro praeiudicio et damno libere tenebunt et habebunt de nostra gratia speciali. Item pro ecclesia dictae villae duos mansos liberos et pro pascuis communibus, sive pellendo grege, quae vulgariter *scholnicza* nominatur, duos mansos liberos assignamus, ecclesiam praedictam (sic) Sculteti sextum denarium census et tertium denarium iudicij, duobus tamen pro nobis reservatis, de quacunque re iudicata percipient, que omnia et singula ab omnibus et singulis solutionibus perpetuis temporibus saepe dicti Sculteti tenebunt et possidebunt libera et soluta cum potestate ipsam Scultetiam vendendi, donandi, possidendi et commutandi nostra tamen seu nostrorum successorum voluntate ad hoc primitus requisita et obtenta. In et super de gracia nostra speciali, ut sylvam citius possint extirpare duos denarios iudicij pro nobis reservatos de poenis parvis saepedictis Scultetis pro subsidio infra annos libertatis concedimus percipiendos, post annos vero libertatis, praedicti duo denarij ad nostrum Thesaurarium remittentur. Ipsi vero Sculteti et eorum successores nobis et nostris successoribus ratione dictae scultetiae, in equo sex marcarum cum una asta prout decem (sic) ad quamlibet expeditionem servire sint astricti. Cmethones quoque singulis annis in festo S. Martini octo scuttos (sic) grossorum de quolibet manso ratione census, pro decima vero fertonem grossorum solvere teneantur. Insuper Sculteti et Cmethones memorati ter in anno, quando iudicium generale consuetum est celebrare, nuntium nostrum recipient, et in expensum videlicet Sculteti semel et Cmethones bis decenter procurabunt, aut pro quolibet prandio unum fertonem grossorum persolvent, praeterea absolvimus saepedictos Scultetos, successores et familias ipsorum et incolas saepedictae villae ab omnibus iudiciis et potestatibus, Palatinorum Castellanorum Judicum et Subiudicum et

Ministerialium Regni nostri, ita quod coram ipsis vel eorum aliquo pro causis tam magnis quam parvis, puta furti, sanguinis, homicidij, incendij, et aliis universis, nulli penitus respondebunt, nisi Cmethones coram Scultetis seu Sculteto suo iure Theutonico, et Scultetus seu sculteti coram nobis, aut nostro iudicio generali, dum tamen per literam nostro sigillo signatam citati fuerint, tunc de iure suo Theutonico de se querulantibus respondere tenebunt (sic). In causis autem criminalibus Scultetis seu Sculteto supradictae villae secundum quod ipsum ius Theutonicum postulat, et requirit, iudicandi, sententiandi et puniendi, plenam et omnimodam concedimus facultatem. Harum etc. Datum *Cracoviae* in Crastino S. Michaelis Archangeli Anno domini 1359. Praesentibus etc. (³).

(³) „Praesentes" in apographo privilegii in ipso libro manu scripto Tabularii Regni desunt.

CXXII.

Lanckoronae — 4 Octobris 1359 anno.

Casimirus magnus rex Poloniae Joanni de *Skrona* silvam in terra Cracoviensi prope castrum *Lanckorona* dictum, confert (¹).

In nomine Domini Amen. Quod magnifica Regum decreuit fieri auctoritas ratum atque stabile debet perpetuo permanere et apparere. Nos Kazimirus Dei gratia Rex Polonie terrarumque Cracouie Sandomirie Syradie Lancicie Cuiauie Pomeranieque dominus et heres. Notum facimus vniuersis tam presentibus quam futuris presentium noticiam habituris. Quod volentes vtilitates Regni nostri peramplius dilatare. Siluam nostram sitam in terra Cracouiensi prope Castrum *Landiscronensem* (²) circa flumen dictum vulgariter *Skaninka* exposuimus

(¹) Tabula propria Leonis Rzyszczewscii.

(²) Castrum *Landiskronense*, *Landskrone* apud Germanos, vulgo urbs *Lanckorona* dicta. Ipsum nomen testatur, coloniam teutonicam olim *Lanckoronam* fuisse. Rex Casimi-

honesto viro Johanni de *Screna* ad locandam in eadem villam XXV mansibus franconicis Jure theutunico Maydeburgensi quam denouo *Skawinka* ([3]) volumus appellare ratione cujus locacionis Johannes predictus cum suis legitimis successoribus habebit Sculteciam ibidem perpetuo ac hereditarie cum iuribus infrascriptis videlicet vnum mansum liberum vnam Tabernam liberam bancam panum Sutorum Macellam carnium Sextum denarium censualem tertium denarium de qualibet re Judicata duobus vero pro nobis reseruatis Incrementa omnia eciam Molendinum in descensu fluuii sub piscina Regis poterit collocare eciam addimus ipsis de gracia nostra speciali medium mansum pro pellendo grege et medium pro via que vulgariter *scotincza* nominatur. Ad iudicia vero magna que ter in anno fieri consueuerunt que bannita dicuntur nostro .... quem ad hoc constituemus Scultetus vnum prandium et kmethones duo prandia dabunt vel pro quolibet prandio ferconem grossorum dare tenebuntur. Insuper ville kmethones predicte libertate expirata de quolibet manso singulis annis nobis et nostris successoribus in festo sancti Martini ratione census mediam marcam pro pecunia vero cu (sic) deiure debetur vnum fereonem grossorum .... vero vnam mensuram siliginis et unam mensuram auene vbi diuina audierint et ecclesiastica perceperint sacramenta soluent et soluere sint astricti. Eciam scultetus predictus ad quamlibet expedicionem generalem vnam Marcam grossorum ratione .... sit soluere astrictus. Preterea Scultetum kmethones et incolas ville predicte absoluimus ab omnibus iuribus et iurisdictionibus omnium palatinorum Castellanorum. Judicum subiudicum misterialiumque (sic) ipsorum itaque coram ipsis pro causis magnis et paruis puta furti sanguinis homicidii ac aliis omnibus causis citati minime respondebunt sed tamen kmethones ville predicte coram suo Sculteto predicto suo Jure

rus Magnus advocato cuidam hanc urbem locandam permisit a. 1361. Urbi jam fundatae privilegium erectionis a. 1366 dedit, posteaque vero testamento et urbem et castrum fratribus de *Brzezie* donavit. Conf. opus „Starożytna Polska" T. II, pag. 234. *Lanckorona* est ad rivulum *Skawina* dictum. Fuit olim in regione Szczyrzycensi (1676).

([3]) *Skawinka* est villa, quae a. 1676 ad parochiam Lanckoronensem attinebat. *Skawina* vero fuit eodem tempore in regione Czchovensi villa parochialis.

Thevtunico respondebunt Scultetus coram nobis vero vel nostro Judice generali dum tamen per nostram litteram nostro regio sigillo sigillatam citatus fuerit, tunc de se querulantibus suo Jure Thevtunico tenebitur respondere, dantes sculteto et scabinis ville predicte in causis criminalibus videlicet furti sanguinis homicidii superius expressati sentenciandi condempnandi puniendi plenam et omnimodam potestatem. vt autem villa predicta eo celerius valeat collocari omnibus et singulis kmethonibus Sculteto et incolis locandis in villa predicta ab omnibus nostris exaccionibus angariis et perangariis collatis et tributis ab anonis que *sep* dicuntur nec non ab aliis nostris solucionibus quibuscunque nominibus censeantur et anostris (sic) regalibus laboribus a data presencium ad spacium viginti annorum damus et concedimus plenam et omnimodam libertatem. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus appendendum. Actum in castro *landiskronensi* in die sancti francisci confessoris Anno domini MCCCL nono Presentibus hijs testibus domino predwoyo capitaneo cuiauiensi Swetopelcone Castellano Siradiensi Swentoslao (4) Suctesaurario domino przedborio herede de *brzeze* (5). Andrea dicto *latala* Pelca de *coscelecz* (6) et aliis quam plurimis fidedignis. Datum per manus domini Janussij Cancellarij Cracouiensis (7).

(4) *Swiętosław*, subthesaurarius, vulgo *Podskarbi*, legitur in opere historico jam laudato: „Źródła do dziejów polskich M. Gr." l. 138, sub. a. 1359.

(5) *Przedborz* de *Brzezie*, de *Brzosczie*, jam subdapifer cracoviensis legitur a. 1367 in privilegio, quod continet donationem fontium salis in villis dictis *Nowica* et *Wtrop* (*Uterop*) a Casimiro magno factam cuidam nobili in Russia rubra (conf. Hieronymi Łabęccii „Górnictwo w Polsce," id est corpus juris metallici polonici antiquioris T. II, pag. 101. Fratribus de *Brzezie* rex Casimirus urbem *Lanckoronam* donavit testamento (vide annotationem primam ad hanc tabulam), hanc ob causam fratres de *Brzezie*, Lanckoronenses more polonico id est vulgo *Lanckoronscy* appellabantur.

(6) *Pelka* de *Kościelec* legitur ap. Łabęccium l. c. sub. a. 1367, uti „Marsalko curie regaliae." *Kościelec* villa parochialis Miechoviensis territorii et Szkalbmiriensis regionis.

(7) Joannes de *Strzelce*, dictus *Suchywilk*.

CXXIII.

Szymbark — 24 Decembris 1359 anno.

Erectio ecclesiae parochialis in oppido dicto *Szymbark* a Joanne Gładysz milite aurato et viceprocuratore Sandecensi facta (1).

In Nomine Domini Amen. Joannes paterno cognomine *Gladysz* (2), Miles Auratus Suae Majestatis Rev. Domini Casimiri Dei gratia Regis Poloniae Illustris Aulicus, Viceprocurator Sandecensis, Oppidi *Scheinberg* (3), et villarum ad illud spectantium in utroque littore fluvii *Ropa* nuncupati, sursum tendendo, et in omnibus littoribus omnium rivulorum in *Ropam* cadentium, a dextris et sinistris circumcirca iuxta ejusdem Majestatis Privilegium jure Theutonico locatorum et adhuc locandorum perpetuus heres et dominus; ad notitiam omnium praesentium et futurorum deducimus: quomodo Nos pro erigenda Ecclesia in oppido nostro *Scheinberg*, collocandaque ad curam animarum, Presbytero Aream cum Horto et Agro, intra metas Colonorum nostrorum emensurato, dedimus, donavimus et assignavimus, nec non quatuor Marcas pecuniae communis pro decima praediali quoque anno solvendas. Cui Ecclesiae item locatus locandusque colonus quilibet ab extirpato pro decem et sex metretis agro, unam metretam avenae singulis annis pendere, prouti etiam ad culturam agri eccle-

(1) Apographon a Łepkowscio habuimus.

(2) *Szymbark*, olim, uti ex tabula nostra apparet, *Scheinberg*; oppidum erat regionis Biecensis (1676), hodie in Gallicia.

(3) Łabęcki in suo Corpore juris metallici polonici antiquioris edidit privilegium, cui titulus sequens: „Privilegium Casimiri magni ex anno 1368, quo Johanni Gładysz conceditur ut pro cessione haereditatis villae *Brzeszcze*, possideat haereditarie magistratum montium Bochnensium cum facultate incidendi sal in Zuppa Bochnensi, quatuor hominibus seu famulis" (videas „Górnictwo w Polsce" T. II, p. 102). Joannes Gładysz ille Łabęccii, noster quoque est miles auratus et a. 1359, viceprocurator Sandecensis, qui non longo temporis intervallo post et jam a. 1368 procurator Sandecensis fuit. Certe Gładysz generi Lanckoronsciorum, de quibus jam diximus in annotatione quarta tabulae ad N°. CXXII praemissae, adnumerari potest.

siastici bis per annum concurrere, Mensaliaque Presbytero offerre tenebitur; idque harum literarum vigore, suae Majestatis Privilegio pro ratis et apud posteros stabilibus ac perpetuo debere permanere declaratis, quas in testimonium firmioris roboris etc. subappenso gentilitio stemmate propria manu subscribimus. Actum in Castro nostro oppidi *Schreinberg,* in ipsa vigilia Nativitatis Domini. Anno Ejusdem M. CCC. LIX. Praesentibus amicis nostris et pluribus fide dignis. Joannes *Gładysz.*

CXXIV.

Cracoviae — 19 *Februarii* 1360.

Bodzantha episcopus Cracoviensis ecclesiae in *Niepołomice* parochiali decimas confert, ad regis Casimiri voluntatem (1).

In nomine domini amen, Dignitas Pastoralis officij sollicite nos inducit vt augmentacioni cultus diuini et maxime paci et tranquillitati fratrum nostrorum et aliorum nobis subiectorum efficaciter intendere debeamus. Nouerint igitur vniuersi quibus expedit presencium per tenorem Quod Nos Bodzatha diuina et sedis apostolice prouidencia Episcopus ecclesie Cracouiensis Considerantes quomodo honorabilis vir dominus Nicolaus Custos noster Cracouiensis decima sua in *Nepolomice* pacifice frui non poterat propter assiduum Principis ibidem aduentum, ad complacenciam itaque et voluntatem Serenissimi Principis et domini nostri domini Kazimiri dei gracia Regis Polonie Illustris, qui ductus deuocione ecclesiam ibidem in honorem sanctorum decem millium martirum fundari procurauit, vt Rector ipsius ecclesie eo deuocius quo vtilius et comodius diuinis laudibus valeat inherere,

(1) Ex tabula authentica membranacea Niepołomiciis, apud praepositum loci asservata: funiculi duo viridis coloris. Sigillum unum oblongum et satis magnum repraesentat effigiem episcopi in pontificalibus in templo quodam gothico sedentis, apud episcopi pedes scutum conspicitur, in quo stella cum quinque foliis, in ambitu vero verba leguntur: *S. (igillum) Bodzathe dei gracia episcopi cracoviensis.* Alterum sigillum desideratur.

eandem decimam in *Nepolomice* integraliter de bona voluntate et consensu prefati domini Nicolai Custodis Cracouiensis, memorate ecclesie in *Nepolomice* et Rectori ipsius qui pro tempore fuerit ad vsum, damus attribuimus ascribimus et perpetuo assignamus per iamdictam ecclesiam in *Nepolomice* et Rectorem eius qui pro tempore fuerit perpetuis temporibus tenendam habendam possidendam et pro sua voluntate comuertendam, Declaramus insuper quod in recompensam eiusdem decime prelibato domino Custodi Custodie (sic) et successoribus ipsius decimas videlicet in *Cobile* (²) et medium *Rogoszicze* (³) damus attribuimus et iungimus perpetuo permansuras. Que omnia recognoscimus de consensu Capituli nostri Cracouiensis fore celebrata. In quorum omnium testimonium nostrum et iamdicti Capituli nostri Sigilla presentibus sunt appensa. Actum et Datum *Cracouie* die Cinerum Anno domini M°. CCC. Sexagesimo Presentibus viris honorabilibus dominis Johanne decano Floriano preposito Nicolao Archidyacono Arnaldo Scolastico Petro Cantore Sweslao Officiali Cracouiensibus et alijs multis fidedignis.

(²) *Kobyle*, villa palatinatus olim Cracoviensis, regionis vero Czchovensis, parochiae ad oppidum *Wiśnicz Stary*, quod in Gallicia, spectantis.
(³) Villam *Rogoczyc*, frustra in variis locorum indicibus, quaesivimus. Confer alias tabulas in hoc tomo tertio Codicis praemissas, de Niepołomicensi ecclesia.

CXXV.

Tineciae—11 Maji 1360 anno.

Joannes Abbas Tinecensis vendit terras extirpatas in confiniis villae, *Busko* dictae, cuidam Thomae et sorori ejus (¹).

In nomine Domini Amen. Quoniam ea quae geruntur in tempore ne simul evanescant cum processu temporis bonum et utile est ut

(¹) Apographon a Łepkowscio habuimus.

munimine Sigillorum et scripti testimonys roborentur; Igitur noverint praesentes et futuri praesens scriptum inspecturi, Quod Nos Joannes Divina miseratione Abbas Monastery Tynciensis Ordinis Sancti Benedicti totiusque Conventus Fratrum Monastery eiusdem cupientes bona Monastery nostri ampliare, vendidimus Provido Viro Thomae et sorori ipsius Catherinae Natis Jaclini pro quatuor marcis grossorum Pragensium usualis monetae extirpationes adiacentes villae antiquae dictae *Busko,* quae extirpationes incipientur a Pasconis extirpatione et procedent usque ad densam silvam, inter quas extirpationes dictus Thomas Sororque ipsius Catherina unum mansum usque ad viginti annos libere possidebunt, elapsis vero viginti annis, solutionem de ipso facient ut de ceteris mansis, vel alteri ad solutionem vendere tenebuntur. Damus etiam dictis Thomae Sculteto Sororique ipsius et eorum legitimis Successoribus ad locandum ibidem Silvam Jure Maydeburgensi in tribus Rivulis, videlicet *Liwocz*, *Liwoczka* et *Chwoszczyna* una cum agris extirpatis Quinquaginta Mansos Franconicos. Ratione vero locationis praedictae Silvae, ipse Thomas et Soror ipsius Catherina et ipsorum legitimi Successores... Mansos liberos, duas Tabernas, Macella carnium, mensam panum et Sutorum Fabrile, Molendina, piscinas, quotquot construere poterit absque impedimento Incolarum, libere possidebunt, illa duntaxat piscina excepta, quam Dominus Abbas pro utilitate domus reservavit; Incolae autem qui inibi locati fuerint, a tempore locationis super extirpatis agris sex annis, et super silva, viginti annis gaudebunt libertate, expirata autem libertate de quolibet manso mensurato Nobis et nostris Successoribus Novem Scotos grossorum monetae praedictae pro Censu, et sex pro decimis Rectori Ecclesiae singulis annis in Festo Beati Martini solvere tenebuntur, Scultetus autem sextum denarium Censualem pro se reservabit, nobis quinque praesentatis, et tertium denarium de Judicio provenientem, Tria prandia quovis anno et pro quolibet prandio sex scotos, de quibus prandys ipse scultetus unum fertonem, et incolae duos fertones nobis persolvent. Insuper etiam omnia alia et singula tam saepefatus Thomas Scultetus et Soror ipsius Catherina et eorum legitimi Successores, quam Cmethones sint Nobis

adstricti, ad quae ipsos Jus Theutonicum seu Maydeburgense reddit obligatos, Scultetus autem serviet nobis in equo valente tres marcas et cum sagittis; habebit etiam dictus Scultetus omnem potestatem iudicandi reos criminis et maledicos, qui reperti fuerint pro qualitate cuiuslibet poenae noxiae puniendi, Unum mansum liberum pro expellendis pecoribus una cum Villanis communiter possidebunt. Damus etiam saepedictis Tomae Sculteto et Catherinae liberum arbitrium dictam Scultetiam tenendi aut uni Sculteto vendendi, donandi, commutandi seu quovis alio modo alienandi, accedente tamen ad hoc nostra voluntate pariter et assensu. In cuius rei testimonium praesentibus Sigillum nostrum nostrique Conventus sunt appensa. Datum *Tynciae* Feria secunda infra octavas Beati Stanislai Pontificis gloriosi, de Mense May, Anno Domini M. CCC. LX. Praesentibus Religiosis Viris et Discretis Stephano Priore, Joanne Custode, Clemente, Mistislao, Sbislao, Vito Fratribus Monastery praefati, Joanne Rectore Ecclesiae Parochialis de *Regulicz,* et alys multis fide dignis.

CXXVI.

Cracoviae—1 Januarii 1361 anno.

Roslaus et Adamus haeredes de *Crzissovicze* partem suam villae ejusdem Raphaeli Subcamerario Sandomiriensi coram procuratore generali terrarum Bodzanta vendunt (1).

Nos Bodzatha Cracouiensis Sandomiriensisque Terrarum Magnifici Principis domini Regis Polonie Procurator generalis notum facimus vniuersis tam presentibus quam futuris presencium noticiam habituris. Quod venientes discreti Viri Roslaus et Adam Henrici filiaster suus heredes de *Crzissowicz* nostram ad presenciam non compulsi,

(1) Bodzanta procurator generalis, vulgo: *Wielkorządzca Krakowski*, eodem officio apud Casimirum fuit jam mense Octobri 1359 anno. (Dodatek tygodniowy, 1853, Nº 46). Postea archiepiscopus Gnesnensis factus (1382—1389).

non coacti neque per aliquem dolo aut fraude circumventi sed de mera ac bona deliberacione suorum animorum consilioque salubri eorum amicorum super hijs habito totam partem hereditatis quas ibidem in *Crzissouicze* ex paterna successione optinebant cum omni iure et dominio prout soli possederunt, eandem nobili viro Stremuoque militi domino Raphaeli Subcamerario Sandomiriensi suisque legitimis successoribus pro centum triginta marcis grossorum pragensium numeri polonicalis perpetuo hereditarie vendiderunt et vendibiliter resignarunt, pro se suisque legitimis successoribus nihil iuris aut dominii inibi penitus reseruantes. Actum et datum *Cracouie* in die circumcisionis domini. Anno natiuitatis eiusdem Millesimo CCC. LX. primo. Presentibus nobilibus et discretis viris dominis Bandzlone (Bandkone?) dicto Bork Dapifero Sandomiriensi. Petro de *Sczecoczyn* Starosta Sandecensi (²). Martino Viceprocuratore Cracouiensi, Swanthoslao dicto *Gorca* herede de *Dąmbrova* (³), Voyslao Vicethezaurario Cracouiensi et Thomcone de *Luczicz* (?) ceterisque fide dignis.

(²) *Szczekociny*, oppidum hodie Ilcussiensis territorii et Pilcensis regionis, parochiale. Petrus capitaneus Sandecensis legitur in codice nostro. (T. I, pag. 232) sub a. 1365.
(³) Conf. tabulam Opocznensem, quam infra typis exaramus, de 1 Septembris 1361 a.

CXXVII.

Zatoriae — 21 Januarii 1361 anno.

Johannes Dux Oswiecimensis Hansilo sive Hankoni, filio Verneri de *Hopnewalth*, scultetiam quinquaginta laneorum in villa *Barwald* donat (¹).

In nomine domini amen. Nos Joannes dei gratia dux Osswijanczimensis Notificamus tam presentibus quam futuris presentium noti-

(¹) Tabulam hanc ex transumpto Sigismundi regis a. 1537 descripsit Antonius Muczkowski ex libris manu scriptis jam toties laudatis, vulgo „Metryki koronne" dictis (vol. 54, fol. 274). Titulus sequens est tabulae Sigismundi: „Confirmatio priuilegij super scultetiam

tiam habituris. Quia prouidus vir Hansil filius Vernerj de *Hepnewalth* noster seruitor fidelis cum licentia et fauore nostro emit sculthetiam in villa nostra *Barwald* ([2]), incipiendo a metis *Jaroschow* ([3]) ex utraque parte fluvii *Kliiessczе* sursum quinquaginta laneos, cum omnibus juribus sicut alij sculteti in nostra terra habent et utuntur, ad omnes limittes in quattuor partes plenariae (sic) habeat, absque omni impedimento. Idcirco damus eidem Hankoni (sic) et suis legittimis successoribus scultetiam in dicta villa *Barwald* cum omnibus redditibus, utilitatibus, seu prouentibus subscriptis, videlicet de predictis quinquaginta laneis septimum mansum liberum et pro ecclesia duos mansos pro pellendo grege liberos. Piscinas cum molendinis in predicto fluvio aut alias ubi sibi melius videbitur edificare et construere, quantum necesse fuerit. thabernam liberam. pistorem. carnificem. sutorem. sartorem. fabrum. currificem. aliorumque mechanicorum, quorum necesse fuerit, et duo quartalia pro ortis. Tertium denarium de omni re judicata in perpetuum damus eidem Sculteto. suisque successoribus

in villa Barwalth Stanislao in eadem villa sculteto facta." Transumptum regis Sigismundi sequitur:

In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Sigismundus etc. Significamus etc. Quia exhibitum est coram nobis pro parte prouidi Stanislai hereditarii sculteti in villa nostra *Barwalth* privilegium infrascriptum sub titule et sigillo Illustris olim Domini Joannis ducis Osswijenczijmensis, supplicatumque est nobis, ut illud ob nimiam illius vetustatem et sigilli fractionem de benignitate nostra regia innovare approbare, ratificare et confirmare dignaremur. Cuius priuilegii tenor a verbo ad verbum sequitur et est talis. *(Huc nostra tabula anni 1361).*

Nos igitur Sigismundus Rex praefatus supplicationibus pro parte prefati Stanislai Sculteti iustis et rationi consonis ad nos porrectis gratiose annuentes, literas preinsertas, in omnibus ejus (sic) conditionibus, clausulis, articulis et sententijs de certa scientia et gratia spetiali nostris regijs innovandas, approbandas, ratificandas et confirmandas duximus, innovamusque, approbamus, ratificamus et confirmamus presentibus, decernentes eas ac omnia et singula in eis contenta et expressa vim ac robur debite et perpetue firmitatis obtinere presentium literarum auctoritate accedente. In cujus rei testimonium sigillum nostrum est presentibus subappensum. Datum et actum *Cracouie* feria quinta proxima ante festum sanctorum Simonis et Judae apostolorum. Anno domini millesimo quingentesimo trigesimo septimo, regni nostri anno trigesimo primo. Presentibus etc.

([2]) *Barwald średni* cum scultetia et *Barwald dolny*, villae in regione antiqua Osviecimiensi (1676). *Barwald* postea arx fuit, latronum Silesiae in Poloniam irrumpentium sedes.

([3]) Forsan *Jaroszewice* cum scultetia, ibidem locorum (1676).

tenendum, habendum, vendendum, commutandum, exementes eundem scultetum et incolas prefate ville ab omnibus potestatibus judicum ita quod coram nullo habeant respondere pro causis tam magnis quam paruis, sed tantum incole coram ipsorum sculteto, scultetus vero coram nobis iure theutonico respondebit. In causis vero criminalibus sculteto et suis successoribus damus plenissimam facultatem judicandj super manum et collum. Eciam damus predicto sculteto propter suum seruitium fidele in metis et suis posteris piscarj. venarj. Insuper remanentias extra mensuram laneorum. quod Theutonico *obürschar* nominatur in quo domus sua cum piscina est constructa, usque ad granicies *Jaroschow* de nostro spetiali fauore elargimur, quod ipsos nullus audeat impedire. Scultetus vero predictus et sui posteri nobis ad quamlibet generalem expeditionem in equo valente duas marcas cum sagittis seruire sunt astricti. In cuius rei testimonium nostris fidedignis testibus (sic) (4) Primo nos Joannes dux Oswiienczimensis dominus Schasko Hano advocatus de *Zathor* (5). Hanzil Golden Wladarius. Datum in *Zathor* in die Sancte Agnetis virginis et martiris anno domini millesimo tricentesimo sexagesimo primo.

(4) Conclusio haec tabulae inusitata et admiranda testium inscriptio, causa Muczkowscio fuit, ut cum signo interjectionis notam „sic" uncibus interclusam, in apographo poneret.

(5) *Zatoria*, *Zator* urbs hodie in Gallicia in Wadowicensi territorio; olim terrae Cracoviensis pars, a seculo XII Silesiae regio. *Zator* habuit suum proprium ducem.

CXXVIII.

Cracoviae — 5 Februarii 1361 anno.

Nicolaus et Suentoslaus ejus filiaster tabernam in villa *Crzissovicze* domino Raphaeli Subcamerario Sandomiriensi vendunt, coram Bodzanta procuratore (¹).

Nos Bodzatha Cracouiensis et Sandomiriensis terrarum procurator generalis omnibus et singulis quibus presens scriptum fuerit recitatum cupimus forenotum (sic). Quod constituti coram nobis ac testibus infranotatis Nobilis vir dominus Raphael Subcamerarius Sandomiriensis et Nicolaus cum Suentoslao suo filiastro heredes de *Crzissouicz* sani mente et corpore, non compulsi non coacti sed ipsorum mera et spontanea uoluntate tabernam quam habuerunt et possiderunt iure militali hereditarie ibidem in *Crzissouicze* (²), vendiderunt, et titulo vendicionis resignauerunt in perpetuum pro se ibidem nihil reseruantes predicto domino Raphaeli, sueque legitime posteritati cum omni iure et dominio quemadmodum soli tenuerunt, et possiderunt pro viginti marcis grossorum pragensium in Regno Polonie decurrentium habendum tenendum, possidendum, donandum vendendum, commutandum prout sibi suisque posteris legitimis melius ac utilius videbitur expedire. Nos autem ipsam vendicionem, ac eius resignacionem vna cum testibus prelibatis, ratam habentes et gratam ipsam approbamus ac nostri sigilli appensione communimus. Actum et datum *Cracovie* die beate Agate virginis. Anno domini MCCCLX primo. Presentibus hiis nobilibus Johanne Palatino Sandomiriensi Barthcone ecclesie ..... de *Kazimir* Jacobo Johanne Nogawca. Bodzatha Klossek. Wysscone de *Cossouicz* ac aliis multis etc.

(²) De villis *Krzyszkowice* vide annotationem 2-dam tabulae ad N°. XVII praemissae. Fortasse intelligitur hoc loco villa *Krzeszowice* in territorio nuper extinctae Cracoviensium Reipublicae sita (decanatus Novi Montis, id est vulgo, *Nowéj-Góry)*. De Bodzanta procuratore conf. tabulae ad N°. CXXVI praemissae annotationem primam.

CXXIX.

Cracoviae — mense Augusto 1361 anno.

Nobiles terrae Cracoviensis Marcus de *Skrzydlno*, Zauisza de *Jodłownik*, Nicolaus de *Raciborzany*, Stonoltus de *Kostrza* et Stanislaus de *Topola*, ecclesiae parochiali in villa *Dobra* nuper a Bodzanta episcopo fundatae, ampliorem dotem assignant (¹).

Noverint universi praesentium notitiam habituri, quod nos Marcus de *Skrzydlna* (²) thesaurarius Cracoviensis, Zauescius (?) de *Jodłownik*, Nicolaus de *Raciborzany*, Stonoltus de *Kostrza* et Stanislaus de *Topola* (³) heredes, Pro remedio animarum nostrarum Ecclesiam in *Dobra* (⁴) nuper per Reverendum in Christo patrem dominum Bodzatam (⁵), divina et apostolicae sedis gratia Episcopum Cracoviensem de novo fundatam, dotare volentes, eidem Ecclesiae ibidem in *Dobra* donamus et assignamus perpetuo unum mansum liberum pro cultura Rectoris Ecclesiae ibidem, quem exemptum esse volumus ab omnibus nostris juribus, solutionibus, laboribus et jurisdictionibus. Alium quoque mansum damus eidem in villa nostra situm in parte sculteti, quem Nicolaus cmeto ibidem nunc possidet, ita quod Ecclesiae praelibatae, annis singulis... Alia autem jura in eodem manso nobis integra reservamus. Caeterum pro sustentatione presbyteri memorati promittimus perpetuo per praesentes dare et solvere annis singulis eidem Ecclesiae in *Dobra* decimas de araturis nostris, in bonis nostris infrascriptis, videlicet: in *Chorągwica*, in *Lednica* (⁶), in *Podolany* ante *Wieliczkam*, et in Curia Domini Marcussii memorati etiam ante

(¹) Apographon a Josepho Łepkowscio nobis concessum.

(²) *Skrzydlna* vel *Skrzylna*, villa parochialis olim in regione Czchowensi sita (1676), nunc in Gallicia. Villae huc memoratae *Jodłownik*, *Raciborzany* et *Kostrza*, omnes ejusdem Skrzyldnensis fuerunt parochiae (et a. 1676).

(³) Villam *Topola* dictam in indicibus locorum invenire non potuimus.

(⁴) *Dobra* villa parochialis in regione antiqua Czchowensi (1676).

(⁵) Privilegium hoc nobilium Cracoviensium datum est episcopo Bodzanta vivo.

(⁶) *Lednica* et *Chorągwica*, villae in parochia ad Wieliczkam spectante (1676).

Wieliczkam locata; dummodo ad id dicti Domini Bodzatae Episcopi Cracoviensis voluntas accesserit et consensus, Missales vero annonas in *Dobra* et in villis praefatis more consueto idem Rector Ecclesiae percipiet singulis annis. In cujus rei fidem et testimonium sigilla nostra praesentibus sunt appensa. Datum et actum *Cracoviae* die dominica.... mensis Augusti. Anno Domini Millesimo trecentesimo sexagesimo primo. Praesentibus honorabilibus Dominis Nicolao Ryborznic, Bodzata de *Radziszów* Canonicis Cracov. Nicolao de *Tuchow* (7) Ambrosio de *Sulosów* (8), Joanne de *Dobrowoda* (9) et Jacobo de *Lubusa* Rectoribus Ecclesiarum testibus ad praemissa.

(7) *Tuchow* et *Libusza*, villae parochiales Biecensis olim regionis (1676).
(8) *Suloszowa*, villa parochialis in territorio et regione Ilcussiensi (decanatus hodie Scalensis, id est oppidi *Skała)*, in Regno Poloniae moderno.
(9) *Dobrowoda* etiam villa cum ecclesia parochiali in Cracoviensi olim palatinatu, hodie regionis et territorii Stobnicensis.

CXXX.

Opociniae (Opocznae) — 1 Septembris 1361 anno.

Nicolaus haeres villae *Swięciechów*, donat partem suae hereditatis conventui Sulejoviensi (1).

In nomine domini Amen. Nouerint vniuersi presentem paginam inspecturi. Quot coram nobis andrea herede de *dreuicia* (2) iudice in *opoczno* (3) ex comisione illustrissimi Kazimiri regis polonie constituti Religiosus vir frater hugo abbas in *suleyow* (4) parte ex vna et nicolaus heres in *suzeczechow* (5) in quadam sorte parte ex altera, taliter

(1) E tabula authentica pergamena Leonis Rzyszczewscii propria, descriptum.
(2) *Drzewica*, hodie oppidum Opocznensis regionis et territorii, in Sandomiriensi olim palatinatu.
(3) *Opoczno*, urbs, quam latine appellamus hoc loco *Opociniam*, sui territorii caput, valde grata Casimiro magno fuit.
(4) De *Sulejovia* jam supra diximus. Monasterium est et oppidum ad ripas Piliciae non procul a Petricovia, quae urbs vocatur polonice *Piotrków trybunalski*.
(5) *Swięciechów* villa ejusdem Opocznensis territorii, parochiae vero ad villam *Błogie* spectantis.

inter se ordinauerint, quot, dictus nicolaus non coactus non conuinctus sana mente sano corpore consilio proborum virorum contulit deo et beate marie virgini et fratribus de *suleyow* et donauit pro remedio peccatorum suorum et pro animabus patris et matris et suorum predecessorum in super fratrem hugonem supradictum abbatem inuestiuit et iuri et iurisdiccioni quod quod in illa sorte habuit resignauit. Dictus vero abbas nomine suo et sui conuentus coram nobis est inuestitus, presentibus nobilibus viris: nicolao ują zik herede de *dąba* (6) wiszota de *gouozriczow* (7) Dobeslao de *conscze* (8) Suzątoslao de *dąbrouca* (9) Illic dicto procuratore curie regis. Datum in *opoczno* anno domini MCCC sexagesimo primo. In cuius rei testimonium sigillum nostrum est apensum presentibus. In die beati egidii abbatis.

(6) Nescimus, de qua villa mentio.

(7) *Gowarczow* forsan, oppidum hodie proximum urbibus *Końskie* et *Opoczno*, a *Końskie* uno, ab *Opocinia* (Opoczno) duobus miliariis distans.

(8) *Końskie* oppidum Małachowsciorum proprium etiam in Opocznensi territorio, regionis suae nominis caput. Sedes erat Odrowąsiorum, gentis antiquissimae apud Polonos. Ex gente hac originem ducit Ivo de *Końskie* episcopus cracoviensis (conf. tabulas hujus Tomi ad N°. VII et IX praemissas) et Prandota de *Białaczow* (alter episcopus cracoviensis, de illo conf. tabulas ad N°. XIX, XLI et seqq. praemissas), ambo viri, natura sancti et religiosi. Ejusdem gentis est et noster Dobieslaus de *Końskie*, de Conysskije, de *Conscze*, de quo etiam rerum gestarum patriae cupidus legere potest tabulam praemissam ad N°. CXXVIII. Tomi I, pag. 227. Dobieslaus hic a. 1364 apud Florianum cancellarium lanciciensem testis fuit praesens Casanoviae, quae villa sita est apud oppidum *Końskie* dictum, altera urbs est *Kazanow*, Kozienicensis regionis et Radomiensis territorii procul a modernis urbibus *Końskie* et *Opoczno* sita, quam nullo modo intelligendam esse in privilegio Floriani cancellarii demonstrant nomina ipsarum villarum: *Pomorzany*, *Bedlno* et seqq. omnes non longo intervallo temporis, uti et *Kazanow* ab urbe *Końskie* distantes. *Casanoviae* monasterium est fratrum S. Francisci de observantia (vulgo Bernardinorum).

(9) Multae villae sunt ejusdem nominis in Opocznensi territorio, altera parochiae Skorkovicensis, altera vero Żarnoviensis: nobis tamen videtur, hoc loco de illa *Dąbrowka*, quae hodie in parochia urbis *Drzewica* dictae sita est, mentionem esse. De Swanthoslao dicto *Gorca*, haerede de *Dambrova* lege supra in tabula ad N°. CXXVI praemissa et inferius tab. N°. CXXXII.

CXXXI.

Cracoviae — 1 *Januarii* 1362 *anno.*

Multi Haeredes villae *Crzissovicze* partes hereditatis suae nobili Raphaeli Succamerario Sandomiriensi vendunt (¹).

Bodzatha Cracouiae et Sandomiriae Terrarum procurator generalis uniuersis et singulis quorum noticie presentes fuerint recitati volumus deuenire quod coram Nobis et nostrorum assessorum praesencia. heredes de *Crzissouicze* personaliter constituti partes hereditatis quas ibidem in *Crzissouicze* ex successione paterna maternaque et alio quouis modo optinebat quilibet ipsorum heredum suam partem hereditatis predicte singulatim videlicet Przibislauia Wichna filie olim Stasconis dicti *laska* et Cristina pro centum marcis Goluch vero et libertus fratres germani olim Clementis et Machna nata olim Smilonis pro sexaginta una marcis Item Machna Smilonis ac Nicolaus Pribconis, olim Thabernam eorum cum agris et pratis ad eandem pertinentibus pro viginti marcis grossorum monete vsualis communiter in regno Polonie decurrentis non compulsi non coacti neque per aliquem dolo aut fraude circumuenti sed de bona ac mera deliberacione suorum amicorum habita consilio salubri eorum amicorum super hijs usi manu conjucta eo jure et dominio quo soli easdem possiderunt prout in suis terminis sunt distincte et limitate Nobili viro domino Raphaeli Subcamerario Sandomiriensi et suis legitimis successoribus pro certa summa pecunie quantitate superius expressa perpetuo vendiderunt et vendibiliter resignarunt pro se suisque succedaneis legitimis juris aut dominii inibi penitus nihil reseruantes nos vero dictam vendicionem et vendicionis resignacionem sic habitam ratam et gratam habentes presentibus confirmamus sigillique nostri appensione communimus.

(¹) Ex tabula authentica membranacea, conf. alias tabulas hujus tomi praemissas.

Actum et datum *Cracouie* in die Circumcisionis Domini Anno natiuitatis eiusdem millesimo trecentesimo sexagesimo secundo presentibus nobilibus et discretis viris dominis. Mathia de *Suescouicz* (?) ([2]) Cancellario Dobrinensi Petro de *Sczecoczin* Joanne Pacoslai de *Jurcow* ([3]) Symcone de *Polayouicz* Thomcone de *luczicz* ([4]) heredibus Andrea Castellano de *Czechow* et Pacossio Ciue Cracouiensi ac aliis multis fidedignis.

([2]) Incerti sumus de bona lectione hujus nominis. Mathias cancellarius Dobrinensis legitur sub a. 1377 in „Dodatek tygodniowy" 1851 N°. 36. Maczko (nomen est vernacula lingua diminutivum et significat Mathiam, Mathaeum) cancellarius etiam dobrinensis legitur infra in privilegio Casimiri magni urbi Stobnicіae dato a. 1362.

([3]) *Jurkow*, villa est hodie Miechowiensis territorii et Szkalbmiriensis regionis, parochiae caput.

([4]) Petrus de *Szczekociny* et Thomas de *Luczicz*, praesentes etiam leguntur in tabula ad N°. CXXVI praemissa, venditionem partis villae *Krzyszowice* in se continente.

CXXXII.

Cracoviae—1 Januarii 1362 anno.

Roslaus partem hereditatis suae in *Krzyszowice* Raphaeli Succamerario Sandomiriensi vendit ([1]).

Bodzatha Cracoviensis ac Sandomiriensis terrarum Procurator generalis. Vniversis et singulis quibus presentes fuerint ostense cupimus declarare. Quod discretus vir Roslaus veniens ad nostram praesentiam non coactus non compulsus neque per aliquem errorem seductus sed de matura animi sui ac consilio suorum amicorum vsus totam partem hereditatis ibidem in *Crzissouicze*. que pars in wulgari *Wroblowske* nuncupatur quam per modum emptionis obtinebat. nobili

([1]) Tabulam hanc nacti sumus ab illustrissimo Rzyszczewscio. Conf. tabulas praemissas. Rimae laedentes tabulam legere impediverunt, sed nonnulla verba avulsa et praecipue praesentes personas facile ex tenore tabularum praemissarum restituimus et in uncis posuimus. Praesentes sunt ipsi, qui jam leguntur in tabula N°. CXXVI.

viro domino Raphaeli Subcamerario Sandomiriensi et suis legitimis liberis seu successoribus pro Triginta marcis grossorum Pragensium in regno Poloniae communiter decurrencium vendidit perpetuo ac per modum venditionis hereditarie resignauit. Condicione hac interposita. quod si dicta pars hereditatis infradicto Roslao iudicialiter per quemuispiam dicti Roslai dolo et fraude semotis acquireretur, Dominus Subcamerarius aut sui successores rehabitis XXX marcis ab eodem Roslao vel suis successoribus de .... parte hereditatis condescendat. Ceterum iam dictus Roslaus suam Thabernam ..... *Crzisszouicze* in decem marcis grossorum quam tenuit obligatam memorato Domino.... in eisdem X marcis obligauerit non alias redimendam nisi in festo nativitatis secundum consuetudinem Terre. Datum *Cracovię* in die Circumcisionis Domini. Anno nativitatis eiusdem MCCCLXII. Presentibus nobilibus et discretis viris dominis .... dicto *bork* Dapifero (²). Petro de *Scecoczin* Swanthoslao de *Dambrowa,* Thomcone (de L)*uczicz* heredibus Martino Viceprocuratore et Voyslao Vicethezaurario Cracocouiensi ac aliis multis.

(²) Sandomiriensis dapifer fuit.

CXXXIII.

Wisliciae — 26 Aprilis 1362 anno.

Casimirus Rex Poloniae oppido *Stobnica* dicto nec non villis *Stobnica* et *Falanczin* jus teutonicum confert (¹).

In nomine domini amen. Quod magnifica regum decrevit fieri auctoritas, ratum atque gratum debet perpetuis temporibus perma-

(¹) Tabulam hanc ex libris „Metryki koronne" dictis vol. 17, f. 158, descripsit doctissimus Ant. Muczkowski. Tabula legitur in transumpto Joannis Alberti regis, qui innovationem priuilegii oppidi *Stobnica* fecit. Tenor hujus innovationis lector benevole ad a. 1498 quaeras.

Actum et datum *Cracouie* in die Circumcisionis Domini Anno natiuitatis eiusdem millesimo trecentesimo sexagesimo secundo presentibus nobilibus et discretis viris dominis Mathia de *Suescouicz* (?) (²) Cancellario Dobrinensi Petro de *Sczecotzin* Joanne Pacoslai de *Jurcow* (³) Symcone de *Polayouicz* Thomcone de *luczicz* (⁴) heredibus Andrea Castellano de *Czechow* et Pacossio Ciue Cracouiensi ac aliis multis fidedignis.

(²) Incerti sumus de bona lectione hujus nominis. Mathias cancellarius Dobrinensis legitur sub a. 1377 in „Dodatek tygodniowy" 1851 Nº. 36. Maczko (nomen est vernacula lingua diminutivum et significat Mathiam, Mathaeum) cancellarius etiam dobrinensis legitur infra in privilegio Casimiri magni urbi Stobniciae dato a. 1362.

(³) *Jurkow*, villa est hodie Miechowiensis territorii et Szkalbmiriensis regionis, parochiae caput.

(⁴) Petrus de *Szczekociny* et Thomas de *Luczicz*, praesentes etiam leguntur in tabula ad Nº. CXXVI praemissa, venditionem partis villae *Krzyszowice* in se continente.

CXXXII.

Cracoviae—1 Januarii 1362 anno.

Roslaus partem hereditatis suae in *Krzyszowice* Raphaeli Succamerario Sandomiriensi vendit (¹).

Bodzatha Cracoviensis ac Sandomiriensis terrarum Procurator generalis. Vniversis et singulis quibus presentes fuerint ostense cupimus declarare. Quod discretus vir Roslaus veniens ad nostram praesentiam non coactus non compulsus neque per aliquem errorem seductus sed de matura animi sui ac consilio suorum amicorum vsus totam partem hereditatis ibidem in *Crzissouicze*. que pars in wulgari *Wroblowske* nuncupatur quam per modum emptionis obtinebat. nobili

(¹) Tabulam hanc nacti sumus ab illustrissimo Rzyszczewscio. Conf. tabulas praemissas. Rimae laedentes tabulam legere impediverunt, sed nonnulla verba avulsa et praecipue praesentes personas facile ex tenore tabularum praemissarum restituimus et in uncis posuimus. Praesentes sunt ipsi, qui jam leguntur in tabula Nº. CXXVI.

viro domino Raphaeli Subcamerario Sandomiriensi et suis legitimis liberis seu successoribus pro Triginta marcis grossorum Pragensium in regno Poloniae communiter decurrencium vendidit perpetuo ac per modum venditionis hereditarie resignauit. Condicione hac interposita. quod si dicta pars hereditatis infradicto Roslao iudicialiter per quemuispiam dicti Roslai dolo et fraude semotis acquireretur, Dominus Subcamerarius aut sui successores rehabitis XXX marcis ab eodem Roslao vel suis successoribus de .... parte hereditatis condescendat. Ceterum iam dictus Roslaus suam Thabernam ..... *Crzisszouicze* in decem marcis grossorum quam tenuit obligatam memorato Domino.... in eisdem X marcis obligauerit non alias redimendam nisi in festo nativitatis secundum consuetudinem Terre. Datum *Cracovię* in die Circumcisionis Domini. Anno nativitatis eiusdem MCCCLXII. Presentibus nobilibus et discretis viris dominis .... dicto *bork* Dapifero (²). Petro de *Scecoczin* Swanthoslao de *Dambrowa,* Thomcone (de L)*uczicz* heredibus Martino Viceprocuratore et Voyslao Vicethezaurario Cracocouiensi ac aliis multis.

(²) Sandomiriensis dapifer fuit.

CXXXIII.

Wisliciae — 26 Aprilis 1362 anno.

Casimirus Rex Poloniae oppido *Stobnica* **dicto nec non villis** *Stobnica* **et** *Falanczin* **jus teutonicum confert** (¹).

In nomine domini amen. Quod magnifica regum decrevit fieri auctoritas, ratum atque gratum debet perpetuis temporibus perma-

(¹) Tabulam hanc ex libris „Metryki koronne" dictis vol. 17, f. 158, descripsit doctissimus Ant. Muczkowski. Tabula legitur in transumpto Joannis Alberti regis, qui innovationem priuilegii oppidi *Stobnica* fecit. Tenor hujus innovationis lector benevole ad a. 1498 quaeras.

nere. Proinde nos Kazimirus dei gracia Rex Polonie, nec non terrarum Cracovie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuyavye, Pomeranie, Russieque dominus et heres etc. Ad universorum et singulorum, tam presencium quam futurorum et specialiter, quorum interest, noticiam deducimus per presentes lucidius declarando. Quod consideratis et attentis comodo et utilitate civium nostrorum de *Stobnyjcza* ([2]), per quod et quam succedente tempore poterint (sic) dante domino in melius reformarj, nec non dignis et fidelibus obsequijs que nobis diuersimode exhibuerunt et exhibere poterint (sic) in futurum. Horum igitur et aliorum ipsorum benemeritorum intuitu, ipsos specialis favoris gracia prosequi cupientes, ut eis fructus accrescant comodi et honoris, exnunc eandem *Stobnyczam* civitatem, et antiquam villam *Stobniciam* (sic), et eciam villam dictam *Falanczin* ([3]) una cum alijs omnibus villis, que procedente tempore in rubetis, mericis dicte civitati et villis predictis contiguis per extirpacionem earum edificari poterint (sic) et locarj, his villis duntaxat exceptis, videlicet *poczathek* et *Sklanow*, omnes in districtu Visliciensi situate, de jure polonico in jus theutonicum Srzedense presentibus transferimus perpetuis temporibus duraturas (sic!) removentes ibidem ab eisdem villis, omnia jura polonicalia, ac modos et consuetudines polonicales universas, que ipsum ius Theutonicum novi fori quod *Srzedske* dicitur impedire seu perturbare consueverunt. Absolvimus insuper et eximimus, ac eciam tenore presencium perpetue liberamus prefatos nostros cives ac scultetos, kmethones et incolas villarum predictarum ab omnibus juribus, jurisdicionibus et potestatibus omnium pallatinorum, castellanorum, judicum et subjudicum universorum Regni nostri ac Ministerialium eorundem. Ita quod eciam eis vel eorum aliquo (sic) in causis tam magnis, quam parvis, puta furti, sanguinis, homicidij, incendij, membrorum mutilacionibus et alijs quibuscunque excessibus citati, minime respondere tenebuntur. Sed kmethones et incole villarum predictarum et civitatis coram suis scultetis et advocato, qui nunc sunt aut ibidem pro tem-

([2]) *Stobnica*, urbs est hodie territorii et regionis caput.
([3]) Hodie *Falęcin*, villa Stobnicensis parochiae.

pore fuerint, sculteti vero et advocatus predicti coram nobis, seu nostro generali judicio dummodo per literam nostram, nostroque sigillo sigillatam evocati fuerint, tunc de se querulantibus, non alio nisi suo jure theutonico novi fori quod Srzedske dicitur, respondere sint astricti. In causis autem criminalibus et Capitalibus prefatis Sculteretis (sic) judicandi, sentenciandi, puniendi et condemnandi damus et concedimus tenore presencium plenam et omnimodam potestatem, prout ipsum Jus Theutonicum Srzedense in suis capitulat et requirit (sic, sic), Damus insuper et concedimus prefatis nostris civibus de *Stobnycza*, et kmethonibus in prefatis villis tam locatis, quam locandis, in prefatis merica et rubetis pro extirpacione earum, ut ab omnibus nostris collectis, contribucionibus, calligijs (sic) et exactionibus, ac eciam angarijs et preangarijs universis, quocunque nomine nuncupentur sint liberi et immunes et soluti, ad sedecim annos, ab anno domini millesimo tricentesimo sexagesimo computando, plenam et omnimodam tenore presencium libertatem. Quo expirata, nobis de quolibet laneo octo scotos grossorum solvere tenebuntur, de censu quoque domorum ipsorum annuo, secundum consuetudinem terre, et prout ipsum jus Srzedense requirit et postulat, satisfacere sint astricti. Et ut presens privilegium robur obtineat perpetue firmitatis, illud majori nostro sigillo mandavimus roborarj. Actum et datum *Vislicie* in crastino beati Marci Ewangeliste. Sub anno domini millesimo trecentesimo sexagesimo secundo. Presentibus his testibus Stanislao Malogostensi Castellano, Bodzatha procuratore nostro generali, Maczkone cancellario nostro dobrinensi, et Przedborio de *Brzezye* ac Johanne Zoravyczkij Magistro coquine nostro, nec non Jacussio de *xancza* (1) et quam pluribus alijs fide dignis. Datum per manus domini Johannis Cancellarij nostri Cracoviensis.

(1) Muczkowski in parenthesi ponit „pancza," incertus igitur fuit de lectione. Fortasse urbs *Xiąż* intelligitur.

CXXXIV.

Sandomiriae — 13 Junij 1362 anno.

Decretum judicis et subjudicis Sandomiriensis in causa, quam Petrus de *Bogoria* et Procossius de *Rytwiany* habuerunt cum *Dzierslawa*, uxore Raphaelis subcamerarii Sandomiriensis (1).

Nos Pelka iudex Wilczcoque subiudex terre Sandomiriensis Vniuersis quibus expedit euidencius protestamur. Quod cum inter dominum Petrum heredem de *Bogoria* (2) et Procosium fratrem eiusdem heredem de *Ritwani* (3) auctores ex vna, et inter dominam Derzkam vxorem domini Raphael nunc Sub Camerarij Sandomiriensis (4) heredissam de *WelaWesz* (5), parte exaltera propter obstaculum in wlgari nominando *yas* super *Wslam* (sic) fluuium iuxta *Bogoriam* situm, materia questionis coram nobis fuisset exorta intermino perhemptorio per nos ipsis posito seu assignato Tandem predictus dominus Petrus heres de villa pretacta ase et aprehabito procosio fratre suo testibus ydoneis et conscriptis debuit probare super obstaculum prefatum quod minime potuit probare ac in probacione defecit Nos vero videntes iusticiam prenarrate domine Derzslae vxoris domini Raphael,

(1) Sławiński descripsit e tabula pargamena in bibliotheca Dzikowiensi Joannis comitis Tarnowscii asservata (in Gallicia). Sigilla, quae duabus taeniolis pergamenis appensa fuisse videntur, desunt.

(2) *Bogorja* villa regionis Sandomiriensis, parochiae Skotnicensis (in Regno Poloniae moderno).

(3) *Rytwiany* villa ejusdem Sandomiriensis regionis, parochiae vero Staszowensis (in Regno Poloniae).

(4) *Raphaël*, certe de Tarnovia fuit, vulgo *Rafał z Tarnowa*. De illo conf. tabulas ad N°. CXXXI, CXXXII etc. praemissas. Filius Spicimiri vel Spytkonis castellani Sandomiriensis, de quo jam supra in annotatione prima tabulae ad N°. CIV praemissae, dictum. Raphael hic primus haeres de Tarnow, abavus celeberrimae gentis Tarnowsciorum fuit. Jam anno 1364 castellanus wisliciensis (Dodatek tygodniowy 1852, Nr. 31). Conf. etiam magni momenti dissertationem Caroli Szajnocha in opere „Jadwiga i Jagiełło," T. II, pag. 367—73 de gente Mielsztynsciorum et Tarnowsciorum.

(5) *Wielowies* villa erat Sandomiriensis regionis, parochiae ad *Michocin* (in Gallicia) spectantis. Conf. tamen annotationem secundam tabulae ad N°. LXXII praemissae.

eidem domine adiudicauimus, sepe nominatum obstaculum ac posteritatibus suis iure hereditario in perpetuum pacifice et quiete possidere, prescriptis vero domino Petro et Procosio fratribus sev germanis propter ydem obstaculum ad accionem iterandam perpetuum silencium inponentes, Incuius rei testimonium sigilla nostra presentibus sunt appensa. Actum *Sandomirie* in crastino sancte et indiuidue Trinitatis, in colloquio generali Sub anno domini M° CCC° sexagesimo secundo Presentibus hijs testibus Grottone Zauichostensi Dobeslao Wisliciensi (6) castellanis, Jacobo quondam iudice Janusio herede de *Coszeuicz* Mathia cancellario Dobrinensi Raphaele notario generali, et alijs plurimis fidedignis Bural ministerialis huius cause sistitur et est exactor.

(6) Hic Dobieslaus de *Kurozwęki* fuit. De illo castellano Wisliciensi jam a. 1346, legas Helcelii dissertationem saepius laudatam opusque „Dodatek tygodniowy" (a. 1852, N°. 44) et libros manu scriptos „Metryki koronne" dictos vol. 23, fol. 811, ubi sub a. 1360 memoratur. Apud Niesieccium legimus, Eustachium Odrowąsium castellanum Wisliciensem a. 1350 mortuum esse, sed falso, (nova Lipsiensis editio T. VII, p. 35). Andreas castellanus Wisliciensis legitur a. 1343, vide hujus Tomi tabulam praemissam. Certe ejus successor in dignitate noster Dobieslaus fuit, qui postea ab a. 1368 palatinus Cracoviensis (conf. Łabęcii „Górnictwo w Polsce," Tomi II privilegium 5-tum) et denique castellanus Cracoviensis a. 1381 creatus est (vide Joannis de Czarnków, id est, archidiaconi Gnesnensis ap. Sommersberg. pag. 133, annales). Insigne ejus vulgo dicitur *Poraj*, gens vero Rożyciorum (Rożyce). Mortuus est a. 1387.

CXXXV.

Cracoviae — 15 Maji 1362 anno.

Janussius dictus Rucha, Vneslaus, Thomas, Joannes et alii haeredes, partes suas in villa *Crzisszewicz* nobili Raphaeli Subcamerario Sandomiriensi vendunt (1).

In nomine domini amen. Nos Kasimirus Dei gratia Rex Polonie. nec non Terrarum Cracouie. Sandomirie. Syradie. Lanciecie. Cuya-

(1) E tabula membranacea nunc illustrissimi Rzyszczewscii propria, descriptam.

nie. Pomeranie. Russieque dominus et heres. Tenore presencium notum facimus quibus expedit vniuersis tam presentibus quam futuris. Quod ad nostram et Baronum nostrorum accedentes presenciam. Janussius dictus *Mucha.* Vnesslaus. Thoma. Jan. cum Clemente. necnon. Stachna. Catherina. Magdalena et Thomca. heredes de *Crzisseuicz.* ([2]) sani mente et corpore existentes. non compulsi nec coacti neque aliquo dolo circumuenti, sed spontanea voluntate et bona deliberacione sui animi prehabita. Totam partem sue hereditatis ibidem in *Crzisseuicz* quam exsuccessione (sic) suorum parentum, legitime tanquam veri heredes possidebant ex integro cum omni Jure ac dominio necnon omnibus et singulis vtilitatibus fructibus et pertinenciis vniuersis ad ipsam partem hereditatis in terra et aqua quomodolibet spectantibus prout dicta pars in suis terminis siue insigniis noscitur esse distincta, et prout eandem suis temporibus soli tenebant, nihil iuris vel dominii exnunc in eadem parte hereditatis pro se vel suis quibusuis propinquis penitus reseruando. Nobili ac strenuo militi domino Raphaeli Subcamerario Sandomiriensi et eius posteris pro Trecentis quinquaginta marcis grossorum pragensium numeri polonicalis XLVIII grossos pro qualibet marca computando vendiderunt perpetuo et libere resignauerunt. coram nostra regia maiestate prout superius clare est expressum. Alii autem heredes ibidem de *Crzissouicz* quorum nomina subsecuntur in absencia nostre maiestatis partem suam eiusdem hereditatis in *Crzissouicz* exintegro coram domino Bodzatha procuratore nostro generali cum omnibus et singulis vtilitatibus ac pertinenciis vniuersis prout in litteris ipsius domini procuratoris super hoc confectis et tunc coram nobis ostensis plenius continetur. Videlicet Rosslaus. Adam, filiaster Heynricj, Przibislaua. Wychna. et Cristina filie Stasconis olim dicti *Lasska.* Goluch (?), Libertus fratres germani olim Clementis. et Machna filia olim Smylonis, Item Machna Smylonis et Nicolaus Pribconis Gothardus et Heynricus fratres germani. Item Nicolaus et Suantoslaus, necnon Czesthca olim Clementis dicti *Wrobl.*

([2]) Venditiones aliarum partium villae *Krzyszowice* habes lector benevole, jam supra. (conf. tabulas ad a. 1361—2).

et Bronca. eidem domino Raphaeli Subcamerario et suis posteris omnia et singula quocunque modo in terra et aqua ibidem in *Krzissouicz* supradictos heredes in dicta parte sua contingencia prout ipsa pars noscitur esse distincta, pro quadringentis Quinquaginta septem marcis grossorum pragensium numeri polonicalis vendiderunt perpetuo et libere resignarunt, sepedicto domino Raphaeli et eius posteris memoratas partes hereditarias in *Crzisseuicz*, que se racione vendicionis et resignacionis supradicte in totali summa vt superius continetur extendunt ad octingentas septem marcas grossorum pragensium numeri polonicalis XLVIII grossos pro qualibet marca computando. perpetuis temporibus tenendas. habendas, possidendas, donandas. vendendas, commutandas, ac pro sua suorumque posterorum voluntate quomodolicet libere conuertendas, Quamquidem vendicionem, resignacionem et empcionem tam coram nobis quam coram, coram (sic) nostro procuratore generali supradicto sic rite et racionabiliter factam et habitam ipsi domino Raphaeli Subcamerario Sandomiriensi et eius posteris supradictas partes hereditatis in *Crzisseuicz* tanquam veris heredibus perpetuis temporibus duraturam ascribimus (sic) appropriamus, incorporamus, nec non ratificamus, approbamus et de benignitate nostra Regia graciose confirmamus, harum quibus sigillum nostrum est appensum testimonio litterarum. Actum *Cracouie* in vigilia Corporis Christi sub Anno domini millesimo CCC° sexagesimo secundo. Presentibus hijs testibus. Johanne palatino Sandomiriensi (3) Zawissa Castellano Sandecensi. Andrea Subcamerario Cracouiensi. Petro de *Szczecocyn* Capitaneo Sandecensi. Bodzatha procuratore generali et Johanne subpincerna Cracouiensi. ac aliis quamplurimis fidedignis. Datum per manus domini Johannis Cancellarii nostri Cracouiensis.

(3) Joannes Jura, de quo jam supra diximus.

CXXXVI.

Cracoviae 13 *Januarii* — 1363 *anno.*

Casimirus magnus rex advocatias in villis dictis *Liszki*, *Śmierdząca* et *Kaszow*, monasterio Tinecensi sub certis conditionibus donat (¹).

In nomine Domini Amen. Cum iuxta verba sacri eloquii Unusquisque Christi fidelis in praesenti vita sic habeat disponere sua facta, ut ipsis mediantibus felici fine habito aeternae retributionis praemia consequatur, dicente Domino: Thesaurizate vobis Thesauros in coelis, ubi nec erago (sic) nec tinea demollitur, Proinde nos Casimirus Dei gratia Rex Poloniae, necnon Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lancitiae, Cuiaviae, Pomeraniae, Russiaeque Dominus et haeres, Tenore praesentium notum facimus quibus expedit universis tam praesentibus quam futuris, Quod habita consideratione Deifica, et ponderatis singulis usibus et utilitatibus, quibus usi summus per tempora de possessionibus, bonis et haereditatibus Monastery Tynciensis Ordinis Scti Benedicti. In recompensam igitur perceptorum et satisfactionem aliqualem, ob remedium nostrae salutis ac spe vitae aeternae consequendae Divina gratia pia nos devotione instigante, pro satisfactione nostrorum delictorum Venerabili viro Domino Joanni Abbati (²) et Religiosis Fratribus totius Conventus Monastery Tynciensis supradicti Advocatias seu Scultetias nostras infrascriptas per nos legitime emptas et conquisitas ac ad nos pertinentes videlicet in *Liszek*, in *Śmierdząca*, in *Kaszow* et in *Nova villa* (³) necnon in *Rybna*

(¹) Apographon a Łepkowscio habuimus.

(²) Apud Szczygielscium in Tinecia, Stephanus abbas mortuus est 26 Julii 1362 anni, eique successit in officio Albertus II-dus, qui duobus annis monasterio praefuit (1362—4?). Albertum vero secutus est Joannes IV abbas. De Joanne III legas supra annotationem secundam tabulae ad N°. CVIII praemissae.

(³) Anno 1676. Ad ecclesiam parochialem villae *Liszki* (quae inveniebatur in regione antiqua Cracoviensi), pertinebant villae *Liszki*, *Śmierdząca*, *Nowawieś* et *Kaszów* huc me-

et in *Przeginia* cum omni Jure et Dominio ac omnibus et singulis utilitatibus, fructibus et pertinentiis universis in Terra et Aqua ad ipsas Advocatias seu Sculteitias quomodolibet spectantibus, prout nos temporibus nostris easdem tenuimus et prout Vislaus et Friczko eorumque praedecessores ante nos ab initio tenuerunt cum silvis, mericis, rubetis, quercetis, pascuis, pratis, agris, campis ac alys universis proventibus qui nunc sunt, aut quomodolibet esse poterint in futurum inter limites Advocatiarum seu scultetiarum praedictarum, ad laudem Omnipotentis Dei et ob reverentiam gloriosae Sanctae Mariae semper Virginis, Matris eius Benedictae, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ad honorem, in quorum laudem saepedictum Monasterium Tynciense est fundatum, necnon ipsi Monasterio Tynciensi Abbati et Fratribus totius Conventus ipsius Monastery, qui pro tempore fuerint ad utilitatem perpetuis temporibus damus, tradimus, conferimus et donamus, necnon adscribimus, annectimus, appropriamus et incorporamus, Renuntiantes omni Juri et Dominio, quod nobis quovis ingenio competere posset vel nostris Successoribus competeret in praemissis. Sic quod eximere neque nos nec aliqui nostri Successores ad omnia praemissa ullum possumus ullum possumus (sic) nec debemus, et ipsi nostri Successores aliquem non debent nec debebunt suo tempore habere respectum, Sed omnia et singula praemissa Abbas et totus Conventus Fratrum saepe dicti Monasterij Tynciensis, qui pro tempore fuerint, tenere debent perpetue et possidere pacifice et quiete, contradictione et impedimento cuiuslibet penitus non obstante. Ut autem nostri et praedecessorum nostrorum per orationes, Missarum celebrationem melior et maior memoria habeatur, In recompensam praemissorum perpetuis temporibus statuimus et omnino volumus, ut exnunc Abbas et Conventus Monastery Tynciensis saepedicti, statuant unum

moratae. *Liszki* et hodie etiam ecclesia parochialis in territorio antiquae liberae civitatis Cracoviensis, nunc in magno ducatu (decanatus Czernichowiensi).

(4) *Rybna*, villa etiam parochialis a. 1676 nunc invenitur in regione Cracoviensi in Gallicia in decanatu vero Czerniechowiensi, non procul a villa *Liszki*. *Przeginia* ad hanc ecclesiam parochialem spectabat a. 1676. Sed altera est villa *Przeginia*, de qua supra jam diximus, in Regno moderno Poloniae, parochiae suae caput in regione et territorio Ilcussiensi.

Capellanum saecularem vel regularem, qui omni die legat missam defunctorum ad certum altare diebus solennibus duntaxat exceptis. Et circa hoc bis in Septimana qualibet, etiam perpetuis temporibus, videlicet Tertia et Sexta Feria, Vigiliae Novem Lectionum, et duae missae specialiter defunctorum voce decantent. Praeterea de gratia nostra speciali Abbati et Conventui Monastery Tynciensis saepememoratis saepedictas Advocatias vendendi, donandi et commutandi ac pro sua suique Monastery utilitate et melioratione quomodolibet libere convertendi, plenam et omnimodam damus potestatem. In quorum omnium testimonium et evidentiam perpetuae firmitatis praesens Privilegium nostrae donationis Abbati et Conventui Fratrum dicti Tynciensis Monastery dari fecimus Sigillorum nostrorum Regalium parte ex utraque expressorum subappensione communitum. Actum *Cracoviae* in octava Epiphaniae Domini, sub anno eiusdem M. CCC. LX. III. Praesentibus his testibus Joanne Castellano Cracoviensi (5), Joanne Decano et Cancellario Cracoviensi, Predborio Capitaneo Cuiaviae, Bodzata Procuratore Generali, Predborio de *Brzeze* et Andrea dicto *Myszka,* ac alys quam pluribus fide dignis. Datum per manus Domini Joannis Cancellary nostri Cracoviensis supradicti. Scriptum autem per Nicolaum Bohemum Notarium Curiae nostrae Canonicum Ecclesiae Visliciensis.

(5) Joannes dictus *Jura*, qui mortuus est mense Decembri 1363 anno, ubi nos docet praeclarissimum opus „Katalog biskupów Krakowskich", reverendissimi et doctissimi episcopi Joppensis Ludovici Łętowscii, conf. T. IV, pag. 113.

CXXXVII.

Cracoviae — 9 *Maji* 1363 *anno*.

Petrus Gallus et alii haeredes de *Crzissowicz*, partem suam in hac villa Raphaeli subcamerario Sandomiriensi vendunt (1).

Bodzatha procurator generalis Cracouie Sandomirie terrarum Notum eupimus vniuersis presentibus et futuris noticiam presencium inspecturis (sic) Quod venientes ad nostram nostrorumque assessorum presenciam Nobiles viri petrus Gallus .... rtinus fratres germani heredes de *Crzissouicz* non compulsi nec coacti. sed de bona et matura eor .... e partem eorum hereditatis in *Crzissouicz* omnem et integraliter ad ipsos pertinentem cum .... nio Juribus vsibus fructibus et vtilitatibus ad eandem partem pertinentibus prout soli ex successione paterna et materna tenuerunt Strenuo militi domino Raphaeli Subcamerario Sandomiriensi recognouerunt per centum marcas vendidisse, et coram nobis hocidem ratificantes resignarunt Ad eos vero nullum ius penitus hereditatis sue partis predicte reseruantes. Ad cuius vero rei euidenciam pleniorem presens scriptum fieri mandamus et haractere sigilli nostri insigniri. Actum et datum *Cracouie* in Crastino sancti Stanislai sub anno domini MCCCLXIII. Presentibus dominis Sweslao officiali Cracouiensi (2) Paulo Castellano Beycensi (3) Thomislao de *Beganouicz* (4) Michaele de *Czanstocicze* (5) et Crzeslao de *paulovo* (6) et aliis quamplurimis fidedignis.

(1) E tabula laesa authentica descriptum.

(2) Sweslaus? sub a. 1353 legitur Jwoslaus officialis Cracoviensis, vide hujus Codicis Tomi tertii paginam 237.

(3) Pascho castellanus biecensis legitur a. 1359 in opere Michaelis Grabowscii et Alexandri Przezdzieccii „Źródła do historyi polskiéj," T. I. pag. 129.

(4) *Bieganowice?*

(5) *Częstocice*, villa territorii et regionis Opatoviensis, parochiae pertinentis ad locum *Szewna* dictum.

(6) *Pawłów*, ejusdem nominis multae sunt villae in Cracoviensi et Sandomiriensi palatinatu, est altera Stobnicensis, altera Opatoviensis territorii etc. Opatoviensis, est parochiae suae caput.

CXXXVIII.

Cracoviae — 2 Octobris 1363 anno.

Haeredes de *Niedźwiedź*, fratres inter se germani, prata sua monasterio Virginum Staniątecensi vendunt (1).

N (2) nomine domini amen. Dignum est vt vendiciones coram Regum Magnificencia factas. solempnis tytulus roboret literarum Jgitur nos Kazimirus dei gracia Rex Polonie, ac terrarum Cracouie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Cuyauie, Pomeranie, Russieque dominus et heres Notum facimus quibus expedit, vniuersis, Quod ad nostram et baronum nostrorum accedentes presenciam, fideles nostri Jacussius Nicolaus et Tomassius fratres germani, heredes de *Medzwedz* (3), terre .... sani mente et corpore existentes, de .... voluntate, prata ipsorum inter *Negardow* et *Gnatouicze*, villas Monasterij de *Stananthek*, sita, wlgariter dicta *Sythnik* et .... ipsos legittime contingencia .... habebant, et prout in suis limitibus circumferencialiter, distincta sunt antiquitus, et sicuti soli eadem suis temporibus tenuerunt. Ex .... dumtaxat prato, quod a plebano suo de *Medzwedz* per modum Commutacionis receptum, Ecclesie et Rectori ipsius in *Negardow*, qui pro tempore fuerit perpetuo adiunxerunt. Religioso viro fratri Stephano preposito, Woyszice Magistre, totoque Conuentui sororum Monasterij predicti de *Stananthek*, pro Nonaginta Marcis grossorum pragensium. XLVIII^to marcam faciencium, iure hereditario libere vendiderunt et coram nobis perpetuo voluntarie resignarunt, per iam dictos Monaste-

(1) Sławiński descripsit e tabula authentica Staniątcciis asservata Funiculo serico viridis coloris appensum est sigillum majestaticum, quod jam supra ad a. 1356 descripsimus. Rimae nonnulae totum verborum tabulae contextum legere impediverunt. De multis locis huc memoratis jam supra diximus.

(2) Characterem *J* scriba in praepositione omisit et vacuum reliquit (conf. annotationem secundam tabulae ad N°. CXVII praecedentis.

(3) Hodie villa haec appellatur *Niedźwiedź* et habet ecclesiam suam parochialem. In chartis geographicis illam in regione Proszowicensi invenimus.

rium, Prepositum Magistram et Conuentum de *Stananthek*, qui pro tempore fuerint, cum omnibus iuribus dominio et pertinenciis, et generaliter cum vniuersis et singulis vtilitatibus, que nunc ibidem, habentur. vel haberi quomodolibet poterint in futurum, libere tenenda et pacifice possidenda, donanda Commutanda vendenda, et pro ipsorum voluntate conuertenda. Nos igitur predictam empcionem vendicionem et resignacionem. ratam gratam atque firmam habentes, ipsam approbamus ratificamus et perpetuo confirmamus Harum Sigillum nostrum quibus appensum est presentibus testimonio literarum. Actum *Cracouie* feria tercia post diem beati Michaelis Archangeli Anno domini Millesimo Trecentesimo Sexagesimo Tercio presentibus hijs testibus ....rea (Andrea) Palatino Cracouiensi (¹), Grothone Lublinensi. Dobeslao Visliciensi Stanislao Malogostensi Zauissio Sandecensi, Castellanis. Ottone Capitaneo Russie generali, ac alijs multis fidedignis Datum per manus domini Johannis Cancellarij Cracouiensis. Scriptum per Warsium de *Scrzyn* Curie nostre Notarium. Regie Maiestatis.

(¹) Andreas de *Tęczyn*, legitur eodem tempore (mense Octobri) 1363 ap. Helcelium: anno vero 1364, in privilegio Casimiri regis, Academiae Cracoviensi dato.

CXXXIX.

Cracoviae — 22 Maji 1364 anno.

Casimirus magnus Poloniae rex, urbi novae fundationis vulgo *Skawina* dictae, privilegium juris teutonici confert (¹).

Nos Kazimirus Dei gratia Rex Poloniae necnon Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lancitiae, Cuiaviae, Pomeraniae Russiaeque Dominus et haeres. Notum facimus tenore praesentium quibus expedit universis tam praesentibus quam futuris, quod Civitatem

(¹) Descriptum a Josepho Łepkowscio.

nostram novae fundationis in *Skawina* (²) in metis Terrae nostrae Cracoviensis et Incolas in ea degentes pro consolatione ipsorum, qui pro tunc in ipsa fuerint speciali in suo Jure debite limitato conservare volentes, gratiose exnunc Jus Theutonicum quod Maydeburgense dicitur, quo gaudet Civitas nostra Cracoviensis, cum Laneis Franconicis ibidem mensurandis, damus eisdem perpetuis temporibus inibi duraturum, Removentes ibidem omnia Jura Polonicalia, modos et consuetudines universas, quae ipsum Jus Theutonicum perturbare consueverunt. Eximimus insuper et perpetuo liberamus Advocatum, Consules, Scabinos et omnes Incolas Civitatis nostrae praedictae ab omnibus Juribus, Jurisdictionibus, potestatibus et poenis omnium Palatinorum, Castellanorum, Judicum, Subiudicum Regni nostri et Ministerialium eorundem, ita quod coram ipsis vel eorum aliquo pro quibuscunque Causis tam magnis quam parvis, puta: furti, sanguinis, homicidy, incendy, membrorum mutilationibus, et alys quibuscunque citati, minime respondere, aut aliquas poenas solvere tenebuntur, sed tantum Incolae coram Advocato, Consulibus, Scabinis ipsorum Civitatis Civitatis (sic) nostrae praefatae, qui pro tempore fuerint, Advocatus vero, Consules, Scabini memoratae nostrae Civitatis coram nobis, dum tamen per literam nostram evocati fuerint, tunc de se quaerulantibus suo nihilominus Jure Teutonico Maydeburgensi respondere sint adstricti. In Causis autem Criminalibus et capitalibus superius expressis, Advocato, Scabinis et Consulibus Civitatis nostrae praedictae Scavinensis iudicandi, sententionandi, condemnandi et puniendi, plenam et omnimodam concedimus facultatem, prout ipsum Jus Theutonicum Maydeburgense in omnibus suis clausulis postulat et requirit. Praeterea statuimus ut de omnibus Laneis quicquid (sic) habuerint intra limites dictae Civitatis, videlicet ab ista parte fluvy dicti *Skawina* versus Cracoviam per mediam marcam Polonici numeri ratione Census nobis et nostris Successoribus, ratione vero decimae sex scotos grossorum Pragensium singulis annis in Festo Beati Martini Confessoris, cui de Jure debuerint, solvere sint adstricti. Ab al-

(²) *Skawina*, oppidum parochiale in Cracoviensi regione jam a. 1676.

tera vero parte fluvy supradicti versus *Zathor* quicquid Lanei ibidem fuerint mensurati, de quolibet Laneo ratione Census mediam marcam supradicti numeri, nobis et nostris Successoribus, ratione vero decimae quatuor scotos grossorum supradictorum, cui de Jure debuerint, prout superius est expressum similiter in Festo S. Martini singulis annis solvere teneantur. Pro Ecclesia etiam et Rectore ipsius unum Laneum agrorum ibidem ab ista parte versus Cracoviam, a Campo qui dicitur *Babice* cum duobus hortis liberos, ibidem adiacentibus, damus et assignamus perpetuis temporibus possidendos. Et nihilominus pro pascuis omnibus, sive pro grege eiusdem Civitatis pellendo locum liberum ab illa parte versus *Zathor* inter agros et hortos perpetuis temporibus assignamus. In quorum omnium testimonium ad evidentiam pleniorem sigillum nostrum praesentibus est appensum. Actum *Cracoviae* in Vigilia Corporis Christi Anno Domini M. CCC. LX. IV. Praesentibus: Andrea Palatino Cracoviensi, Zavissa Sandecensi Castellano, Sirscone Dobrinensi (3), Dinissio Lanciciensi Capitaneis (4), Andrea Subiudice Cracoviensi, Predborio de *Brzeze*. Datum per manus Domini Janussy Cancellary nostri Cracoviensis.

Et ego Nicolaus olim Joannes de *Popelszyno* Clericus Plocensis Diocaeseos, publicus Imperiali authoritate Notarius, praedicti Privilegy Transsumpti fideliter de verbo ad verbum ac alys omnibus et singulis praesens interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi, et fideliter conscribens, in hanc publicam redegi, meque hinc subscripsi, signo et nomine meis solitis consignavi in fidem et testimonium omnium praemissorum.

(3) *Drischo* et *Dirsko*, capitaneus Dobrzynensis legitur sub a. 1362—4 in Codice nostro, vide tomos praecedentes. Nomen ejus, hic male scriptum erat vulgo *Dzierslaw*, *Dzierzko*, *Dzierżek*.

(4) Capitaneus hic legitur in tomo praecedente secundo, pag. 303 nostri Codicis *Diwizio* sub a. 1357 et pag. 728. *Divissius* sub a. 1363.

CLX.

Cracoviae — 11 Junii 1364 anno.

Albertus et Gotardus heredes de *Krzyszowice*, nec non Sbisko, Petrus Stasko, et Wojslaus, fratres inter se germani, haeredes de *Suchoraba*, partes suas in villa *Krzyszowice*, domino Raphaeli Subcamerario Sandomiriensi vendunt. Regis Casimiri confirmatio (1).

In nomine domini Amen. Nos Kazimirus dei gracia Rex Polonie notumfacimus (sic) quibus expedit vniuersis. Quod ad nostram Baronumque nostrorum accedentes presenciam Albertus et Gothardus fratres germani tunc heredes *Krzissouicz* necnon Sbisco presbiter, Petrus Stasko, Woyslaus eciam fratres germani heredes de *Szucharaba,* sani mente et corpore existentes. bona ipsorum voluntate Partes hereditatum ipsorum scilicet *Krzissouicze* in terra Cracouiensi situatas Albertus cum Gothardo quilibet ipsorum pro viginti marcis grossorum Pragensis polonicalis numeri XLVIII marcam facientium Sbisco vero cum suis fratribus videlicet Petro Stascone et Woyslao ipsorum omnes partes per cenam marcis similiter grossorum pragensium nobili viro domino Raphaeli Subcamerario Sandomiriensi vendiderunt et coram nobis perpetuo resignarunt, eidem domino Raphaeli perpetuis temporibus tenendas cum omnibus vtilitatibus secundum (?) quod (?) soli tenerunt pacifice et habendas, et prout sibi suisque successoribus vtilius videbitur. libere conuertendas nihil omnino pro se suisque, partibus in eisdem partibus reseruantes Juris vel dominii scilicet (?) ex toto omni Jure quod ipsis competebat resignarunt In cuius rei testimonium nostrum sigillum presentibus est appensum, actum et datum *Cracouie.* feria quinta proxima post diem sancte Margarethe Anno domini MCCCLX quarto, presentibus Andrea Palatino Cracouiensi, floriano Cancellario Lanciciensi, Clemente Radomiensi, Preslao subdapifero Cracouiensi, Johanne Pacoslai Bodzatha. Procuratore generali et aliis pluribus fidedignis.

(1) Ex archetypo descriptum.

CXLI.

Cracoviae — 5 Februarii 1365 anno.

Nobiles Domicella, Anna et Margaretha, sorores inter se germanae, partes suas in villa *Crzissovice,* **Raphaeli Subcamerario Sandomiriensi vendunt** (1).

Nos Bodzantha Serenissimi Principis domini Kasimiri Regis Poloniae Procurator Terrarum Cracouie et Sandomirie generalis. Notificantes vniuersis presentibus et futuris presentium serie declaramus quod nos nobiles domicelle filie Gneuomiri de *Crzisouicze* Anna et Margaretha sorores germane in apsencia (sic) domini Regis non coacte non compulse adnostram (sic) presenciam venientes Strenuo viro domino Raphaele Subcamerario Sandomiriensi totam partem earum medie hereditatis ibidem in *Crsisouicze* ipsas tangentem pro triginta marcis grossorum numeris polonicalis currentis vendiderunt et conam nobis libere resignarunt cum omni jure et dominio prout ibi sole tenuerunt, habuerunt et possiderunt cum omnibus fructibus ad easdem partes pertinentibus. Quamquidem vendicionem et empcionem Anna et Margaretha predicte cum domino Subcamerario prefato coram nobis et in presencia proborum virorum infra scriptorum eis amicabiliter compositam ratificauerunt et ordinauerunt prout superius sunt expressa diligencius perpetuis temporibus obseruare nullis clausulis aliis interiectis. Actum et datum *Cracovie* in die Sancte Agathe sub Anno Domini Millesimo CCCLX quinto. Presentibus hijs Nobilibus Castellanis Crotone (2) Lublinensi et Paschone Beijcziensi (3) Domino Cristino Vexillifero et Handzlone (4) Dapifero Sandomiriensibus

(1) E tabula authentica descriptum.

(2) Vulgo *Grot,* cujus insigne *Rawicz,* jam supra sub. a. 1363 memoratus.

(3) Pascho legitur castellanus Biecensis annis 1359 et 1365 cum Paulo castellano an. 1363, supra memorato (pag. 287), una est persona.

(4) Bandko dapifer Sandomiriensis supra legitur annis 1361 et 1362 (vid. pag. 268 et seqq).

Domino Johanne Pacoslai Domino Andrea dicto *Mischa* et aliis quam plurimis fidedignis.

CXLII.

Sandomiriae — 3 Februarii 1366 anno.

Casimirus magnus rex constituit, ut mercatores depositorium salis et halecum in civitate Sandomiriensi habeant (¹).

In nomine domini Amen. Cum Regiam deceret Majestatem circa Rempublicam diligentiam gerere spetialem, hijsque intendere, quae commodum et utilitatem subditorum respiciunt, et praesertim subditos suos spetialibus juribus consolarj, Idcirco nouerint uniuersi, tam praesentes quam futurj praesentium noticiam habiturj. Quod nos Cazimirus dei gratia Rex Poloniae nec non terrarum Cracouiae, Sandomiriae, Syradiae, Lanciciae, Cuiauiae, Pomeraniae Russiaeque dominus et haeres. Habentes ad Ciuitatem et Ciues nostros Sandomirienses diligentiam, et gratiam spetialem, ut ex eo nobis et dictis Ciuibus nostris utilitas uberior proueniat et accrescat. Exnunc statuimus volumus et tenore praesentium decernimus, ut sal nostrum seu Zupparum nostrarum et alecia, de quibuscumque partibus ducentia (sic) in Ciuitate nostra Sandomiriensi supradicta deponantur, ibique depositum eorundem salis et alecum perpetuis temporibus pro melioratione, et commodo memoratae Ciuitatis volumus obseruarj. Prohibentes omnibus hijs, qui in *Oppathow* (²) praedictum sal et alecia deponere et abinde recipere consueuerunt, et alijs quibuslibet uniuersis, ne quispiam ipsorum, de cetero ibidem in *Opathow* sal et alecia ut praefertur deponere seu recipere praesumat, nisi in Ciuitate nostra Sandomiriensi memorata, sub conseruatione bonorum suorum et no-

(¹) Muczkowski descripsit hanc tabulam ex libris manu scriptis „Metryki koronne," dictis, ubi in volumine 93, pag. 324 et seqq. invenitur.

(²) *Opatow, Opatovia*, urbs Sandomiriensis provinciae, hodie sui territorii et regionis caput.

strae gratiae sub obtentu. In quorum omnium testimonium, et euidentiam pleniorem sigillum nostrum praesentibus literis est appensum. Actum *Sandomiriae* in crastino purificationis sanctissimae Mariae virginis gloriosae, sub anno natiuitatis domini Millesimo Trecentesimo sexagesimo sexto. Praesentibus Maczkone Cancellario Dibomou. (3), Raphaelo Succamerario Pelca Judice Sandomirien. (4) Bodzętha Procuratore generalj, Joanne Paooslai, Petro Sczekoczki et alijs multis fide dignis. Scriptum autem per Michalconem Canonicum Wislicienseṃ (sic) et Scarbimiriensis Ecclesiarum, Notarium Curiae nostrae Regalis.

(3) Pełko judex Sandomiriensis legitur etiam in tabulis annis 1368 et 1377, vide Paproccii „Herby rycerskie" (pag. 74) et „Dodatek tygodniowy" a. 1851 № 36.
(4) Deberet esse: „Dobrinensi," nam certe praesens fuit Sandomiriae mense Februario 1366 una cum rege, ille cancellarius dobrinensis Matheus, vulgo Maczko appellatus, haeres de *Suescovicz*, quem jam antea in tabulis hujus Tomi Codicis nostri legimus.

CLXIII.

Opatoviciae — 2 Martji 1366 anno.

Litterae confraternitatis Abbatis Opatkovicensis Ordinis S. Benedicti cum Monasterio Tinecensi (1).

Venerabili in Christo Patri Domino Domino Joanni Divina miseratione Abbati totique Conventui Monastery Tynciensis Ordinis Sancti Benedicti Cracovicensis Dioaecesis ..... (2) Dei et Apostolicae Sedis gratia Abbas Monastery Opatovicensis Ordinis supradicti Dioaeces (sic) Pragensis preces devotas et in Christo humiles orationes Nos attendentes, benevolentiam quam ad Nos, contracta nobiscum mutua firmitate, habere dignoscimur, necnon Religiosorum Fratrum Coenoby Viri Joannis videlicet et Abrahae precibus inclinati, vicissitudine aequa vobis laeto animo occurrere affectantes, damus vobis et Suc-

(1) Apographon a Łepkowscio descriptum.
(2) Nomen deest abbatis Opathowiensis in tabula.

Capellanum saecularem vel regularem, qui omni die legat missam defunctorum ad certum altare diebus solennibus duntaxat exceptis. Et circa hoc bis in Septimana qualibet, etiam perpetuis temporibus, videlicet Tertia et Sexta Feria, Vigiliae Novem Lectionum, et duae missae specialiter defunctorum voce decantent. Praeterea de gratia nostra speciali Abbati et Conventui Monastery Tynciensis saepememoratis saepedictas Advocatias vendendi, donandi et commutandi ac pro sua suique Monastery utilitate et melioratione quomodolibet libere convertendi, plenam et omnimodam damus potestatem. In quorum omnium testimonium et evidentiam perpetuae firmitatis praesens Privilegium nostrae donationis Abbati et Conventui Fratrum dicti Tynciensis Monastery dari fecimus Sigillorum nostrorum Regalium parte ex utraque expressorum subappensione communitum. Actum *Cracoviae* in octava Epiphaniae Domini, sub anno eiusdem M.CCC.LX.III. Praesentibus his testibus Joanne Castellano Cracoviensi (5), Joanne Decano et Cancellario Cracoviensi, Predborio Capitaneo Cuiaviae, Bodzata Procuratore Generali, Predborio de *Brzeze* et Andrea dicto *Myszka,* ac alys quam pluribus fide dignis. Datum per manus Domini Joannis Cancellary nostri Cracoviensis supradicti. Scriptum autem per Nicolaum Bohemum Notarium Curiae nostrae Canonicum Ecclesiae Visliciensis.

(5) Joannes dictus *Jura*, qui mortuus est mense Decembri 1363 anno, ubi nos docet praeclarissimum opus „Katalog biskupów Krakowskich", reverendissimi et doctissimi episcopi Joppensis Ludovici Łętowscii, conf. T. IV, pag. 113.

CXXXVII.

Cracoviae — 9 Maji 1363 anno.

Petrus Gallus et alii haeredes de *Crzissowicz*, partem suam in hac villa Raphaeli subcamerario Sandomiriensi vendunt (¹).

Bodzatha procurator generalis Cracouie Sandomirie terrarum Notum cupimus vniuersis presentibus et futuris noticiam presencium inspecturis (sic) Quod venientes ad nostram nostrorumque assessorum presenciam Nobiles viri petrus Gallus .... rtinus fratres germani heredes de *Crzissouicz* non compulsi nec coacti. sed de bona et matura eor .... e partem eorum hereditatis in *Crzissouicz* omnem et integraliter ad ipsos pertinentem cum .... nio Juribus vsibus fructibus et vtilitatibus ad eandem partem pertinentibus prout soli ex successione paterna et materna tenuerunt Strenuo militi domino Raphaeli Subcamerario Sandomiriensi recognouerunt per centum marcas vendidisse, et coram nobis hocidem ratificantes resignarunt Ad eos vero nullum ius penitus hereditatis sue partis predicte reseruantes. Ad cuius vero rei euidenciam pleniorem presens scriptum fieri mandamus et haractere sigilli nostri insigniri. Actum et datum *Cracouie* in Crastino sancti Stanislai sub anno domini MCCCLXIII. Presentibus dominis Sweslao officiali Cracouiensi (²) Paulo Castellano Beycensi (³) Thomislao de *Beganouicz* (⁴) Michaele de *Czanstocicze* (⁵) et Crzeslao de *paulovo* (⁶) et aliis quamplurimis fidedignis.

(¹) E tabula laesa authentica descriptum.

(²) Sweslaus? sub a. 1353 legitur Jwoslaus officialis Cracoviensis, vide hujus Codicis Tomi tertii paginam 237.

(³) Pascho castellanus biecensis legitur a. 1359 in opere Michaelis Grabowscii et Alexandri Przezdzieccii „Źródła do historyi polskiéj," T. I. pag. 129.

(⁴) *Bieganowice?*

(⁵) *Częstocice*, villa territorii et regionis Opatoviensis, parochiae pertinentis ad locum *Szewna* dictum.

(⁶) *Pawłów*, ejusdem nominis multae sunt villae in Cracoviensi et Sandomiriensi palatinatu, est altera Stobnicensis, altera Opatoviensis territorii etc. Opatoviensis, est parochiae suae caput.

CXXXVIII.

Cracoviae — 2 Octobris 1363 anno.

Haeredes de *Niedźwiedź*, fratres inter se germani, prata sua monasterio Virginum Staniątecensi vendunt (¹).

N (²) nomine domini amen. Dignum est vt vendiciones coram Regum Magnificencia factas. solempnis tytulus roboret literarum Jgitur nos Kazimirus dei gracia Rex Polonie, ac terrarum Cracouie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Cuyauie, Pomeranie, Russieque dominus et heres Notum facimus quibus expedit, vniuersis, Quod ad nostram et baronum nostrorum accedentes presenciam, fideles nostri Jacussius Nicolaus et Tomassius fratres germani, heredes de *Medzwedz* (³), terre .... sani mente et corpore existentes, de .... voluntate, prata ipsorum inter *Negardow* et *Gnatouicze*, villas Monasterij de *Stananthek*, sita, wlgariter dicta *Sythnik* et .... ipsos legittime contingencia .... habebant, et prout in suis limitibus circumferencialiter, distincta sunt antiquitus, et sicuti soli eadem suis temporibus tenuerunt. Ex .... dumtaxat prato, quod a plebano suo de *Medzwedz* per modum Commutacionis receptum, Ecclesie et Rectori ipsius in *Negardow*, qui pro tempore fuerit perpetuo adiunxerunt. Religioso viro fratri Stephano preposito, Woyszice Magistre, totoque Conuentui sororum Monasterij predicti de *Stananthek*, pro Nonaginta Marcis grossorum pragensium. XLVIII° marcam faciencium, iure hereditario libere vendiderunt et coram nobis perpetuo voluntarie resignarunt, per iam dictos Monaste-

(¹) Sławiński descripsit e tabula authentica Staniątciis asservata Funiculo serico viridis coloris appensum est sigillum majestaticum, quod jam supra ad a. 1356 descripsimus. Rimae nonnulae totum verborum tabulae contextum legere impediverunt. De multis locis huc memoratis jam supra diximus.

(²) Characterem *J* scriba in praepositione omisit et vacuum reliquit (conf. annotationem secundam tabulae ad N°. CXVII praecedentis.

(³) Hodie villa haec appellatur *Niedźwiedź* et habet ecclesiam suam parochialem. In chartis geographicis illam in regione Proszowicensi invenimus.

rium, Prepositum Magistram et Conuentum de *Stananthek*, qui pro tempore fuerint, cum omnibus iuribus dominio et pertinenciis, et generaliter cum vniuersis et singulis vtilitatibus, que nunc ibidem, habentur. vel haberi quomodolibet poterint in futurum, libere tenenda et pacifice possidenda, donanda Commutanda vendenda, et pro ipsorum voluntate conuertenda. Nos igitur predictam empcionem vendicionem et resignacionem. ratam gratam atque firmam habentes, ipsam approbamus ratificamus et perpetuo confirmamus Harum Sigillum nostrum quibus appensum est presentibus testimonio literarum. Actum *Cracouie* feria tercia post diem beati Michaelis Archangeli Anno domini Millesimo Trecentesimo Sexagesimo Tercio presentibus hijs testibus ....rea (Andrea) Palatino Cracouiensi (⁴), Grothone Lublinensi. Dobeslao Visliciensi Stanislao Malogostensi Zauissio Sandecensi, Castellanis. Ottone Capitaneo Russie generali, ac alijs multis fidedignis Datum per manus domini Johannis Cancellarij Cracouiensis. Scriptum per Warsium de *Scrzyn* Curie nostre Notarium. Regie Maiestatis.

(⁴) Andreas de *Tęczyn*, legitur eodem tempore (mense Octobri) 1363 ap. Helcelium: anno vero 1364, in privilegio Casimiri regis, Academiae Cracoviensi dato.

CXXXIX.

Cracoviae — 22 Maji 1364 anno.

Casimirus magnus Poloniae rex, urbi novae fundationis vulgo *Skawina* dictae, privilegium juris teutonici confert (¹).

Nos Kazimirus Dei gratia Rex Poloniae necnon Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lancitiae, Cuiaviae, Pomeraniae Russiaeque Dominus et haeres. Notum facimus tenore praesentium quibus expedit universis tam praesentibus quam futuris, quod Civitatem

(¹) Descriptum a Josepho Łepkowscio.

nostram novae fundationis in *Skawina* ([1]) in metis Terrae nostrae Cracoviensis et Incolas in ea degentes pro consolatione ipsorum, qui pro tunc in ipsa fuerint speciali in suo Jure debite limitato conservare volentes, gratiose exnunc Jus Theutonicum quod Maydeburgense dicitur, quo gaudet Civitas nostra Cracoviensis, cum Laneis Franconicis ibidem mensurandis, damus eisdem perpetuis temporibus inibi duraturum, Removentes ibidem omnia Jura Polonicalia, modos et consuetudines universas, quae ipsum Jus Theutonicum perturbare consueverunt. Eximimus insuper et perpetuo liberamus Advocatum, Consules, Scabinos et omnes Incolas Civitatis nostrae praedictae ab omnibus Juribus, Jurisdictionibus, potestatibus et poenis omnium Palatinorum, Castellanorum, Judicum, Subiudicum Regni nostri et Ministerialium eorundem, ita quod coram ipsis vel eorum aliquo pro quibuscunque Causis tam magnis quam parvis, puta: furti, sanguinis, homicidy, incendy, membrorum mutilationibus, et alys quibuscunque citati, minime respondere, aut aliquas poenas solvere tenebuntur, sed tantum Incolae coram Advocato, Consulibus, Scabinis ipsorum Civitatis Civitatis (sic) nostrae praefatae, qui pro tempore fuerint, Advocatus vero, Consules, Scabini memoratae nostrae Civitatis coram nobis, dum tamen per literam nostram evocati fuerint, tunc de se quaerulantibus suo nihilominus Jure Teutonico Maydeburgensi respondere sint adstricti. In Causis autem Criminalibus et capitalibus superius expressis, Advocato, Scabinis et Consulibus Civitatis nostrae praedictae Scavinensis iudicandi, sententionandi, condemnandi et puniendi, plenam et omnimodam concedimus facultatem, prout ipsum Jus Theutonicum Maydeburgense in omnibus suis clausulis postulat et requirit. Praeterea statuimus ut de omnibus Laneis quicquid (sic) habuerint intra limites dictae Civitatis, videlicet ab ista parte fluvy dicti *Skawina* versus Cracoviam per mediam marcam Polonici numeri ratione Census nobis et nostris Successoribus, ratione vero decimae sex scotos grossorum Pragensium singulis annis in Festo Beati Martini Confessoris, cui de Jure debuerint, solvere sint adstricti. Ab al-

([1]) *Skawina*, oppidum parochiale in Cracoviensi regione, jam a. 1676.

tera vero parte fluvy supradicti versus *Zathor* quicquid Lanei ibidem fuerint mensurati, de quolibet Laneo ratione Census mediam marcam supradicti numeri, nobis et nostris Successoribus, ratione vero decimae quatuor scotos grossorum supradictorum, cui de Jure debuerint, prout superius est expressum similiter in Festo S. Martini singulis annis solvere teneantur. Pro Ecclesia etiam et Rectore ipsius unum Laneum agrorum ibidem ab ista parte versus Cracoviam, a Campo qui dicitur *Babice* cum duobus hortis liberos, ibidem adiacentibus, damus et assignamus perpetuis temporibus possidendos. Et nihilominus pro pascuis omnibus, sive pro grege eiusdem Civitatis pellendo locum liberum ab illa parte versus *Zathor* inter agros et hortos perpetuis temporibus assignamus. In quorum omnium testimonium ad evidentiam pleniorem sigillum nostrum praesentibus est appensum. Actum *Cracoviae* in Vigilia Corporis Christi Anno Domini M. CCC. LX. IV. Praesentibus: Andrea Palatino Cracoviensi, Zavissa Sandecensi Castellano, Sirscone Dobrinensi (³), Dinissio Lanciciensi Capitaneis (⁴), Andrea Subiudice Cracoviensi, Predborio de *Brzeze*. Datum per manus Domini Janussy Cancellary nostri Cracoviensis.

Et ego Nicolaus olim Joannes de *Popelszyno* Clericus Plocensis Diocaeseos, publicus Imperiali authoritate Notarius, praedicti Privilegy Transsumpti fideliter de verbo ad verbum ac alys omnibus et singulis praesens interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi, et fideliter conscribens, in hanc publicam redegi, meque hinc subscripsi, signo et nomine meis solitis consignavi in fidem et testimonium omnium praemissorum.

(3) *Drischo* et *Dirsko*, capitaneus Dobrzynensis legitur sub a. 1362—4 in Codice nostro, vide tomos praecedentes. Nomen ejus, hic male scriptum erat vulgo *Dziersław*, *Dzierzko*, *Dzierżek*.

(4) Capitaneus hic legitur in tomo praecedente secundo, pag. 303 nostri Codicis *Diwizio* sub a. 1357 et pag. 728. *Divissius* sub a. 1363.

CLX.

Cracoviae — 11 Junii 1364 anno.

Albertus et Gotardus heredes de *Krzyszowice*, nec non Sbisko, Petrus Stasko, et Wojslaus, fratres inter se germani, haeredes de *Suchoraba*, partes suas in villa *Krzyszowice*, domino Raphaeli Subcamerario Sandomiriensi vendunt. Regis Casimiri confirmatio (1).

In nomine domini Amen. Nos Kazimirus dei gracia Rex Polonie notumfacimus (sic) quibus expedit vniuersis. Quod ad nostram Baronumque nostrorum accedentes presenciam Albertus et Gothardus fratres germani tunc heredes *Krzissouicz* necnon Sbisco presbiter, Petrus Stasko, Woyslaus eciam fratres germani heredes de *Szucharaba,* sani mente et corpore existentes. bona ipsorum voluntate Partes hereditatum ipsorum scilicet *Krzissouicze* in terra Cracouiensi situatas Albertus cum Gothardo quilibet ipsorum pro viginti marcis grossorum Pragensis polonicalis numeri XLVIII marcam facientium Sbisco vero cum suis fratribus videlicet Petro Stascone et Woyslao ipsorum omnes partes per cenam marcis similiter grossorum pragensium nobili viro domino Raphaeli Subcamerario Sandomiriensi vendiderunt et coram nobis perpetuo resignarunt, eidem domino Raphaeli perpetuis temporibus tenendas cum omnibus vtilitatibus secundum (?) quod (?) soli tenerunt pacifice et habendas, et prout sibi suisque successoribus vtilius videbitur. libere conuertendas nihil omnino pro se suisque, partibus in eisdem partibus reseruantes Juris vel dominii scilicet (?) ex toto omni Jure quod ipsis competebat resignarunt In cuius rei testimonium nostrum sigillum presentibus est appensum, actum et datum *Cracouie.* feria quinta proxima post diem sancte Margarethe Anno domini MCCCLX quarto, presentibus Andrea Palatino Cracouiensi, floriano Cancellario Lanciciensi, Clemente Radomiensi, Preslao subdapifero Cracouiensi, Johanne Pacoslai Bodzatha. Procuratore generali et aliis pluribus fidedignis.

(1) Ex archetypo descriptum.

CXLI.

Cracoviae — 5 *Februarii* 1365 *anno.*

Nobiles Domicella, Anna et Margaretha, sorores inter se germanae, partes suas in villa *Crzissovice,* Raphaeli Subcamerario Sandomiriensi vendunt (1).

Nos Bodzantha Serenissimi Principis domini Kasimiri Regis Poloniae Procurator Terrarum Cracouie et Sandomirie generalis. Notificantes vniuersis presentibus et futuris presentium serie declaramus quod nos nobiles domicelle filie Gneuomiri de *Crzisouicze* Anna et Margaretha sorores germane in apsencia (sic) domini Regis non coacte non compulse adnostram (sic) presenciam venientes Strenuo viro domino Raphaele Subcamerario Sandomiriensi totam partem earum medie hereditatis ibidem in *Crsisouicze* ipsas tangentem pro triginta marcis grossorum numeris polonicalis currentis vendiderunt et coram nobis libere resignarunt cum omni jure et dominio prout ibi sole tenuerunt, habuerunt et possiderunt cum omnibus fructibus ad easdem partes pertinentibus. Quamquidem vendicionem et empcionem Anna et Margaretha predicte cum domino Subcamerario prefato coram nobis et in presencia proborum virorum infra scriptorum eis amicabiliter compositam ratificauerunt et ordinauerunt prout superius sunt expressa diligencius perpetuis temporibus obseruare nullis clausulis aliis interiectis. Actum et datum *Cracovie* in die Sancte Agathe sub Anno Domini Millesimo CCCLX quinto. Presentibus hijs Nobilibus Castellanis Crotone (2) Lublinensi et Paschone Beijcziensi (3) Domino Cristino Vexillifero et Handzlone (4) Dapifero Sandomiriensibus

(1) E tabula authentica descriptum.
(2) Vulgo *Grot,* cujus insigne *Rawicz,* jam supra sub. a. 1363 memoratus.
(3) Pascho legitur castellanus Biecensis annis 1359 et 1365 cum Paulo castellano an. 1363, supra memorato (pag. 287), una est persona.
(4) Bandko dapifer Sandomiriensis supra legitur annis 1361 et 1362 (vid. pag. 268 et seqq).

Domino Johanne Pacoslai Domino Andrea dicto *Mischa* et aliis quam plurimis fidedignis.

CXLII.

Sandomiriae — 3 Februarii 1366 anno.

Casimirus magnus rex constituit, ut mercatores depositorium salis et halecum in civitate Sandomiriensi habeant (1).

In nomine domini Amen. Cum Regiam deceret Majestatem circa Rempublicam diligentiam gerere spetialem, hijsque intendere, quae commodum et utilitatem subditorum respiciunt, et praesertim subditos suos spetialibus juribus consolarj, Idcirco nouerint uniuersi, tam praesentes quam futurj praesentium noticiam habiturj. Quod nos Cazimirus dei gratia Rex Poloniae nec non terrarum Cracouiae, Sandomiriae, Syradiae, Lanciciae, Cuiauiae, Pomeraniae Russiaeque dominus et haeres. Habentes ad Ciuitatem et Ciues nostros Sandomirienses diligentiam, et gratiam spetialem, ut ex eo nobis et dictis Ciuibus nostris utilitas uberior proueniat et accrescat. Exnunc statuimus volumus et tenore praesentium decernimus, ut sal nostrum seu Zupparum nostrarum et alecia, de quibuscumque partibus ducentia (sic) in Ciuitate nostra Sandomiriensi supradicta deponantur, ibique depositum eorundem salis et alecum perpetuis temporibus pro melioratione, et commodo memoratae Ciuitatis volumus obseruarj. Prohibentes omnibus hijs, qui in *Oppathow* (2) praedictum sal et alecia deponere et abinde recipere consueuerunt, et alijs quibuslibet uniuersis, ne quispiam ipsorum, de cetero ibidem in *Opathow* sal et alecia ut praefertur deponere seu recipere praesumat, nisi in Ciuitate nostra Sandomiriensi memorata, sub conseruatione bonorum suorum et no-

(1) Muczkowski descripsit hanc tabulam ex libris manu scriptis „Metryki koronne," dictis, ubi in volumine 93, pag. 324 et seqq. invenitur.

(2) *Opatow, Opatovia*, urbs Sandomiriensis provinciae, hodie sui territorii et regionis caput.

strae gratiae sub obtentu. In quorum omnium testimonium, et euidentiam pleniorem sigillum nostrum praesentibus literis est appensum. Actum *Sandomiriae* in crastino purificationis sanctissimae Mariae virginis gloriosae, sub anno natiuitatis domini Millesimo Treecentesimo sexagesimo sexto. Praesentibus Maczkone Cancellario Dibomou. ([3]), Raphaelo Succamerario Pelca Judice Sandomirien. ([4]) Bodzętha Procuratore generalj, Joanne Pacoslai, Petro Sczekoczki et alijs multis fide dignis. Scriptum autem per Michalconem Canonicum Wisliciensem (sic) et Scarbimiriensis Ecclesiarum, Notarium Curiae nostrae Regalis.

([3]) Pełko judex Sandomiriensis legitur etiam in tabulis annis 1368 et 1377, vide Paproccii „Herby rycerskie" (pag. 74) et „Dodatek tygodniowy" a. 1851 N° 36.

([4]) Deberet esse: „Dobrinensi," nam certe praesens fuit Sandomiriae mense Februario 1366 una cum rege, ille cancellarius dobrinensis Matheus, vulgo Maczko appellatus, haeres de *Suescovicz*, quem jam antea in tabulis hujus Tomi Codicis nostri legimus.

CLXIII.

Opatoviciae — 2 Marÿi 1366 anno.

Litterae confraternitatis Abbatis Opatkovicensis Ordinis S. Benedicti cum Monasterio Tinecensi ([1]).

Venerabili in Christo Patri Domino Domino Joanni Divina miseratione Abbati totique Conventui Monastery Tynciensis Ordinis Sancti Benedicti Cracovicensis Dioaecesis ..... ([2]) Dei et Apostolicae Sedis gratia Abbas Monastery Opatovicensis Ordinis supradicti Dioaeces (sic) Pragensis preces devotas et in Christo humiles orationes Nos attendentes, benevolentiam quam ad Nos, contracta nobiscum mutua firmitate, habere dignoscimur, necnon Religiosorum Fratrum Coenoby Viri Joannis videlicet et Abrahae precibus inclinati, vicissitudine aequa vobis laeto animo occurrere affectantes, damus vobis et Suc-

([1]) Apographon a Łepkowscio descriptum.

([2]) Nomen deest abbatis Opathowiensis in tabula.

cessoribus vestris Fraternitatem nostram et nostrorum Successorum, in vita pariter et in morte, et plenam participationem omnium bonorum, quae apud nos fuerint, in orationibus, in vigilijs, in ieiunijs et in Missis caeterisque piis operibus eleemosinisque. Statuimus etiam firmiter a nobis nostrisque Successoribus inviolabiliter observandum, ut omnium Fratrum nostrorum praesentium et futurorum, quorum apud nos obitus innotuerit, pro quolibet ipsorum Missa defunctorum solenniter decantetur, et agatur memoria ipsorum in consuetis officijs defunctorum. Ad robur vero et confirmationem et ad memoriam perpetuam horum omnium praemissorum Sigilla nostra praesentibus duximus appendenda. Datum in Monasterio nostro supradicto Anno Domini M. CCC. LX. VI. Secundo die mensis Martij.

CXLIV.

Niepolomiciis — 5 Novembris 1366 anno.

Strasz filius Wylconis partem suam in *Crzissowicz* domino Raphaeli Subcamerario Sandomiriensi vendidit (1).

In nomine domini amen. Nos Kazimirus dei gracia Rex Polonie. Tenore presencium notum facimus quibus expedit vniuersis. Quod ad nostram et baronum nostrorum accedens presenciam Strasz filius Wylconis heres de *Crisseuicz* sanus mente et corpore existens non compulsus non coactus. neque aliquo dolo circumuentus sed spontanea voluntate et bona deliberacione sui animi prehabita. Totam partem sue hereditatis ibidem in *Crisseuicz* ipsum ex paterna successione legitime contingentem cum omni iure et dominio nec non omnibus et singulis vtilitatibus et quibusuis pertinenciis ad ipsam partem hereditatis in *Crzisseuicz* quomodolibet pertinentibus prout dicta pars in suis circumferencialiter insigniis noscitur esse distincta et limitata et prout

(1) Apographon descriptum ex archetypo.

idem Strasz eandem partem hereditatis in *Crzissewicz* suis temporibus solus tenuit et possedit nihil iuris vel dominii pro se in eadem exnunc penitus reseruando. Nobili viro domino Raphaeli Subcamerario Sandomiriensi pro quadraginta marcis grossorum pragensium numeri polonicalis XLVIII grossos pro qualibet marca computando vendidit perpetuo et libere resignauit. Ipsi domino Raphaeli et eius posteris sepedictam partem hereditatis in *Crzisseuicz* tenendam, habendam, et possidendam. necnon vendendam donandam. et commutandam, ac pro sua suorumque posterorum voluntate quouis tytulo alienacionis libere conuertendam. Quamquidem vendicionem empcionem et resignacionem. sic rite et racionabiliter factam ratam habentes et gratam presentibus confirmamus, harum quibus sigillum nostrum est appensum testimonio literarum. Actum in *Nepolomicz* feria Quinta pos (sic) diem omnium sanctorum Sub anno domini millesimo CCCLXVI presentibus hijs Testibus. Johanne Castellano (²). Marco Venatore, Predborio Subdapifero. Andrea subiudice Cracouiensibus Johanne de *Zakrzow* Magistro Curie domine Regine (³) et domino Budkone milite, ac aliis quamplurimis fidedignis.

(²) Johannes de *Mielsztyn*, *Mielsztyński*.
(³) Joannes hic a. 1366 magister curiae reginae, anno 1370 jam et magister curiae et subcamerarius Sandomiriensis: conf. nostri Codicis tomos priores.

CXLV.

Cracoviae — 10 die Novembris 1366 anno.

Venditio partis hereditatis *Krzyszowice*, per Wenceslaum et alios domino Raphaeli Succamerario Sandomiriensi (¹).

.... nomine domini Amen. Dignum esse dinoscitur vt venditiones empciones et resignaciones coram regum excellencia ..... sollempnis

(¹) Ex tabula ob senectutem laesa, descriptum.

roboret titulus litterarum. Eapropter nos Kasimirus dei gracia Rex Polonie necnon terrarum Cracouie .... Syradie. Lancicie. Cuyauie Pomeranie. Russieque dominus et heres notum facimus tenore presencium .... tam presentibus quam futuris, Quod ad nostram Baronumque nostrorum accedentes presenciam Wenezeslaus cum .... germano fratre suo, ac coram Wychna et Ozanna sorores vterine heredes de *Crzisszouicz* sani .... existentes non compulse neque aliquo dolo circumuenti, sed spontanea, voluntate ac bona deliberacione .... animi diligenti prehabita omnes partes hereditatis predicte *Crzisszouicz* in terra Cracouiensi .... os et ipsas quomodolibet contingentes cum omni iure et dominio, videlicet, agris pratis, mericis censibus et obuencionibus ac generaliter cum vtilitatibus vniuersis, ad dictas partes quomodolibet spectantibus .... prout soli ipsas suis temporibus possederunt nobili ac strenuo militi domino Raphaeli Subcamerario nostro Sandomiriensi Comiti heredique de *Tharnow* (²) pro quadraginta marcis grossorum pragensium polonicalis nummi XLVIII grossos pro qualibet marca computando vendiderunt et perpetuo libere resignarunt, per ipsum dominum Raphaelem et eius legitimos successores perpetuis temporibus tenendas et habendas et pro sue libito (sic) voluntatis quomodolibet libere conuertendas quam quidem vendicionem, empcionem et resignacionem ratam habentes atque gratam presentibus approbantes confirmamus per omnia graciose, In cuius rei testimonium sigillum presentibus est appensum. Actum *Cracouie* in uigilia beati Martini confessoris. atque pontificis gloriosi. Anno Natiuitatis domini Millesimo CCCLX sexto. Presentibus, domino Johanne Castellano Cracouiensi, Dobeslao Castellano Wysliciensi, Johanne Bork dapifero Sandomiriensi, Bodzata procuratore generali. Wyrzbentha de *Malosszow*, Petussio (³) de *scecociny* heredibus et aliis pluribus fidedignis. Datum per manus domini Janussij Cancellarii nostri Cracouiensis.

(²) Nunc primam mentionem legimus deRaphaele nostro, tanquam de haerede oppidi *Tarnow* dicti.

(³) Certe *Petrussio*, id est, *Petro* deberet esse. Saepe idem Petrus in proxime praecedentibus tabulis legitur.

CXLVI.

(Cracoviae) — 5 Martij 1367 anno.

Hermannus dictus Crancz, braxatorium suum lapideum monasterio Staniątcensi jure haereditario resignat (¹).

Nouerint tam presentes quam futuri quibus expedit vniuersi Quod sub anno domini Millesimo CCC^mo Sexagesimo septimo feria Sexta proxima ante dominicam Innocauit, Judicium fuit bannitum per Aduocatum Jacusszium Kmel et per Septem Scabinos submissos videlicet Nicolaum Scolczil Nicolaum Besen Johannem Luczninam, Johannem Englusszij Ticzonem Crutanefleisch, Nicolaum grokop et Hankonem Kranch, Coram quo Judicio Circumspectus vir Hermannus Crancz personaliter constitutus Brascatorium (braxatorium?) suum lapideum cum domibus ligneis contigue adiacentibus et pertinentibus ad ipsum in suis antrorsum et retrorsum circumferencijs veluti sunt distincte, retro Hospitale seu Ecclesiam Sancte Crucis fundamentaliter situatas, famoso viro domino Floriano yconomo seu procuratori Sanctimonialium in *Stanakil* (sic) vice et nomine earundem Sanctimonialium, omni eo Jure quo ipse Hermannus. easdem hereditates tenuit actenus et possedit, libere resignauit, Per dictas Sanctimoniales et eorum (sic) Conuentum memoratas hereditates, tenendas, habendas. vtifruendas, Jure quoque hereditario perpetue et pacifice possidendas, Necnon in quosuis vsus beneplacitos conuertendas Et promisit supradictus Hermannus Crancz pro omni impeticione seu allocucione secundum Jus Ciuitatis atque legem. In cuius Rei Testimonium Sigillum Scabinorum Cracouiensium presentibus est appensum, Actum per omnia et singula velud (sic) Supra.

(¹) Sławiński descripsit e tabula authentica membranacea Staniątciis asservata. Taeniola pergamena restat et reliquiae tantum sigilli. In dorso privilegii quaedam seculi XV manus scripsit: „*Sladawnijca seu domus in Cracouia.*"

CXLVII.

Cracoviae — 19 Novembris 1367 anno.

Casimirus magnus Poloniae rex, certa jura in silvis Siedlecensibus Bernardo de Bernassowicz et Nicolao filio, confirmat (1).

In nomine dominj amen, Nos Kazimirus dei gracia Rex Polonie. Notum facimus quibus expedit presentibus et futuris vniuersis, Quod cum fideli nostro Floriano procuratori in *Nepolomicz* dedissemus in commisso, vt sufficiens testimonium recipet (sic) a Bernardo de *Bernasszouicz* et ipsius filio Nicolao, Super Juribus ipsorum, que dixerunt se habere, in Silua nostra pertinente ad *Sedlecz* (2), ab antiquo, Tandem predicti Bernardus cum filio sufficienter docuerunt, se habuisse libera pascua Scrofarum et Peccorum in iamdicta Silua, et eciam licitum eis fuit incidere ligna pro sua et suorum kmethonum necessitate: exceptis duntaxat lignis Querciuis (sic), Nos autem predictum testimonium ratum habentes, predicta Jura, dictis Bernardo et Nicolao, ac ipsorum legitimis successoribus incorporamus perpetuis temporibus duratura. Datum *Cracouie* in Octaua Sancti Martini confessoris atque Pontificis gloriosi, Sub anno domini Millesimo Trecentesimo Sexagesimo Septimo, ligna vero ad vendendum ipsis, incidere prohibemus. Scriptum per Michalconem Notarium Curie nostre Canonicum Cracouiensem.

(1) Sławiński e tabula pargamena descripsit. Taeniola etiam pergamena. Sed sigillum desideratur.

(2) *Siedlec,* villa provinciae antiquae Cracoviensis, regionis vero Cachowensis, parochiae Chełmensis: villa non procul a Niepołomiciis sita, hodie in Gallicia.

CXLVIII.

Cracoviae — ultimis diebus mensis Decembris 1367 an.

Privilegium locationis oppidi *Krzyżanowice*, **a Casimiro rege monasterio** *Krzyżanoviecensi* **datum** (1).

In nomine domini amen. Largitas Regum multipliciter commendatur si ex donacione gratuita confirmacio beneuola subsequatur. Nouerit igitur tam presens etas quam successura posteritas. Quod nos Kazimirus dei gracia Rex Polonie nec non Terrarum Cracouie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Cuyauie, Pomeranie, Russieque heres et dominus attendentes quod presens vita est instabilis et incerta volentesque ex submissis diem extreme diei operibus misericordie preuenire in remedium et salutem anime nostre et progenitorum nostrorum ac ob reuerenciam et gloriam sancti Dominici de monasterio dicto *Krzizanouicze* (2) ordinis Premonstratensis quod adhuc villa denominari consueuit et de dictorum nostrorum progenitorum fundacione existit opidum locandum iure theutonico videlicet Sredensi fore decernentes, ipso opido *Krziżanouicze* sic locando forum omnium rerum venalium vno die videlicet Sabbato in qualibet septimana annis singulis celebrandum statuimus et perpetuis temporibus duraturum dantes ac eam concedentes de nostra regia plenitudine speciali vniuersis et singulis.. hominibus et.. mercatoribus cuiuscunque status aut condicionis existant, res et merces ipsorum cuiuscunque generis aut speciei fuerint emendi vendendi et alio modo exercendi in nostro opido *Krziżanouicze* simul que in aliis ciuitatibus et opidis Regni nostri consuetum

(1) Privilegium hoc descriptum est e tabula authentica monasterii Witowiensis suppressi apud Petricoviam propria, quam nobiscum communicavit Vladislaus Wieczorkowski.

(2) *Krzyżanowice*, villa parochialis ad Nidam fluvium sita, Stobnicensis territorii et regionis. Coenobium ibidem sacrarum virginum ordinis Praemonstratensis fundatum est a Boleslao Pudico. Conf. tabulam anni 1254, in Tomo primo Codicis nostri pag. 73 typis exaratam (Nº. XLIV).

est fieri plenam et omnimodam facultatem. Insuper ut.. opidani dicti opidi *Krzyzanowicze* ac incole in ipso habitande incrementis vberioribus valeant respirare, volumus et perpetuo edicto sanctimus (sic) quod omnes et singuli Textores ad memoratum opidum *Krziżanowicze* de quibuscunque partibus aduenientes possint et valeant mansionem ibidem facere et eligere ipsorum opus et labores libere exercendo. Quibus pannos vlnatim incidere et stanna integre ciuitatibus vicinis et oppidis vendere et ea ad ipsas seu ipsa adducere et deducere iuxta modum et consuetudinem aliorum civitatum et opidorum regni nostri sit facultas plenaria et potestas, censu nostro regali in omnibus semper saluo. Pretera volentes ac eciam cupientes condicionem dicti oppidi *Krzizanouicze* fieri meliorem... Aduocatum qui pro tempore fuerit nec non omnes et singulos incolas ipsius opidi *Krziżanowicze* ab omnibus et singulis iudiciis et potestatibus omnium Palatinorum... Castellanorum, Judicum. et.. Subiudicum ac.. ministerialium eorundem absoluimus Regni nostri eximimus, et penitus liberamus. Ita quod coram eis aut eorum aliquo quo causis tam magnis quam paruis puta furti, homicidii, sanguinis, incendii ac quibusuis aliis causis citati minime respondebunt Sed tantum.. Aduocatus qui erit pro tempore coram suo preposito qui etiam pro tempore fuerit, opidani vero opidi memorati coram ipsorum.. aduocato.. Si vero memoratus.. Prepositus in reddenda iustitia negligens foret quod absit, tunc coram nobis aut iudicio nostro generali dumtamen per litteram nostram sigillo nostro sigillatam euocatus fuerit, tunc de se querelantibus, non aliter nisi Jure ipsorum theuthonico videlicet consueto respondere perpetue fuerint adstricti In causis autem criminalibus et capitalibus supradicto.. aduocato sententiandi, iudicandi, et condempnandi, damus et concedimus plenariam facultatem, prout ipsum ius theuthonicum videlicet Sredense in omnibus suis punctis et articulis postulat et requirit. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus appendendum. Actum *Cracouie* in octaua beati Stephani protomartiris. Anno domini millesimo CCC sexagesimo septimo, Presentibus dominis, Johanne Castellano, Janussio Cancellario Andrea Palatino Nicolao Judice, Cracouiensibus, Pelka marsal-

cone et Andrea Subiudice Cracouiensi et aliis pluribus fidedignis. Datum per dominum Janussium Cancellarium Cracouiensem Subiudicem, Scriptum vero per Symonem Notarium nostre regalis curie.

CXLIX.

Cracoviae — 20 Maji 1368 anno.

Concordiam inter Spytconem Decanum ecclesiae S. Floriani Cracoviensem et canonicum, nec non Hugonem abbatem Szczyrzycensem, de villarum *Glogoszow* et *Wloszan* decimis, arbitri componunt (¹).

In nomine domini Amen. Noverint universi noticiam presencium habituri, Quod cum honorabilis vir dominus Spitko decanus Ecclesie sancti Floriani prope Cracoviam Canonicus Cracoviensis, hominibus seu Kmethonibus Venerabilis Patris Fratris Hugonis Abbatis et Conventus Monasterij de *Cyricz* Ordinis Cysterciensis Cracoviensis Dyocesis de hijs villis, videlicet *Glogoczow* et de *Wloszan*, super decimis de ipsorum araturis movissent (sic) questionem, asserens ipsas ad suam Cracoviensem prebendam pertinere, utpote de novalibus procedentes et productas; Predicti vero Abbas et Conventus huiusmodi decimas Juere (sic) ex Privilegio Sedis apostolice fratribus Ordinis Cysterciensis concesso, ad ipsos et ad ipsorum Monasterium pertinere dicentes, litem in se nomine dictorum suorum hominum seu Kmethonum receperunt. Tandem post multas et diversas altercaciones inter se habitas, predictus dominus Spitko decanus pro parte sua in dominum Mathiam *Vola* dictum, doctorem Canonicum Cracoviensem et magistrum Nicolaum dictum *Skalka* Altaristam Ecclesie Cracoviensis, Et predicti Abbas et Conventus in dominum Johannem Grotkonis (sic) doctorem decretorum et dominum Johannem de *Buszhc* (²) Canonicos

(¹) Contextus hujus tabulae invenitur in transumpto privilegiorum Casimiri Magni ejusdem anni, quibus privilegia monasterii Szczyrzycensis renovat. Conf. tabulam proxime sequentem.

(²) *Busk*, *Busko* haud dubio intelligitur.

Cracovienses sua pro parte, super controversia et lite decimarum predictarum de alto et basso cum ceteris clausulis in compromisso super hoc confecto plenius amicabiliter compromiserunt, promittentes inviolabiliter observare et tenere, quidquid per eosdem vel partem alteram eorundem, cui Venerabilis vir dominus Sueslaus Canonicus et Officialis Cracouiensis adhereret, ordinatum esset et laudatum. Nos vero predicti arbitratores et compositores, videlicet Johannes Grotkonis, Mathias de *Vola*, Johannes de *Busszk* et Nicolaus dictus *Skalka*, visis omnibus que predicte partes pro informacione Juris coram nobis producerent, de consilio sapientum comperimus et invenimus tam de Jure quam de literis vera Bulla Sedis apostolice munitis, quod predicti Abbas et Conventus Monasterij de *Cyrzicz*, de terris ipsorum cultis et non cultis per ipsos vel ipsorum heredes, decimam ad eundem Abbatem et Conventum Monasterij predicti debere pertinere;... solum Deum pre oculis habentes, et eius nomine invocato, in ipsamque sentenciam bona deliberacione prehabita, nullo discrepante, convenientes, in hijs scriptis Laudamus, Arbitramur, Sumamus et diffinimus, Decimas predictas de villis vide licet *Glogoczow* et *Wlosan*, ad predictos Abbatem et Conventum et eorum Monasterium pertinuisse et perpetuis temporibus de Jure pertinere, Predicto Spitkoni decano super dicimis (sic) eisdem perpetuum silencium imponentes. In cuius rei testimonium presens nostrum arbitrium per Petrum de *Zavichosth* publicum et notarium cause huius modi, compromissum infrascriptum scribi et in formam publicam redigi fecimus, cum nostrorum appensione Sigillorum. Actum et datum, Anno domini Millesimo, trecentesimo, sexagesimo octavo. Indiccione sexta mensis Maij die vicesima, hora terciarum. *Cracovie* in Sala habitacionis Honorabilis viri Johannis Grotkonis doctoris decretorum supradicti. Presentibus honorabilibus et discretis viris: Domino Sanczneo Navoczy Canonico Cracoviensi, Nicolao rectore Ecclesie de *Unieijow*, Wenceslao vicario Ecclesie Cracoviensis Kathedralis, Franczkone de *Bulonini* (Bukovini?), Stanislao dicto *Zidowski* et Nicolao Fabiani de *Sandomiria* Clerico familiaribus domini Johannis Grotkonis supradicti et alijs pluribus fide dignis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

CL.

Cracoviae — 19 Junii 1368 anno.

Casimirus magnus rex Poloniae, varia privilegia monasterio Szczyrzycensi ab antiquo concessa renovat (¹).

In nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Kazimirus dei gracia Rex Polonie, Nec non terrarum Cracovie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuyavie, Pomeranie Russieque dominus et heres: Firmiter credimus nobis, ad salutis augmentum et ad eterne vite gaudia pervenire, cum Religiosarum personarum, que divinis obsequijs sunt deputate, profectibus libenter intendimus, et eisdem favorem nostrum in hijs regium liberaliter inpertimus. Sane honorabilis vir dominus Hugo Abbas Monasterij de *Cyricz* Ordinis Cysterciensis ad nostre Maiestatis presenciam accedens, obtulit quasdam quadruplices literas vel privilegia Sigillata super quasdam decimas sui Monasterii, petens instanter, ut transcripcione horundem privilegiorum Jus Monasteriale egeat necessario, Asserensque causas, ne in mutacionibus albatum vel aliquo casu aliquod eorum detrimentum paciatur, videlicet madidacione, delecione, abrasione, fractione, aut aliquorum ex hijs perdicione, sicque monasterium eius in aliquem (sic) incidat incommodum. Cum autem a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis, quam ordo exijt (exigit?) rationis, ut id per sollicitudinem nostre Maiestatis Regie ad debitum perducatur effectum, consensum prebuimus. Innovando et rescribendo ipsa Privilegia, de quorum, primi Privilegij tenor talis erat:

(¹) Privilegium hoc Casimiri Magni, cui alia adnectuntur, habemus in apographo a doctissimo Josepho Łepkowscio. De monasterio Szczyrzycensi jam supra.

Andrejoviae — 1238 anno.

(Aliud est apographon privilegii, jam a nobis typis exarati supra, in Codice hujus Tomi pag. 33. Apographon hoc vero lectiones variantes et magni etiam momenti habet; hanc ob causam illud hoc loco repetimus. Omittimus initium, quod lector invenire supra potest l. c., postea vero sequuntur verba:....)

....Occasione Jurispatronatus sive possessionis, vel quasi eiusdem Juris decimis, ex villis que sunt sitte (sic) seu locate et contigue Monasterio eiusdem domini Abbatis, quarum sunt hec nomina: *Cyricz* alias *Gora* sancti Johannis, *Pobrzantyn, Dobrognew, Abramovicze, Gruszovecz, Godusza, Podgorzany* et *Smykany,* et omnibus alijs ad prefatum Monasterium pertinentibus. Statuimus, diffinimus et precipimus, ut dictus Comes Sdislauus claves et Ornamenta ipsius Ecclesie sine mora ipso domino Abbati (r)estituat, Nec de cetero per se vel per successores suos, prefatos Abbatem et Conventum super Jurepatronatus vel decimis villarum supra nominatarum, vel quasi ipsius, ordinacione ipsius Ecclesie decimis, vel rebus alijs ad ipsius Monasterium aut Ecclesiam iam dictam pertinentibus, molestare seu inquietare presumat. Volumus autem et ordinamus propter bonum pacis et concordie, ut prefatus Comes Sdislaus prefatum Abbatem et suum Conventum et successores suos heredes et ipsum Monasterium debeat reputare, et tanquam heredibus honorem exhibere. Hec omnia in virtute Juramenti ab utraque parte in manibus domini F. ([2]) dei gracia Gnesnensis Archiepiscopi precipimus perpetuo observari. Actum Anno domini Millesimo Ducentesimo Tricesimo octavo. In Monasterio *Andrzeiow* in caminata hospitum. Presentibus Abbate eiusdem loci, et Renero, et Warnero, et Theodorico monachis et alijs.

([2]) Id est Fulconis, qui archiepiscopus fuit ab a. 1232 et mortuus est die 5-ta Aprilis, Lanciciae.

Item secundi Privilegii tenor sequitur:

Cracoviae — 13 Maji 1364 anno.

P. dei gracia Cracoviensis Episcopus etc. *(Sequitur privilegium* Prandotae de Bialaczow episcopi Cracoviensis, *jam pridem a nobis typis exaratum, vide Nr. XLI in hoc Tomo, pag. 86).*

Item tercij privilegij tenor subsequitur:

Cracoviae — 8 Octobris 1359 anno.

In nomine domini Amen. Sub anno nativitatis eiusdem etc. *(Sequitur privilegium, quod jam edidimus supra in hoc tomo, legas tabulam ad Nr. XCI, p. 205.* Nomen Notarii in nostro apographo legitur: „in stuba ipsius in praesentia mei notarii infrascripti Mathie de *Sueskouicze.*" Hanc ob causam fortasse in nostro apographo deest finis ipsius privilegii: „Et ego Mathias quondam Voislai, etc." legas p. 206, hujus Tomi. Ermannus vicarius etiam, inter praesentes hic praetermissus. In transumpto Casimiri magni alia etiam orthographia. Aliae vero lectiones: pag. 206, v. l. nostri Codicis leguntur verba: *tamen omni sic de jure,* in nostro vero transumpto: *tamen cum sit de jure.* Et alio loco pag. 206, ver. sexto legitur: *innovationibus seu allegationibus,* in nostro vero apographo: *innovationibus seu a legationibus).*

Item tenor privilegii quarti sequitur:

Cracoviae — 20 Maji 1368 anno.

In nomine domini Amen. Noverint universi noticiam etc. *(Hic sequitur idem verborum contextus, quem jam edidimus supra, vide ad Nr. CXLIX).*

Nos itaque supradicti Abbatis et Conventus ipsius ob singularem devocionis affectum, quem ad ipsum gerimus, pijs suplicacionibus inclinati antedictas literas seu Privilegia, ac omnia et singula contenta in eisdem in omnibus clausulis suis et sentencijs, prout ipsorum tenor presentibus est insertus, de innata nobis clemencia aprobamus,

Andrejoviae — 1238 anno.

(Aliud est apographon privilegii, jam a nobis typis exarati supra, in Codice hujus Tomi pag. 33. Apographon hoc vero lectiones variantes et magni etiam momenti habet; hanc ob causam illud hoc loco repetimus. Omittimus initium, quod lector invenire supra potest l. c., postea vero sequuntur verba:....)

....Occasione Jurispatronatus sive possessionis, vel quasi eiusdem Juris decimis, ex villis que sunt sitte (sic) seu locate et contigue Monasterio eiusdem domini Abbatis, quarum sunt hec nomina: *Cyricz* alias *Gora* sancti Johannis, *Pobrzantyn, Dobrognew, Abramovicze, Gruszovecz, Godusza, Podgorzany* et *Smykany,* et omnibus alijs ad prefatum Monasterium pertinentibus. Statuimus, diffinimus et precipimus, ut dictus Comes Sdislauus claves et Ornamenta ipsius Ecclesie sine mora ipso domino Abbati (r)estituat, Nec de cetero per se vel per successores suos, prefatos Abbatem et Conventum super Jurepatronatus vel decimis villarum supra nominatarum, vel quasi ipsius, ordinacione ipsius Ecclesie decimis, vel rebus alijs ad ipsius Monasterium aut Ecclesiam iam dictam pertinentibus, molestare seu inquietare presumat. Volumus autem et ordinamus propter bonum pacis et concordie, ut prefatus Comes Sdislaus prefatum Abbatem et suum Conventum et successores suos heredes et ipsum Monasterium debeat reputare, et tanquam heredibus honorem exhibere. Hec omnia in virtute Juramenti ab utraque parte in manibus domini F. ([2]) dei gracia Gnesnensis Archiepiscopi precipimus perpetuo observari. Actum Anno domini Millesimo Ducentesimo Tricesimo octavo. In Monasterio *Andrzeiow* in caminata hospitum. Presentibus Abbate eiusdem loci, et Renero, et Warnero, et Theodorico monachis et alijs.

([2]) Id est Fulconis, qui archiepiscopus fuit ab a. 1232 et mortuus est die 5-ta Aprilis, Lanciciae.

Item secundi Privilegii tenor

P. dei gracia Cracoviensis
dotae de Bialaczow episcopi Craco
in hoc Tomo, pag. 86).

Item tercij privilegij

In nomine domini
quitur privilegium, quod
Nomen Notarii in
tarii infrascripti Mathie de
est finis ipsius privilegii
Ermannus vicarius
gni alia etiam orthogra
verba: *tamen omni sic de*
pag. 206, ver. sexto
novationibus seu a lege

Item tenor

In nomine
quitur idem verborum

Nos itaque
devocionis
inclinati
ta in eisdem
tenor pres

innovamus, ratificamus et presenti scripti patrocinio confirmamus; et quoniam in nostra presencia cum huius transcripti veris Privilegijs legi, auscultari et examinari diligencius fecimus et quia in omnibus recte concordare cum suis veris originalibus invenimus, decernimus hoc Privilegium auctorisatum fore, et sibi in omni loco plenam fidem adhibendam volentes et decernentes ipsum Privilegium absque eorum originalibus, et quodlibet eorum obtinere perpetui roboris firmitatem. Et ne quid eorum facto huiusmodi desit, quod minus forte posset aliquibus qualitercunque videri, Auctoritate nostra suplemus, volentes ut illud semper maneat inconcussum, nulli ergo (?) hominum regni nostri cuiuscunque status seu preeminencie fuerit, liceat hanc nostre innovacionis, approbacionis seu Confirmacionis graciam infringere, aut ei ausu temerario aliquolibet contraire, prout indignacionis acculeum ac penam gravissimam pro motu proprio infligendam voluerint evitare. In quorum omnium testimonium presentes scribi mandavimus et Sigilli nostri appensione communiri. Actum *Cracovie* proxima secunda feria post Vitti. Anno domini Millesimo Trecentesimo sexagesimo Octavo. Presentibus Johanne Cracoviensi (3), Clemente Radomiensi (4) Castellanis, Johanne Succamerario Sandomiriensi (5), Przedborio Subdapifero Cracoviensi, Petrasio Cracoviensi et Spitkone Sandomiriensi ac alijs pluribus nostris fidelibus fidedignis. Datum per manus Janusszij doctoris decretorum Cancellarij Cracoviensis, et Johannis de *Czarnkow* vicecancellarij nostrorum. Scriptum vero per Symoncz de *Roszkow* notarium nostre aule Regalis.

(3) Joannes de *Mielsztyn*.
(4) Clemens de *Ossowa*, conf. Paproccii „Herby rycerskie" pag. 73—4.
(5) Magister curiae reginae Poloniarum 1370 (ap. Rzyszczewscium, supra in nostro codice).

CLI.

Cracoviae — die 1 Novembris 1368 anno.

Casimirus magnus rex Poloniae, urbi Sandeciae libertatem ab omnibus exactionibus, tempore unius anni, concedit (1).

Kazimirus Dei gracia Rex Polonie, Honestis Viris ..(sic) Consulibus et toti Universitati nostre Sandecensi, fidelibus nostris, graciam nostram et omne bonum. Ad votivas instancias domini Johannis dicti *Gladisz* vestri Viceprocuratoris, fidelis nostri, vestre Honestati ab omnibus nostris Solucionibus et depactacionibus quibusvis, duntaxat anno presenti, damus et concedimus plenam et omnimodam libertatem, volentes, quatenus quandam portam seu Januam dilatare seu ampliare studentes, taliter, quod Currus ad molendina, extra Civitatem Sandecensem transire valeant, impedimento quolibet procul moto. Etiam Hominibus, Incolis et subditis predicte Civitatis, in Solucionibus alias exaccionibus et depactacionibus vestris alevetis, ne abinde ipsi Homines de Civitate recedant, et per hoc Civitas nostra per defectum personarum et Indigenarum, in incolas posset desperari. Datum *Cracovie* in die omnium sanctorum, Sub anno domini Millesimo CCC, LXVIII°.

(1) Apographon a Łepkowscio habuimus, qui docet nos, urbis Novae Sandeciae privilegium authenticum esse proprium.

CLII.

Cracoviae — 10 Martii 1369 anno.

Concordia inter Petrum monasterii Krzyżanowicensis praepositum, nec non Boguslaum ibidem advocatum, quam Casimirus magnus rex Poloniae, ratam esse jubet (¹).

Kazimirus dei gracia Rex Polonie notum facimus tam presentibus quam futuris, ad quos presentes peruenerint vniuersis. Quod cum orta fuisset materia questionis, inter venerabilem et religiosum virum dominum Petrum de *Beytom* Prepositum domus de *Crziszanowicz* ordinis premonstratensis ex vna et Boguslaum dictum Contho filium Nosconis quondam de *Crziszanowicz* Aduocati parte ex altera super aduocacia et duobus mansis censualibus ibidem in *Crziszanowicz*, tandem hinc inde inter ipsos dominos vertentibus terminis, per modum pacis et concordie, item inter se fecerunt ordinacionem, videlicet quod Boguslaus predictus Aduocacie et duobus mansis censualibus predictis, receptis ab eodem preposito sex marcis in pecunia numerata temporibus perpetuis et libere et voluntarie renunciauit duraturis in hunc modum quod nec ipse nec uxor ipsius nec eciam.. liberi ipsorum, Boguslai et vxoris eius predictum prepositum nec eius successores arestare in posterum pro predictis aduocacia et duobus mansis bonis poterit quouis modo. Nos vero huiusmodi resignacionem sic rite et racionabiliter coram nobis factam approbamus, harum quibus nostrum sigillum est appensum testimonio litterarum. Actum *Cracouie* proxima die ante dominicam in qua in ecclesia dei Letare .... decantatur, presentibus Jascone Cracouiensi Raphaele Wisliciensi Petro Szczecotski Sandecensi Castellanis, Swantoslao Camerario, Nycolao Puscz Judice Andrea Subiudice Cracouiensibus et aliis quam plurimis fidedignis sub anno domini MCCCLX nono.

(¹) Ex archetypo, quod nobiscum communicavit Vladislaus Wieczorkowski, descriptum. Archetypon hodie sublati coenobii Witowiensis apud Petricowiam proprium.

CLIII.

Cracoviae — 9 Maji 1369 anno.

Casimirus magnus rex Poloniae privilegium Boleslai Pudici monasterio sacrarum virginum Dlubnensi largiter concessum, confirmat. Villas ejusdem monasterii ab omnibus judiciis liberas facit illasque variis immunitatibus ampliat (1).

In nomine domini amen. Quoniam ea, quae per Principes rationabiliter decernuntur, solent scripturis autenticis et testimonio fide digno ad perpetuam memoriam commendari. Igitur nos Cazimirus Dei gratia Rex Poloniae, nec non terrarum Cracouiae, Sandomiriae, Lanciciae, Cuiauiae, Pomeraniae etc. dominus et haeres. Universis tam praesentibus, quam futuris facimus manifestum. Quia veniens ad nostram praesentiam religiosus vir frater Stanislaus Praepositus Monasterij de *Dlubno* (2) ordinis premonstratensis supplicauit nobis humiliter et deuote, ut jura seu libertates super bonis, possessionibns, ac villis universis ad *dlubna* ordinis Premonstratensis de *dlubna* spectantibus, una cum priuilegio a Serenissimo Principe domino Boleslao foelicis recordationis duce Cracouiensi et Sandomiriensi concesso et obtento, super ipsis Juribus et immunitatibus innouare et confirmare dignaremur. Cujus priuilegij de verbo ad verbum tenor dinoscitur esse talis: *(Hic sequitur idem privilegii contextus, quem jam supra dedimus ad Nr. XXXII, vide hujus Tomi, paginam* 67).

Nos itaque ipsius Stanislai praepositi de *Dlubna* justis fauorabiliter inclinati, praescriptum priuilegium cum omnibus articulis et clau-

(1) Apographon Muczkowscii ex Tabulario Regni: conf. supra pag. 67 hujus Tomi. Transumpta Regis Sigismundi primi et Sigismundi Augusti. Ex tenore illorum patet, privilegium Casimiri magni sigillo ejus in cordula sericea appensum, litteras vero Sigismundi primi pargamenas fuisse. Sigismundum patrem rogaverunt, ut confirmaret immunitates Imbramovicenses Christophorus Borowski praepositus loci et abbatissa; Sigismundum filium praepositus Albertus etiam cum matre virginum, abbatissa nuncupata.

(2) Hodie villa parochialis appellatur *Imbramowice*, in Ilcussiensi regione. Conf. tabulam ad N°. LV, in Tomo primo Codicis nostri, jam typis exaratam. De villis huc memoratis, quae dicuntur hodie *Zagórowo*, *Trzycięż* et *Ściborzyce* etiam l. c.

sulis eodem priuilegio superius expressatum (sic), ratum gratum atque firmum habentes, de solita nostrae Regiae Majestatis benignitate, ex certa scientia duximus confirmandum. Praeterea attenta deuotione dicti Stanislai Praepositi ac Sororum Monasterij jam dicti, quorum deuotionem ac ordinem dominus ac redemptor noster quanto ampliori et specialiori gratia ad Ecclesiam Apostoli sui Petri toti mundo laudabilem reddidit et insignem, tanto ipsum nostra Regali munificentia in suis Juribus et libertatibus volumus caeteris anteferri. Bona quoque Monasterij cum suis villis et granicijs praedicti Monasterij de *dlubna* adjacentibus et pertinentibus videlicet *Trechorsz, Tharnow, Zagorowa, Malaschicz, Sciborsche*, in terra Cracouiensi in terra Syradiensi *Bresnow, dębowa łąka, Rathaye, Grodzicz* ([3]) cum omnibus earum adherentijs absoluimus iudiciis Palatinorum, Castellanorum, Judicum, Subjudicum, Ministerialium quoque universorum Itaque coram ipsis vel eorum aliquo pro causis magnis seu paruis nullatenus respondebunt nisi cmethones coram Sculteto ipse vero coram Praeposito dicti Monasterii aut ipsius qui pro tempore fuerint administratione ac Praepositus dum iustitiam reddere neglexerit, non alias nisi in praesentia Regiae Maiestatis dum causam per literam nostram nostro sigillo munitam euocatus fuerit. De se querulantibus tenebatur respondere, quibus etiam authoritatem concedimus criminales tractare causas et earum dirimere questiones, furta cohibere Incendiarios et homicidos punire, et alios malefactores vltimo supplicio deputare in his et similibus ea vtantur qua Ciues de *Cracouia* et Judices de *Bochnija* vtuntur. Insuper Regio fauore omnes possessiones seu villas, ac homines in eis habitantes absoluimus et integraliter relaxamus, ab omnibus exactionibus, collectis, contributionibus, solutionibus, taxationibus, laboribus vecturis Castrorum siue Citatum In rebus fiscalibus a *Przewod poduorne*, boue, vacca, porco *stan* et *sep* ac omnibus aliis angariis ac pracangariis qua diuersis nominibus appellantur penitus eximimus ac

([3]) *Dębołęka* villa est hodie in ipsa Siradiensi parochia. *Bresgina* est ibidem locorum in Siradiensi regione villa parochialis. *Rataje*, villa in Pyzdrensi regione etc. Incerti sumus an de illis in privilegio nostro mentio invenitur.

perpetuo liberamus. Caeterum dicto Praeposito et Sororibus ac Monasterio ex gratia concedimus speciali villas in dominiis et graniciis ipsius Monasterii sepedicti Jure Polonico et theutonico dotare quatenus, villarum Cmethones quodquot locatae fuerint eodem Jure gaudebunt, quo bona et villae Monasterij gaudent cum omnimoda facultate. Volumus etiam vt omnes poenae quae in judicijs antedicti Monasterij bannitis aut priuatis cedere consueuerunt non ad alium quam ad Praepositum vel per ipsum ad id deputatum in causis magnis aut paruis quocunque casu deuenerint plenarie et ex toto debeant pertinere. Dantes eidem Monasterio de *Dlubna* hanc literam cum appensione nostri sigilli maioris in testimonium omnium praemissorum ac robur et euidenciam perpetuae firmitatis. Actum et datum *Cracoviae* in crastino Sancti Stanislai Martyris et Pontificis. Anno Domini Millesimo Trecentesimo Sexagesimo nono, Praesentibus his testibus Domino Jeschone Cracouiensi, Domino Andrea Palatino, Domino Jeschone de *Krzeschow* Domino Polcone Marschalko, Domino Bozatha Procuratore generali Domino Petro Neorse Palatino Sandomiriensi Domino Joanne *Suchijwijlk* Cancellario, Mszczugio Subcancellario Cracouiensi, et aliis fidedignis quam pluribus. Datum per manus Domini Joannis Vicecancellarii Cracouiensis.

CLIV.

Radoszyciis — 14 Septembris 1369 anno.

Casimirus rex Poloniae molendinatori Martino molendinum prope villam *Radoszyce*, in fluvio *Łączna* situm, donat (¹).

Kazimirus dei gracia Rex Polonie, notificamus tam presentibus, quam futuris quibus expedit universis Quod de certis utilitatibus et

(¹) Muczkowski ex Tabulario publico Regni Varsoviae asservato descripsit tabulam hanc (lege libros manu scriptos „Metryki" dictos vol. 17, fol. 308), ubi in transumpto regis Alexandri Jagellonidis a. 1502 invenitur. Transumptum hoc legas infra.

obuencionibus limitatis nobis solercius pretendentes, exnunc molandinum(sic) nostrum prope villam nostram *Radoschicze* (²) in fluvio *lanczen* (³) discreto viro molandinatori et posteritati sue legitime alias per ipsum Martinum constructum et errectum jure hereditario damus, donamus, asscribimus, annectimus et perpetuo incorporamus cum omnibus et singulis prouentibus, utilitatibus et obuencionibus universis tenendum, habendum, possidendum, vendendum, donandum, nec non pro utilitate sua suorumque posterum (sic) meliori, prius habito consensu et requisicione speciali quomodolibet convertendum, De quo molandino predictus Martinus et posteritas sua singulis annis et perpetuis nobis et successoribus nostris pro curia nostra in *Radoschice* viginti mensuras farine siliginis et duas de brazeo dare et soluere sint asstricti, tali ordinacione injuncta, quod tam lapidum molarium, quam in ferreis attinencijs, quociens et quando ad predictum molandinum механ comparari opportuna fuerint, nos duas partes, et ipse molandinator terciam dare et procurare tenemur, hoc excepto, quod omnia apparata lignorum pro jam dicto molandino opportuna quociens noster procurator curie nostre predicte *Radoschicze* curribus propriis sumptibus et expensis ad dictum molandinum conducere spondemus, dummodo per ipsum molendinatorem fuerimus requisiti. Harum, quibus etc. datum in *Radoschicze,* ipso die exaltacionis sancte crucis, anno domini millesimo trecentesimo sexagesimo nono. Presentibus nobilibus Msczuijone Succamerario (⁴), predborio subdapifero Cracoviensibus, Johanne Succamerario Sandomiriensi (⁵), Petro Sandecensi (⁶), Stanislao Malogostiensi (⁷) Castellanis, et alijs pluribus fide dignis.

(²) *Radoszyce,* hodie oppidum in Opocznensi territorio, regione vero Koniecensi (Końskie). Olim capitaneatus, starostwo.

(³) *Łączna,* parvus rivulus, cujus fons prope villam ejusdem nominis, ostia vero in fluvio *Kamienna* dicto.

(⁴) *Mszczyvius* de *Kuślina,* ap. Hier. Łabęccium „Górnictwo w Polsce," T. II, privilegium sextum, *Mszczug* de *Ossowa.*

(⁵) De succamerario Sandomiriensi Joanne supra.

(⁶) Petrus de *Szczekociny.*

(⁷) Stanislaus, Staszko, jam sub a. 1354, legitur in nostro Codice hujus Tomi. Eundem in multis privilegiis invenimus.

CLV.

Krzyzanowiciis—sine die, 1369 anno.

Petrus de Bytum praepositus monasterii Krzyżanovicensis, conventui in oppido *Busk* duos mansos donat (¹).

In nomine domini amen. Nouerint uniuersi tam presentes quam futuri. Quod nos Petrus de *Bytum* prepositus Monasterij Crizanowicensis bona deliberacione ac voluntate beniuola duos mansus (sic) liberos contuli quos iudicialiter acquisiui a rustico dicto Urbano ac Boguslao dicto *Koritko* perpetuis temporibus conuentui nomine *pytancie* ut deo deuocius seruiant ac sedulam voluntatem insistant et aream retro Monasterium circa viam que vadit ad nowm (sic) molendinum tali condicione quod proprijs suis pecoribus colere debent nec alicuj alienare in perpetuum debent. In cuius rei evidenciam sigillum nostrum est appensum, presentibus hijs testibus, fratre Jacobo Bo... fratre Petro dicto *Rockita* Sulkoni nostri (sic) kmethoni (sic) de *Crizanowicz* et alijs plurimis kmethonibus fide dignis. Datum et actum in nostro Monasterio in *Crizanowicz* anno domini M⁰ CCC. sexagesimo nono.

(¹) Ex archetypo illustrissimi Leonis Rzyszczewscii proprio descripsit Muczkowski. Duo sigilla oblonga taeniolis pergamenis appensa repraesentant, altera Sanctissimam Virginem cum infante, altera vero sanctum quenquam incerti nominis. Sigilla, haud dubio monasterii Krzyżanowicensis propria, sunt cum inscriptionibus, quas tamen nullo modo legere quisquam potest.

(²) *Krzyżanowice*, uti toties jam dictum est, villa parochialis apd Nidam fluvium sita, Stopnicensis regionis. *Busko*, hodie oppidum parochiale, ibidem locorum.

CLVI.

In oppido Biecz—29 Januarii 1376 anno.

Ludovicus rex Poloniae et Hungariae, certum privilegium Joanni de *Tarnow* capitaneo Radomiensi donat (¹).

(¹) Tabulam hanc lege infra typis exaratam ad a. 1384 ubi in transumpto Hedvigis reginae, confirmationem nostri privilegii Ludovici regis Poloniae et Hungariae in se continente, invenitur.

CLVII.

Sine loco — 8 Junii 1376 anno.

Spytko haeres de *Krobielice* Spytkoni de *Szczeca* villam suam propriam vendit (1).

Nos Pelka Judex et Marcus subjudex sandomirienses vniuersis quibus expedit prestamur. Quod accedens ad nostram presenciam nostrorumque assessorum nobilis vir Spitko filius Bogusi de *Crobelicz* (2) sanus mente et corpore cum bona ipsius voluntate suam predictam hereditatem que extennditur seu iacet versus villam pro duodecim marcis grossorum monete polonicalis vendidit ac publice in perpetuum resignauit nobili viro Spitkoni heredi de *Szczeca* que predicta hereditas sita est in hereditate dicta *Crobelicze,* habendam, tenendam vendendam, permutandam, donandam et ad usus sui beneplaciti conuertendam ac in perpetuum cum sua legitima prole possidendam quam vendicionem et empcionem ratificando confirmamus in cuius rei testimonium nostra sigilla huic litere sunt apensa Actum in Festo sancte et indiuidue Trinitatis. Anno domini MCCCLXXVI presentibus hijs nobilibus Dobeslao Palatino Cracoviensi (3) Ottone palatino Sandomiriensi (4) dominis Szauisio Woyniciensi (5) Nicolao zauichostiensi (6) dominis castellanis Mathia cancellario Dobrinensi Sangneuo herede de *Slupcza* (7) et aliis quam plurimis fide dignis.

(1) Tabula illustrissimi Leonis Rzyszczewscii propria. In dorso vero tabulae inscriptus annus 1372.

(2) *Krobielice*, duae villae sunt ejusdem nominis, in Sandomiriensi territorio et regione, altera parochiae Mydłowiensis, altera vero Goslicensis. Goslicensis parochiae est etiam villa *Kroblice*.

(3) Dobieslaus de *Kurozwęki*.

(4) Otto de *Pilcia*, z *Pilcy*.

(5) *Zawisza* jam mense Augusto 1366, castellanus Sandomiriensis. Conf. opus laudatum „Dotatek tygodniowy," 1851, N°. 32. Apud Niesieccium, Joannes de Tęczyn castellanus Sandomiriensis, fit palatinus Cracoviensis a. 1369, quod videmus, falsum est.

(6) Nicolaus *Róża* de *Boryszewice*, insignis *Poraj*.

(7) *Slupcza*, est villa Sandomiriensis etiam regionis, parochiae vero ad villam *Gory* spectantis.

CLVIII.

Cracoviae—26 Decembris 1377 anno.

Joannis de *Mielsztyn* castellani Cracoviensis, de certo censu monasterio Tinecensi concesso, declaratio (1).

Nos Joannes Castellanus Cracoviensis (2) recognoscimus quibus expedit universis Honorabilibus ac Religiosis viris Domino Alberto (3) Abbati totoque Conventui Monastery Tynecensis Ordinis Scti Benedicti super haereditatem dictam *Zdana* circa fluvium *Dunaiec* locatam Quadraginta marcas grossorum Pragensium concessisse, Censum autem ob remedium salutis nostrae quolibet anno super easdem Quadraginta Marcas eisdem Dominis Domino Abbati et suo Conventui de eadem haereditate dicta *Zdania,* quem percipiemus promittimus defalcare, et eandem haereditatem tamdiu tenebimus in obligatione, quousque Quadraginta Marcas de pecunia Censuali de dicta villa percipiemus, perceptis ex integro de Censu Quadraginta marcis, extunc dictis Dominis haereditatem ipsorum praenominatam sine omni pecunia restituere sine qualibet dilatione nos obligamus. Si autem dictus Dominus Albertus Abbas cum suo Conventu haereditatem saepenominatam antequam Quadraginta marcas de pecunia Censuali percipiemus, voluerint redimere, tunc defalcata pecunia Censuali, quam percipiemus residuam partem pecuniae accommodatae nobis solvere sint astricti de haereditate se intromittentes. In cuius rei testimonium ac evidentiam clariorem praesentes nostro Sigillo iussimus roborari. Actum et Datum *Cracoviae* Feria sexta infra octavas Nativitatis Christi. Anno a Nativitate Domini M. CCC. LXXVII. Praesentibus his testibus: Spitcone Filio nostro, Nicolao haerede de *Burzini,* Simone

(1) Apographon a Łepkowscio habuimus, sine ullis annotationibus.
(2) Joannes de *Mielsztyn*, filius Spicimiri castellani Cracoviensis, de quo jam diximus supra.
(3) Albertus, insignis *Topor,* abbas secundum Szczygielscium, fuit a. 1376—80.

haerede de *Nerodzimice,* Joanne de *Pawlikowice* haeredibus, et alys quam pluribus testibus fide dignis.

CLIX.

Cracoviae—10 Februarii 1378 anno.

Albertus Abbas Tinecensis cum Dobieslao, haerede villae *Baczal* dictae bona inter se commutant (¹).

In nomine Domini Amen. Nos Albertus Dei patientia Abbas una cum Conventu Monastery Tynecensi Notum facimus tam praesentibus quam futuris quibus expedit universis, Quomodo considerantes dicti nostri Monastery profectum et utilitatem in villis et bonis infrascriptis cum Dobkone haerede in *Baczal* (²) facimus et fecimus commutationem videlicet pro medietate dictae villae *Baczal* iacente a parte villae nostrae .... (³) cum areis, hortis et universis structuris et aedificys in eadem medietate locatis ac intervallis spatijsque terrae .... (⁴) areis usque ad littora fluvy dicti *Tsczenicza* protensis, qui fluvius habet et facit in dicta villa *Banczal* (sic) meatum .... (⁵) et Molendino cum piscinis in quacunque parte dicti fluvy fuit locata, vel in posterum fuerint locanda .... (⁶) Dobkone et ipsius Successoribus exceptis, super quae nobis et nostris Successoribus nullum ex praemissis locare licebit, damus et dedimus, incorporavimus Dobconi saepefato et suis legitimis Successoribus perpetualiter appropriamus adscribentes villam vulgariter nuncupatum *Lisowiec* parvum, prout est in suis granitys et Limitibus in longum latumque situata ac circumferentialiter distincta, cum omni Jure et dominio, quod nobis in eadem villa competebat. In cuius rei testimonium et evidentiam pleniorem nostrum et nostri Conventus Sigilla praesentibus sunt appen-

(¹) Apographon a Łepkowscio descriptum habuimus.
(²) *Baczal*, villa cum ecclesia parochiali, olim Biecensis regionis (1676).
(³ ⁴ ⁵ ⁶) Vacuum.

sa. Actum et datum *Cracoviae* in die Beatae Scholasticae Virginis. De Anno Domini M. CCC. LXX. VIII. Praesentibus Nobilibus viris Dominis Mszczugio Subcamerario Cracoviensi, Nicolao de *Burzyno,* Miroslao de *Neskowo,* Joanne de *Wilpino,* Czadrone de *Kidow* (⁷), Seczeslao de *Janowicze,* Pascone de *Rylicze* haeredibus, testibus ad praemissa.

(⁷) *Kidów,* hodie villa parochialis in Ilcussiensi territorio et Pilecensi regione. Alias villas in indicibus locorum et chartis geographicis non invenimus. *Janowice* vero multae sunt villae in Regno Poloniae moderno in Cracoviensi et Sandomiriensi palatinatibus. Sunt ibidem locorum et villae nonnullae vulgo *Lisów* dictae, sed non *Lisowiec,* uti in tabula.

CLX.

Tarnoviae — 24 Decembris 1378 anno.

Joannes de *Tarnow* castellanus Sandomiriensis, tertiam partem censuum in molendino circa urbem Tarnoviensem sito, Franconi molendinatori viginti marcis vendit (¹).

In nomine domini Amen. Nos Johannes Castellanus Sandomiriensis necnon Heres de *Tharnow* Recognoscimus universis tam presentibus quam futuris presentem literam inspecturis, Quod Franconi molendinatori terciam metretam seu mensuram in nostro molendino circa Latrificia foris civitatem Tharnoviensem iacenti iure hereditario pro viginti marcas (sic) grossorum vendidimus sibi et suis pueris et legittimis successoribus perpetuo valituram, cui quidem addidimus unum ortum circa molendinum predictum, in quo quidem orto solummodo secabit caules et cepe, et hoc quantum fuerit solummodo indigenti pro sua utilitate et non plus; et quando idem molendinum aliquo modo destrueretur, extunc idem Franco omnia robora seu attinentia, in

(¹) Apographon a Łepkowscio habuimus. In dorso ejus leguntur sequentia polonice: „Pan Jan Z Tarnowa Castellan Sendomirszkij trzeczią miarę we młynie Zamurnym Tharnowskim Frankowi młynarzowi za 20 grzywien sprzedał. 1378 r.”

silva sua facultatem excidere habet; deinde Nos Dominus Johannes conducere ea debemus, de alijs necessarijs quotquot foret necessarium, videlicet de lapidibus molaribus et de ferrimentis quibuslibet, clavis parvis et magnis, asseribus parvis et magnis in vulgo *Gonthi* et *Wszczanki* nuncupatis, de sepo et alijs necessarijs quibuscunque ad idem molendinum pertinentibus, super ista omnia idem Franco tercium denarium dare habet et nos duos; Hoc est nos duas partes et ipse terciam. Quodsi idem molendinum in loco suo ubi pronunc stat adnichilaretur aliquo modo seu destrueretur, extunc idem Franco habet aliud molendinum edificare superius vel inferius, et hoc excepto dampno molendini superioris et inferioris circumiacentibus. Et quando agger eiusdem molendini aliquo modo destrueretur, extunc nos dare debemus duos homines et ipse Franco unum ad reformandum idem agger (sic). Quodsi idem Franco circa predictum molendinum posset augere aliquas utilitates videlicet duas pilas *Stampi* vulgariter nuncupatas, unam quercinam et aliam Scruti (?), de istis nos percipiemus duas partes et ipse Franco terciam partem. Insuper eidem Franconi predictam terciam metretam seu mensuram vendidimus in civile ius iuxtaque omnes molendinatores emptores perpetuis (sic) in districtu Tharnoviensi utuntur, Et quod idem Franco una cum suis pueris et successoribus habet omnimodam potestatem predictam terciam metretam vendendi, donandi, comutandi, ubilibet conducendi, nostra tamen cum voluntate et assensu. Actum et datum in civitate *Tharnow* in vigilia nativitatis Christi, anno Domini M. CCC. LXXVIII presentibus Pacussio Burgrabio Castri Tharnoviensis, Domino Nicolao dicto *Mszurowski*, Quaskone advocato Tharnoviensi, Domino Swenthoslao Herede de *Dambrowa* et Domino Dobeslao Herede de *Ceszczicze* testibus et alijs quam plurimis fide dignis.

CLXI.

Wisliciae — die 26 Aprilis 1379 anno.

Niemierza de Galow Filius Pelcae villas suas *Żochow* et *Trzesn*, castellano Sandomiriensi Joanni de Tarnow, vendit (1).

Nos Pelka Judex, Prandotha Subiudex Sandomirienses. Recognoscimus ac publice protestamur uniuersis, tam presentibus quam futuris presentem literam inspecturis: Quomodo nobilis vir dominus Nemerza filius quondam domini Pelce heres de *Galow* (2) veniens ad nostram presenciam sane mentis existens, non compulsus, nec coactus, nec aliquo errore seductus, sed de mera ac libera sua voluntate, maturoque amicorum suorum consilio super hec habito villas *Zochow* et *Trzesn* in terra Sandomiriensi situatas strenuo militi domino Johanni castellano Sandomiriensi nec non heredi de *Tharnow* pro trecentis marcis grossorum pragensium quadraginta octo grossos quamlibet marcam faciencium, et pro medio laneo racione commutacionis wlgariter Othmani nuncupate libero in villa *Zandzin* nuncupata, quod (sic) quidem medium laneum dominus Johannes Castellanus Sandomiriensis prehabitus in eadem sua villa solus exmensurabat coram nobis recognovit se vendidisse, Quas quidem hereditates *Zochow* et *Trzesn* prenotatas, dominus Nemerza prenotatus cum omni iure et dominio nichil penitus pro se in eisdem hereditatibus reseruando libere ac be-

(1) Sławiński descripsit ex archetypo membranaceo in quodam Galliciensi Tabulario asservato. Tabula ipsa multas verborum abbreviationes habet. Duo sigilla olim appensa erant, alterius est tantum hodie taeniola pargamena, alterum sigillum parvum cum taeniola etiam pargamena vidit Sławiński.

(2) *Galow*, hodie villa est in Stopnicensi territorio et Szydłowiensi regione (parochia oppidi *Szaniec)*.

niuole in perpetuum coram nobis resignauit. Insuper compromisit pro nobili domina Hanka matre sua et pro Pelka fratre suo (3): Quomodo dominum Johannem Castellanum Sandomiriensem pretactum nunquam pro eisdem hereditatibus valeant perpetue impedire seu inquietare. Quod si aliquo modo seu errore seducti ipsum impedirent, et si dampnum aliquod ab ipsis perciperet, hoc dampnum eiusdem domini Nemerze fieri debebit. In cuius rei testimonium ad maiorem euidenciam et ad perpetuam securitatem nostra sigilla presenti litere sunt appensa. Actum et datum in *Wijslicia* in colloquio generali, feria tercia ante festum beatorum Philippi et Jacobi apostolorum proxima, sub anno domini millesimo trecentesimo septuagesimo nono. Presentibus hijs testibus: strennuis ac nobilibus viris dominis Dobeslao palatino cracoviensi (4), Otto palatino nec non capitaneo sandomiriensi (5), Sandziwoijo capitaneo cracoviensi (6), Johanne castellano woijniciensi (7), Crzeslao castellano sandecensi (8), Msczizkone castellano polanecienai et alijs quam plurimis fide dignis specialiter ad heo rogatis.

(3) Genus suum fortasse hic Niemierza duxit a Casimiro magno, nam duo filii regis ex judaea nati, uti annales nostri docent, Niemira et Pełka appellati sunt. Haec autem nomina, uti videmus, in gente nostri Niemierzae (Niemirae) continuo variis personis serviebant. Ecce gens illa:

Pelka, id est *Fulco* de *Galow* pater, cujus uxor Hanka vixit adhuc anno 1379.

Niemierza de *Galow*. *Pelka*.

(4) Dobieslaus de *Kurozwęki*, eodem a. 1379 factus castellanus Cracoviensis.

(5) Otto de *Pilcia*, z *Pilcy*.

(6) Sędziwój de *Szubin*, z *Szubina*.

(7) Ap. Niesieccium in indicibus senatorum Regni Poloniae, castellanus Sandomiriensis a. 1379 fuit Stephanus de *Brzezie*, huno vero sequitur Joannes de *Tęczyn*, quem castellanum in tabulis jam 1385 legimus, (Dodatek tygodniowy, a. 1851 N°. 36).

(8) Creslaus hic, vulgo „Krzesław z *Kurozwęk* i z *Chodowa*," insignis *Poraj*.

CLXII.

Cracoviae — 6 Novembris 1379 anno.

Elisabetha regina Hungariae, mater Ludovici Poloniae et Hungariae regis, navigium certum per vistulam inter villas *Niepolomice* et *Mazanczin*, monasterio Staniątcensi restituit (1).

Nos Elizabeth dei gracia. Vngarie Polonie Dalmacie etc. Senior Regina. Notum facimus quibus expedit vniuersis Quod ad nostram Baronumque nostrorum veniens presenciam Religiosus vir Msczislaus prepositus Monasterij in *Stanatki* vna cum Monialibus ibidem sufficienter per priuilegia et fidedignas probaciones docuerunt et sunt protestati. quomodo Nauigium antiquitus *Wirzbanczin przewoz* (2) wlgariter nunccupatum (sic) in Wisla inter *Nepolomicze* et *Msczanczin* ab antiquo ad dictum Monasterium de Jure pertineret Nos itaque visis ipsius vt prefertur probacionibus sufficientibus predictum Nauigium dicto Monasterio in perpetuum assignantes tenore presencium duximus restituendum Ita tamen quod sepedictum Nauigium inferius in loco antiquo vbi prius fuerat constituatur. In cuius rei testimonium nostrum sigillum presentibus est appensum Actum et datum *cracouie* feria secunda Infra Octauas Omnium Sanctorum Sub anno domini Millesimo Trecentesimo Septuagesimo Nono.

(1) Sławiński descripsit ex tabula authentica membranacea in archivo Staniątcensis monasterii asservata. Sigillum minus in funiculo pargameno de cera vulgari factum exhibet duo scuta; horum primum figuram aquilae unius capitis repraesentat, alterum vero in duas partes divisum exhibet tres trabes et stellas, uti videtur: super scuta positae sunt coronae regiae. Sigillum nostrum repraesentat etiam insigne Lanciciensis, Cujaviensis et Siradiensis ducatuum (e ducibus harum provinciarum regina Elisabetha originem trahebat), dimidium scilicet aquilam cum leone dorso conjunctam Verba sigillo inscripta penitus deleta.

(2) De hoc navigio legas tabulam jam supra in tomo tertio codicis exaratam (N°. XXXIX) pag. 83.

CLXIII.

Tineciae — die 1 Januarii 1381 *anno.*

Amicabilis compositio inter Albertum Abbatem Tinecensem nec non Nicolaum rectorem ecclesiae de Góra: pro advocatia villae *Tuchow*, Nicolaus ab Alberto villam *Rudno* accepit (1).

Noverint universi tam praesentes quam futuri, quibus nosse fuerit opportunum, Quod Nos Albertus Divina miseratione Abbas, Matthias Prior, Andreas Praepositus, Boguslaus Custos totusque Conventus Monastery Tynciensis Ordinis Sancti Benedicti Cracoviensis Dioaecesis recognoscimus et publice profitemur, Quod cum nobis lite mota per Discretum virum Dominum Nicolaum Dickonis Rectorem Ecclesiae de *Gora* (2) de et super Advocatia in *Tuchów* (3) Oppido sic dicto, Nos cupientes vitare lites et parcere sumptibus et expensis per modum amicabilis compositionis, taliter cum eodem Domino Nicolao inivimus concordiam, Quod praedicto Domino Nicolao in recompensam dictae Advocatiae in *Tuchow* damus, concedimus et donamus villam nostram et Monastery nostri Tynciensis praedicti vulgariter dictam *Rudno* sitam infra limites Parochiae Ecclesiae de *Jurgow* (4) dictae Cracoviensis Dioaecesis cum decima manipulari in eadem villa *Rudno* et cum omnibus fructibus, censibus, agris, pratis, piscinis, molendinis, aquis aquisque (sic) decursibus, silvis, mericis ac universis utilitatibus ad eandem villam *Rudno* spectantibus et pertinentibus, prout

(1) Apographon a Łepkowscio habuimus.

(2) Ecclesia parochialis villae *Gora* nescimus, ubi sit. In antiqua Pilznensi regione fuit villa *Góra królewska*, id est Mons regalis, cum ecclesia et parochia (1676). Sed ibidem locorum invenitur etiam et *Łysa Góra*, Calvus mons. Haec in Sandomiriensi palatinatu, nunc vero in Gallicia. In regione vero antiqua Szczyrzycensi fuerat villa etiam parochialis *Góra S. Jana*, Mons sancti Joannis (1676).

(3) *Tuchow*, fuerat olim villa parochialis in Biecensi regione, nunc vero in Gallicia, altera vero ejusdem nominis in regione Pilznensi antiquae Sandomiriensis provinciae.

(4) *Jurkow*, non Jurgów, parochialis villa fuit in Pilzniensi regione et ibidem locorum villa huc memorata *Rudno*, ejusdem parochiae (1676).

dicta villa *Rudno* in suis metis, granitys et limitibus circumferencialiter est distincta et limitata et cum pleno Jure et totali Dominio ad tempora vitae suae tenendam, habendam, utifruendam et possidendam. Praeterea viginti quinque marcas grossorum Pragensium numeri Polonicalis, quas saepedictus Dominus Nicolaus ad redimendam praelibatam villam *Rudno* dedit et concessit nobis, cui ipse Nicolaus post mortem suam ipsas legaverit et donaverit, idem antedictam villam *Rudno* eodem Jure habebit, tenebit et possidebit tamdiu quousque eidem a nobis praefatae viginti quinque marcae grossorum Pragensium fuerint persolutae integraliter et completae. In cuius rei testimonium et fidem firmiorem praesentem litteram Sigillorum nostrorum appensione fecimus roborari. Data et acta sunt haec in *Tyncia* in die Circumcissionis Domini, sub Anno Nativitatis eiusdem M. CCC. LXXX. I. Praesentibus Nobilibus Viris Dominis: Michaele de *Falkowice,* Borzywogio de *Łopatno,* Suentoslao de *Kamen,* Fronckone de *Rzeszotary,* Sinkone de *Nemerzyce* haeredibus, Pascone dicto *Skalka* Testibus ad praemissa vocatis et alys viris quam pluribis fide dignis.

CLXIV.

Cracoviae — 26 Decembris 1381 anno.

Ludovicus Hungariae et Poloniae rex varia privilegia bonis et cmethonibus monasterii Staniątcensis, confert (¹).

In nomine domini amen, Gloriosus Deus in sanctis suis. et mirabilis in magestate, Etsi cunctos suos ministros magnificet, altis decorat honoribus. et celestis efficiat beatudinis: possessores. illos tamen

(¹) Ex tabula authentica pargamena monasterii Staniątcensis propria descripsit Sławiński. Sigillum majus, bene asservatum, majestaticum. Funiculi serici rubri coloris. In sigillo rex diademate insignitus in solio sedens, dextra manu sceptrum tenet, seu potius hastam longam: sceptrum hoc cum tribus est dentibus, quorum medius rectus, alii vero

vt dignis digna reppendat. pocioribus accollat insignijs dignitatum. et premiorum vberiori retribucione prosequitur. quos digniores. in diligenti promocione. ipsarum religionum. ac in benigna diuini cultus augmentacione agnoscit, proinde. Nos Lodouicus dei gracia Rex Vngarie. Polonie. Dalmacie. Crouacie. etc. huius sacri eloquij exemplo docti pariter et informati. ad cunctorum noticiam volumus deuenire, ob remedium salutis nostre et successorum nostrorum. solliciti de diuini cultus salubri multiplicacione, in ipsis Religionibus. et cum Ecclesia Sanctimonialium Conuentus et Monasterij. in *Stananthki*. Ordinis Sancti Benedicti. dijocesis Cracouiensis. ingenti meritorum excellencia. aput (sic). nos recommendetur. nos cum eadem volentes agere generose ipsam et eius bona hereditaria. et omnes ac singulos eorum kmethones. seu iobagiones vbilibet constitutos. ex nostra munificencia Regali. ab omnibus exaccionibus. seruicijs. solucionibus. collectis. a. *Sep.* angarijs. et perangarijs. quibuscumque uominibus censeantur. si quas uel que per consuetudinem. seu quocumque alio iure. nostri predecessores. et nos habuerunt et habuimus. in eisdem. absoluimus liberamus. et eximimus. nos penitus harum serie litterarum. Sed dumtaxat in signum dominij Regie magestatis. volumus pro nobis habere et nostris successoribus. a quolibet kmethone. villarum seu hereditatum Monasterij predicti. de Manso quolibet seu laneo possesso. singulis annis in festo Sancti Martini Confessoris. Quatuor grossos monete. in Regno Polonie comuniter decurrentis. pro nostra Camera Regia et Successorum nostrorum. cum vna Mensura Silliginis et duabus auene. debito modo planatis et non cumulatis, iuxta modum Cracouiensem, quas predicti Kmethones seu iobagiones. in dicto festo Sancti Martini. tenebuntur. dare. exsoluere et firmiter assignare. Ceterum ijdem kmethones seu iobagiones. prefati Monasterij. pro nostra Curia Regali ipsis tamen propinquiori. duos dies infra vnius anni spacium. singulis annis. vnum scilicet, tempore messis. ad metendum re-

curvati sunt. Rex sinistra vero manu tenet pomum in quo crux parvus. E sinistra parte solii insigne: in dimidio scuti tres trabes, in altero dimidio stellae, e dextra parte solii aquila Polonorum. In ambitu sigilli verba: *S. lodovici dei gracia regis hungarie. polonie. dalmacie chrovacie et cetera.*

colligendum. et recollecta in horreo reponendum. et alium ad falcandum. falcata congregandum. et debito modo. in allodio ordinandum sint astricti, Hoc tamen adiecto. quod cum personaliter nos aut successores nostros. vna cum Incolis. dicti Regni Polonie. ad aliquam generalem expedicionem. extra limites Regni ire contingerit. extunc ab hominibus seu iobagionibus. predicti Monasterij, pro nobis et successoribus nostris. caritatiuum subsidium licite postulabimus, Dummodo talis generalis expedicio. suum sortiretur effectum, Si vero, ad aliquam talem expedicionem generalem edictam. fuerit postulatum et receptum caritatiuum subsidium. per nos et successores nostros. et aliquo casu seu inpedimento. eadem expedicio. non deduceretur ad finem. seu alio quouis modo inpediretur, extunc pro futura et sequenti simili expedicione. nichil penitus dare debebunt, nisi prius dicta pecunia pro expedicione tali generali. fuerit per dictos nobiles exposita. et deseruita. Similiter autem caritatiuum subsidium postulabimus. si et quando filium. seu filiam nostram maritare. aut nupcias pro liberis nostris. vel successores nostri pro ipsorum faciemus seu facient. vel ipsos seu alterum eorum coronari ad coronam dicti Regni acciderit et contingat, homines vero seu iobagiones. Monasterij predicti. pro eo subsidium caritatiuum. per omnia vt supra tenebuntur dare et sine contradiccione assignare, Volumus eciam et ex innata nobis benignitate decernimus pretextu recolligende pecunie. nullus Rotariorum (sic), seu eciam ministerialium. quitquid (sic) exigat seu requirat nisi vnum grossum de qualibet villa. Preter autem premissa, nichil omnino. ab Ecclesia Monasterij et Conuentus predictorum in *Stananthki*. Sanctimonialium. vel hominibus et personis eorundem. volumus exigere. seu extorquere. Inquorum (sic) omnium testimonium presentes litteras fieri iussimus. et Sigilli nostri autentici munimine roborari. Actum *Cracouie* in crastino beate Katherine virginis et Martiris gloriose, Anno domini, Millesimo. Trecentesimo. Octuagesimo. Primo. Datum per manus venerabilis viri Johannis Radlicye. Cancellarij supremi Regni nostri Polonie predicti (²).

(²) Joannes hic, vulgo Jan z Radlicy, anno 1382 jam fuit episcopus Cracoviensis.

CLXV.

Tineciae—26 Decembris 1383 anno.

Joannes abbas monasterii Tinecensis privilegium datum Joanni dicto *Chrast* super scultetiam villae *Moderówka*, renovat (¹).

Noverint universi praesentem Literam inspecturi, Quod Nos Joannes Divina miseratione Abbas Monastery Tyniącii (sic) Ordinis Scti Benedicti de consensu Fratrum omnium nostri Conventus, considerata fidelima approbatione Jasconis dicti *Chrast*, quod ipsius Privilegium per ignem est combustum super Scultetiam nostrae villae dictae *Modorowka* (sic) praesens Privilegium renovare fecimus et renovamus sibi super eandem Sculteciam denuo Privilegium dantes, concedimus eidem nostro Sculteto et damus perpetue possidendam suisque legitimis posteris Jure Maydeburgensi haereditatem locandam, quae tamen haereditas habebit mansos, quantos habere poterit Jure Theutonico mensuatos in praedicta haereditate quas limites proprys vocabulis duximus designandam (sic). Primo a *Glinnik* usque ad eampum dictum *Srzodopolna*, a *Srzodopolna* usque ad fluvium dictum *Wsbna*, a *Wsbna* usque ad fluvium dictum *Sloczuwnia*, a *Sloczuwnia* usque tremulum (sic) dictum *Osmy*, ab *Osmy* usque ad Quercum dictam *Trzesniowy Dąb*, a quercu usque ad magnum *Potok*, a magno *Potok* usque ad fluvium dictum *Plesznica*. Damusque dicto nostro Sculteto quantosque mansos facere poterit in praedictis limitibus ei tamen duos mansos liberos et suis posteris ab omnibus exactionibus et solutionibus, Decimam suam Scultetus de suis mansis duobus dabit cui sibi placebit. Damusque eidem Sculteto praedicto Molendinum, Piscinam, quantasque piscinas facere poterit, libere faciat absque damno Kmetonum et nostro, in praedicta haereditate Tabernam, Macellum carnium, Mensam panis, Sutorum fabrile

(¹) Apographon a Łepkowscio habuimus descriptum.

cum omnibus utilitatibus et proventibus, Cmethones vero qui inibi locati fuerint super agris cultis dictis *Starzyny*, octo annos, super silvis viginti annos plenam et omnimodam habeant libertatem, expirata libertate de quolibet manso mediam marcam pro censu singulis annis in Festo Beati Martini nobis seu nostro Monasterio Tynecensi solvere tenebuntur: Scultetus vero sextum denarium Censualem, reservabit pro nobis quinque, A qualibet poena tertium denarium Scultetus sibi recipiet. Non plus quilibet Cmeto nisi fertonem pro decima nobis praesentabit. Prandia tria in anno, pro quolibet prandio quatuor Scotos, Kmethones duo prandia, Scultetus unum, expirata tamen libertate. Judicium vero magnum ter in anno per nos vel per nostrum fidelem nuntium iudicabitur. Pro honore vero nostro in Pascha quilibet Cmeto decem ova, unum caseum. Omnes vero Cmethones unam pernam carnium pro octo grossos. Damus eidem Sculteto quod nullas (sic) debet respondere nisi coram nobis in nostra Curia in *Kolaszyce* coram septem Scultetis Jure Theutonico et citare tenebitur non cum alio nisi cum annulo nostro; praedictus vero Scultetus serviet nobis in equo cum balista, dum expeditio fuerit generalis, vel dum nobis necessitas fuerit, debet servire et venire ad nos ad Castrum nostrum *Golesz*, Cmethones vero nullas alias debent respondere et coram nullo nisi in sua haereditate coram nobis vel ipsorum Sculteto. Addimus praedicto nostro Sculteto praedictam Scultetiam omnimodam habere facultatem vendendi, commutandi, alienandi et ad usus ipsius convertendi, nostra tamen voluntate prius praehabita et de voluntate nostri Conventus. In cuius rei testimonium praesentium (sic) nostra Sigilla sunt appensa. Datum in Monasterio in *Tyniec* in crastino Nativitatis Jesu Christi Sub Anno Domini Millesimo Trecentesimo octuagesimo tertio. Praesentibus Michaele de *Falkow*, Petro dicto *Kalnica* de *Olesnica*, Magnussio Plebano de *Tyniec*, Petro de *Grzymala*, Paulo Priore, Joanne antiquo Abbate, Krzyslao Praeposito olim ad Sanctum Laurentium, totoque Conventu, Joanne Castellano Voyniciensi, Gregorio de *Morawica* et alys quam pluribus fide dignis.

CLXVI.

Cracoviae — die 18 Octobris 1384 anno.

Hedvigis regina Poloniae, palatinis, castellanis aliisque officialibus regni praecipit, ut civem sandecensem Sydeło dictum haeredem villae *Januszowa*, a suis judiciis immunem faciant et ad curiam sandecensem in causis contra eum motis remittant. Villae etiam *Januszowa* regina jus teutonicum confert (¹).

Hedvigis Dei gracia Regina Polonie, ac terrarum Cracovie, Sandomirie etc. Domina. Magnificis et nobilibus viris: Palatinis, Castellanis, Judicibus, subiudicibus et quibusvis ministerialibus et officialibus ipsius Regni nostri Polonie ac Terrarum supradictarum Salutem et graciam. Ad vestram et cuiuslibet vestrum tenore presencium deducimus noticiam, quod in nostre celsitudinis constitus (sic) presencia providus vir *Sydeło* (²), fidelis Civis noster Sundaczensis, nostro culmini exposuit, quod licet ipse villam dictam *Januschova,* alias *Sonneschyn* nuncupatam, certis pecuniarum summis legitime comparasset, prout in suis metis et adiacenciis dudum sit descripta, saluis tamen sex marcis Polonicalibus, quas singulis annis ad fiscum nostrum regium solvere consuevit, ab alijs exactionibus, solucionibus, servicijs, angariis et perangariis, inventis et inveniendis, quibuscunque nominibus censeantur, ipse et sui legitimi heredes esse dębeant, pretextu memorate ville, liberi et immunes, et quamvis prefata villa *Januschova* de

(¹) Apographon a Łepkowscio habuimus descriptum. Tabula asservatur in archivo oppidi dicti *Nowy Sącz,* hodie in Gallicia. De privilegio nostro legas doctissimi Caroli Szajnocha praeclarissimum opus „Jadwiga i Jagiełło," vernacula lingua scriptum, et praecipue T. II, pag. 188. Privilegium hoc civi Sandecensi datum, primum est jam coronatae reginae Polonorum Hedvigis. Apud Joannem de *Czarnków* (id est archidiaconum Gnesnensem) in Sommerberg. pag. 154 legimus, coronationem factam esse Cracoviae die dominico 15 Octobris 1384. Conf. etiam episcopi Joppensis Ludovici Łętowscii opus maximi momenti: „Katalog biskupów Krakowskich" T. IV inter additiones pag. 101.

(²) *Sydeło,* fortasse deberet esse *Szydło,* Apud Carolum Szajnocha l. c. falso civis Sandecensis appellatur *Sydeło.*

Jure nostro Polonico in Jus Theutunicum, quod Maydburgense dicitur, secundum omnes modos, jura, consuetudines et observancias cum suis adiacenciis, a vestra Jurisdictione et potestate, de certa sciencia sit translata, eo adiecto modo, quod coram nobis aut aliquo vestrum, pro causis magnis seu parvis, puta: furti, homicidij, sanguinis, incendij, membrorum mutilacionis, citatus minime debeat respondere; sed Cmetones prefate ville et eius adiacenciarum coram ipsorum scultetis, qui sunt pro tempore, ipsi vero sculteti coram memorato Sydelone, Sydeło vero coram nobis, seu nostro Judicio Theutunicali, supremi Judicij (sic) Curiae nostre Sandacen.; dum tamen per nostram literam nostro sigillo sigillatam ad hoc citatus, et in reddenda iusticia negligens fuerit, tunc de se querulantibus non alio nisi suo Jure Meydburgensi Theutunico respondere ad obiecta cuilibet sit astrictus; prout inter cetera in quodam privilegio invictissimi principis et domini, domini Lodovici olim Hungarie et Polonie regis, indelende memorie genitoris nostri carissimi, vidimus, plenius continenti. Tamen vos Palatini Castellani, Judices et subiudices, ac alii officiales regni nostri, spretis indulgenciis et concessionibus genitoris nostri supradicti, eundem Sydełonem et ejus sultetos et cmetones non ad Jus Theutunicum Curie nostre Sandecensis, sed potius in vestrum Polonicum et nobile trahere niteremini (sic), contra libertates eidem concessas a regia majestate. Quapropter vobis omnibus et singulis suprascriptis et praesertim vobis Kryslao Castellano Sandeczensi moderno et vices vestras gerentibus et successoribus precipimus et distincte mandamus, quatenus ipsum Sydełonem a vestris citationibus et Judiciis relaxantes, ad Jus Theutunicale quod Meydburgense dicitur, et ad Curiam nostram Sandecensem, in questionibus contra eum motis vel movendis, juxta suorum privilegiorum tenorem, debeatis remittere, sine difficultate aliquali; Praesentes autem post lecturam reddi jubemus presentanti. Datum *Cracovie* ipsa die Festi beati Luce ewangeliste. Anno Domini Millesimo trecentesimo octuagesimo quarto regni autem nostri anno primo.

CLXVII.

Cracoviae—29 Octobris 1384 anno.

Hedvigis regina Poloniae privilegium Joanni de *Tarnow*, castellano Sandomiriensi a patre suo Ludovico datum, confirmat (¹).

Nos Hedwigis Dei gratia Regina Polonie nec non terrarum Cracovie, Sandomirie etc. Notificamus tenore presencium quibus expedit universis etc. Ad maiestatis nostre veniens presenciam Strenuus vir Dominus Johannes de *Tharnow* (²) Castellanus Sandomiriensis, litteram Serenissimi Principis Domini Lodovici eadem gratia olim Regis Ungarie, Polonie, Dalmacie etc. felicis memorie Genitoris nostri carissimi, sanam et in integram ac omni prorsus suspicionis vicio carentem, eius vero sigillo sigillatam, coram nobis obtulit supplicans quatenus eandem literam de celsitudinis nostre innata clementia, nostris litteris sibi ratificare et confirmare dignaremur. Cuius quidem littere tenor de verbo ad verbum sequitur sub hac forma.

1376. Nos Lodovicus dei gratia Rex Ungarie, Polonie, Dalmacie etc. memorie universorum declaramus quod quocumque et quocienscumque nostrum fidelem Dominum Johannem de *Tharnow* Capitaneum terre Radomiensis cum quibusvis emulis et inimicis nostri dicti regni

(¹) Tabulam hanc archivi ducum Sanguszkorum Zasłauiensis in Wolhynia propriam communicavit nobiscum illustrissimus et doctissimus Alexander Przeździecki, qui et descripsit illam ex archetypo membranaceo. Tabula nostra secunda est Hedvigis reginae patriae rerum scrutatoribus nota, conf. Caroli Szajnocha opus jam citatum: „Jadwiga i Jagiełło," T. II, pag. 189. Taeniolis pargamenis appensum est sigillum, in quo aquila parva Polonorum conspicitur. Verborum in ambitu sigilli inscriptorum, tantum fragmenta „...*gi*.... *gine Polonie*...." adhuc legi possunt. In dorso tabulae inscriptio vetus vernacula lingua sequens: „Królowa Jadwiga potwierdza list Króla Ludwika Panu z Tharnowa na okupno y nagrodę gdzieby mu się czo-sthało w potrzebie nieprzyiacielskiei, 1384.

(²) Ap. Niesieccium, Joannes hic castellanus Sandomiriensis mortuus est a. 1382, sed videmus, ad malam informationem scriptam hanc esse noticiam a Niesieccio. Successor Joannis in officio castellani Sandomiriensis fuit Creslaus, Krzesław Kurozwęcki de Chodów antea castellanus Sandecensis: mense Julio 1386 anno, Creslaus adhuc terrae Sandecensi

Polonie pro defensandis iniurijs et violencijs ipsius videlicet Regni publicam et notoriam gwerram vel expedicionem habere, vel inire contigerit, et in eisdem, quod absit, per adversarios seu emulos quos cum que ipsum vel aliquos ex suis hominibus quos secum duxit, ad talem gwerram vel expedicionem recipiendos, captivari; eundem et quos cumque suos, promittimus bona fide, verbo nostre maiestatis exemere, exsolvere, effectualiterque liberare, de dampnis similiterque in equis in tali expedicione vel gwerra publicis ut prefertur occisis, interfectis, aut per dictos adversarios vi receptis ipse Johannes vel sui homines supradicti perpessi fuerunt, spondemus satisfacere et rependere cum effectu. Itaque quod captivati per iam dictum Johannem, aut suos homines, in dicta gwerra vel expedicione, ex adversarijs seu emulis sepedictis pro nobis omnibus modis debeant reservari. Illo eciam. notabiliter adiecto quod idem Johannes et sui homines nemini penitus gwerram movere debeant, nec ipsius causa fore seu motores. Harum quibus sigillum nostrum est appensum testimonio litterarum. Actum et datum in *Beycz* feria quarta post diem Conversionis Beati Pauli Apostoli Anno Domini millesimo CCC^{mo} LXX^{mo} sexto.

1384. Nos itaque prefati domini Johannis Castellani Sandomiriensis iustis peticionibus acclinati prescriptam litteram in omnibus suis punctis, clausulis, articulis et sentencijs ratam et gratam habentes,. ipsam approbamus, ratificamus, et tenore presencium confirmamus, decernentes supradictam litteram, in eisdem suis punctis, clausulis et sentencijs omnimodis, vigorem efficaciam optinere. Harum quibus sigillum nostrum appensum est testimonio litterarum Datum *Cracovie* in crastino Symonis et Jude, Apostolorum Beatorum. Anno domini millesimo CCC^{mo} LXXX^{mo} quarto.

praefuit, sed jam Februario 1387 tanquam castellanus Sandomiriensis legitur in tabulis (Zubrzycki „Kronika Lwowa" pag. 57). Hoc tempore certe et Joannes de Tarnów, mortuus est (1386—7). Conf. in Caroli Szajnocha opere l. c. T. II, pag. 189 annotationem tertiam.

CLXVIII.

Sine loco et die, anno vero 1384.

Catherina rustica citat coram judice castellani Cracoviensis, scultetum de *Klimuntów*, aliosqe rusticos, tanquam auctores incendii domus et perditionis rerum. Citati, se eximi a judiciis Polonorum, asserunt (¹).

Nos nicolaus Judex magnifici viri dominj dobeslay Castel ani (sic) Cracowiensis notum facimus presentibus et futuris Quibus expedit vniuersis Quod cum ad nostram aliorumque dominorum presenciam nobiscum in iudicio presidencium Katherina kmetonissa de *Luscowicz* (²) ex parte vna famosum virum mikosium scoltetum de *climontowicz* (³) iohannem de *snegardow* (⁴) et petrum cum vxore de *climontowicz* et mikosium de *gnathowicz* et mikosium de *climontowicz* ex parte alia pro quibusdam incendijs domus et aliarum rerum perdicione citari procurasset Et cum eadem causa in multos ac varios terminos. wolueretur in termino peremptorio vtriusque partibus (sic) coram nobis personaliter constitutus Memoratus mikosius scoltetus asseruit et locutus est euidenter Quod non alias nisi in hereditate Jure suo Theutunicali cuilibet dese (sic) querulanti tenerentur respondere Quod priuileio (sic) eiusdem hereditatis iuste ydonee et sufficienter docuit adque aprobauit (sic). Super qua quidem probacione idem mikosius scoltetus a nobis sibi dari petijt presentem literam Judicialem In cuius rei te-

(¹) E tabula authentica pargamena Staniątciis in archivo monasterii asservata, Sławiński descripsit. Taeniola pargamena appensum est minus sigillum de cera vulgari sed viridis coloris; sigillum et verba in ambitu penitus deleta. In altera parte tabulae inscriptio polonica seculi decimi quinti sequens: *In iudicio dominj Cracouiensis Wijwodnij list.*

(²) *Łyszkowice*, villa Cracoviensis olim palatinatus, hodie regionis Proszowicensis, parochiae vero villae *Koniuszka* dictae.

(³) *Klimontów*, tres villae sunt ejusdem nominis in Cracoviensi provincia, regionis vero sunt Ilcussiensis, Cracoviensis (Proszovicensis) et Miechoviensis: spectant ad parochiales ecclesias in Niwka, Mstyczow et Proszowice.

(⁴) *Niegardów*, villa parochialis Miechoviensis hodie regionis.

stimonium nostrum sigillum presentibus est appensum Actum datum Sub anno dominj M°. C°C°C°. L. XXXIIII°. Presentibus hijs testibus Jaskone Cive camerario dominj Cracowiensis nobili viro floriano herede de *pelgrinomowicz* (sic) (⁵) precesao(?) dicto *Laseez* de *Damicz* (⁶) iacusio herede de *Lucz* (⁷) Et alijs fide dignis.

(⁵) *Pielgrzymowice*, villa Cracoviensis seu Proszowicensis regionis, (parochia Więcławice).
(⁶) *Danice*, villa etiam regionis Cracoviensis (parochia Iwanowice).
(⁷) *Łuczyce*, etiam Cracoviensis regionis villa (parochia Luborzyce).

CLXIX.

Cracoviae — 7 Januarii 1385 anno.

Hedvigis regina Poloniae villae *Lisów*, nobilis Spicimiri propriae, jus teutonicum, ob merita haeredis, confert (¹).

In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Heduigis dei gracia Regina Polonie, necnon terrarum Cracouie Sandomirie Syradie Lancicie, Cuyauie Pomeranieque domina et heres Notumfacimus vniuersis, presencium noticiam habituris. Quod consideratis multiplicium obsequiorum fidelitatibus quibus Spithco de *Lissow*. apud nostram maiestatem multipliciter commendatur. ob peticiones quoque ipsius instantissimas. volentes ipsum gracia prosequi speciali.

(¹) E tabula membranacea authentica in archivo Dzikowiensi comitum Tarnowsciorum, (quod in Gallicia) asservata, Sławiński descripsit. Crasso serico rubri coloris filo appensum est sigillum majestaticum representans reginam diademate insignitam et tenentem dextra manu sceptrum, sinistra vero pomum, sedentem in solio altaris gothici instar effecto circa pedes reginae scutum, in quo animal biforme dimidiatum aquilae et gryphi tergis sese contingentium. In ambitu sequentia tantum legi possunt: .... *dei gracia regine polonie necnon terrar.... pomeranieque domine.*

Carolus Szajnocha noscit tantum octo privilegia Heduigis reginae ab ejus coronatione usque ad matrimonium cum Vladislao Jagellone contractum et omnia in suo opere jam laudato „Jadwiga i Jagiełło" T. II, pag. 188—191 enumerat. Nostra tabula nona erit.

villam suam *Lissow* ([3]). sitam in terra. nostra Sandomiriensi, prout in suis granicijs. metis. et gadibus. ab antiquo circumferencialiter longe lateque est distincta. de Jure Polonico, in Jus Theutunicum, quod Sredense dicitur, transferimus perpetuo duraturum, Remouentes ibidem omnia Jura Polonicalia. modos. et consuetudines vniuersas. que ipsum Jus Theutunicum plerumque perturbare consueuerunt, Eximimus insuper absoluimus. et perpetuo liberamus.. Scultetum.. Kmethones.. Ortulanos. et quosuis.. Incolas ville predicte *Lissow*, ab omni Jurisdiccione et potestate, omnium Regni nostri... Palatinorum.. Castellanorum.. Judicum.. Subiudicum; ceterorumque.. Officialium et Min'sterialium eorundem; vt coram ipsis aut aliquo eorum; pro causis tam magnis. quam paruis. puta; furti: sanguinis. homicidij. Incendij. membrorum mutilacionis. ac quibuscumque alijs, citati minime respondebunt, nec aliquas penas soluere tenebuntur. Sed tantum.. Kmethones. et.. Incole predicte ville *Lissow*, coram suo.. Sculteto. qui pro tempore fuerit.. Scultetus vero coram prefato Spithcone. aut suis heredibus, et successoribus legittimis, vel quocumque domino supradicte ville, seu coram nobis vel Judicio nostro generali, si predictus Spithco. vel sui heredes, aut quicumque. supradicte ville, dominus. in reddenda iusticia negligentes forent. dum tamen per literam nostram, Sigillo nostro sigillatam. euocatus fuerit. tunc non aliter quam Jure Theutunico predicto. cuilibet ad obiecta respondere sit astrictus. In causis vero criminalibus et capitalibus. superius expressatis.. Sculteto memorate ville. Judicandi, sentenciandi. corrigendi. et puniendi, damus et conferimus. iuxta terre consuetudinem. plenam et omnimodam facultatem. prout hoc Jus Theutunicum Sredense, in omnibus suis punctis, clausulis. et condicionibus. postulat et requirit. Juribus tamen Regalibus in omnibus semper saluis. Harum quibus Sigillum nostrum appensum est testimonio literarum, Actum *Cracouie* in Crastino Epyphanie domini, Anno eiusdem Millesimo. Trecentesimo. Octoagesimo. quinto. Presentibus hijs Strennuis et honorabilibus

([3]) *Lissów*, altera villa est in regione Sandomiriensi (parochia Malice), altera vero in regione Radomiensi, parochiae suae est caput. Haec et illa in Sandomiriensi provincia.

viris, Johanne de *Tarnow* Castellano Sandomiriensi Spithcone Subcamerario Cracouiensi Dymittrio vicethezaurario Regni Polonie Imramo de *Plessow,* Petro de *Coslow* et Sethegio de *Chmelik.* Canonicis Vislicensibus, ac alijs multis nostris fidelibus fidedignis. Datum per manus honorabilis viri domini Zaclicze prepositi Sandomiriensis. Aule nostre Cancellarij.

CLXX.

In villa Wolkowysko — 11 Januarii 1386 anno.

Diploma primae unionis Poloniae cum Lithuania (¹).

Nos Wlodko Capitaneus Lublinensis Petrus ssafranecz Subdafirus (sic) Cracouiensis. Nicolaus Castellanus zauichostensis et Cristinus tutur (sic) Kazimiri Notum facimus vniuersis presencium noticiam inspecturis Quod feria quinta infra Octauas Epiphanie domini Anno eiusdem domini M° CCC° LXXX°'sexto Ad Invictissimum principem Jagalonem dei gracia summum ducem Litvanorum, et Russie heredem cum legacionibus nobilium procerum maiorum pariter et minorum necnon tote communitatis Rengni (sic) Polonie. cum literis credencialibus videlicet Serenissimi principis Ladislai eadem dei gracia cum una, et eorundem nobilium mangnatorum (sic) Rengni praedicti litera

(¹) Tabula haec magni momenti non ad codicem diplomaticum Minoris Poloniae sed ad totam Polonorum antiquam Rempublicam pertinet. Edidit illam nostris jam temporibus Carolus Szajnocha in opere „Jadwiga i Jagiełło" inter additiones Tomi secundi, pag. 393 —394. Szajnocha descripsit illam, ut asserit ipse, ex Thesauro universal. Regni N°. 3, id est ex libris manu scriptis Bibliothecae Ossolinianae Leopoliensis (conf. ejusdem operis T. II, p. 311). Sed doctissimus Sławiński habuit in sua manu archetypon membranaceum tabulae ipsius, sine sigillis tamen, docuitque nos, quatuor filis pargamenis olim sigilla appensa esse.

In apographo Sławinscii invenimus variantes lectiones et orthographiam aliam, pessimam. Has ob multa causas tabulam rursus typis exaramus ex archetypo Sławinsciano non ex apographo, uti Szajnocha. Sed, proh dolor! unde descriptum sit apographon Sławińscii, nos latet; verisimile archetypon asservatur Staniątciis aut Dzikowiae in Gallicia.

cum altera venimus vigore quarum literarum credencialium et nomine eorundem dominorum. cum ipso domino Jagalone. mangno duce prenarrato, condicionaliter difiniuimus et taliter pactauimus, ita quod ipsum pro domino ac Rege Rengni eiusdem, videlicet Polonie domino nostro perelegimus et asumpsimus sibi quoque Inclitissimam Hedwigem et preclaram Reginam Polonie naturalem, in coniugem legittimam condicione matrimoniali dedimus condonamus conferimus et contulimus copulandam, quamquidem nostram ordinacionem et definicionem nostram et contractum vt prefertur iuxta ritum legacionum nostrarum. ab omnibus Rengnicolis Rengni prenarrati promittimus et spondemus rata grata et inviolabiliter fore conseruanda, Eciam cum eodem domino Jagalone summo duce premisso vigore et nomine predictorum Rengnicolarum, Conuencionem composuimus condictauimus et decreuimus in *Lublin,* in die Purificacionis marie proxime afuturum (?) fore generalem, ad quam idem dominus Jagalo dux sepedictus cum fratribus et Terrigenis suis .cuiuscumque existant condicionis, tute et secure venire debebit, interim et ambasiatores seu nuncios suos, inmediato tempore, per vniuersos confines Rengni Polonie cum omni securitate mittere sua negocia libere ordinandos, Et nos milites prenarrati, promittimus fidei nostre sub edicto et honoris, ab omnibus Rengnicolis Rengni Polonie, eidem domino. J.(agaloni) summo duci prelibato cum omnibus fratribus suis et hominibus vniuersis. in convencione eadem existentibus, ac Nuncijs eiusdem ante conuencionem prenarratam per Terram Polonie transientibus vel in ea manentibus, secure ac vniuersa et singula agere, dolo et fraude quibusuis proculmotis. In huius rei testimonium et euidenciam Sigilla notra presentibus iussimus fore appendenda, actum et datum in *Volkouigzko* ([2]) Anno et die quo supra.

([2]) *Wolkowysk,* oppidum in Lithuania.

CLXXI.

Cracoviae—10 Septembris 1387 anno.

Drogomiri judicis et Creslai subjudicis terrae Cracoviensis, in causa nobilis de *Suchoraba*, **cum cmethone de** *Słomiróg*, **decretum** (1).

Nos Drogomirus Judex et Crzeslaus Subiudex generales terre Cracouiensis Notum facimus quibus expedit vniuersis presentem literam inspecturis Quod cum Nobilis vir Bracicz heres de *Suchoraba* (2) citasset pro verberacione et pro sex wlneribus filio ipsius illatis Clementem Kmethonem de *Slomirog* de villa Monasterij Stanateciensis materia questionis coram nobis fuisset exorta et cum eadem causa seu controuersia in multos ac varios terminos wolueretur in termino vero peremptorio vtrique parti per nos posito et asignato (sic) dictus Bracicz de ipso Kmethone nomine Clemente proposuit queruloso quod filius eiusdem Clementis filium Bracikonis verberasset necnon et wlnera dedisset Tandem famosus vir Stasco dictus Cuhavsci procurator Monasterij Stanateciensis coram nobis necnon assessoribus nostris qui tunc pro tribunali vna nobiscum presidebant Regale priuilegium nobis ostendit quod omnes kmethones sepedicti Monasterij Stanateciensis sint liberi et exempti a iure polonicali quod non alio iure quam in iure Thevtunicali cuilibet persone tenentur respondere frui et gaudere Nos vero visa litera priuilegiali et diligencius perspecta sepedictos kmethones Monasterij Stanateciensis iure Theutunico in ipsorum hereditatibus iudicare et respondere adiudicauimus et adiu-

(1) Apographon hujus tabulae habemus a doctissimo olim Sławińscio, qui eam ex archetypo monasterii Staniątcensi proprio, descripsit. Duobus taeniolis pargamenis duo parva sigilla appensa sunt: altera repraesentat quasi securim, id est duas columnas junctas, in ambitu verba: *s. (igillum) drogomiri iudicis*; alterius vero judicis, sigillum repraesentat effigiem talis signi ♁; inscriptio deleta.

(2) *Suchoraba*, villa provinciae olim Cracoviensis, regionis Szczyrzecensis, (parochia Brzezie in Gallicia).

dicamus ipsoque, iure fungi et gaudere videlicet Theutunicali. In cuius euidenciam nostra sigilla presentibus duximus appendenda. Actum et datum *Cracouie* feria tercia proxima post Natiuitatem gloriose virginis Marie. Anno natiuitatis dominj M°. C°C°C°. LX°X°X° septimo Presentibus hijs testibus Ymramo de *Rogow* pradotha (sic) de *Nepresna* (³) Sulkone iudice Petro de *Carnocin* heredibus Mathia et Preczslao nostris Camerarijs et alijs multis personis fidedignis.

(³) *Nieprzesznia*, villa in eadem provincia, regionis vero Czchovensis (parochia villae *Pogwizdów* in Gallicia).

CLXXII.

Cracoviae — mense Majo 1388 anno.

Nicolaus de *Wrzampa*, Nicolaus Jastco et alii partes haereditatis suae in villa *Crzissovicze*, domino Joanni Palatino Sandomiriensi, vendunt (¹).

Nos Drogomirus Judex et Krzeslaus Subiudex Cracouiensis generales notum facimus quibus expedit vniuersis presentem litteram inspecturis. Quod cum pro tribunali sedebamus videlicet in colloquio generali accedentes ad nostram nostrorumque assessorum presentiam Nicolaus de *Wrzampa,* Nicolaus Jasthco et Christinus de *Suathouicz* Thomas de *Prosshouicz*, *Penussius* (Pacossius?) de *Ziolow* omnem partem hereditatis ipsorum *Crzissouicz* ipsos post mortem Sandconis fratris ipsorum legitime concernentem cum omnibus vtilitatibus que ibidem sunt vel fieri quomodolicet possunt in futurum, quibuscunque nominibus vo-

(¹) Ex archetypo multis rimis ob senectutem laeso, descriptum. Conf. tabulas in hoc tomo typis expressas ad a. 1361 et seqq. (N°. CXXVI et seqq.). Multi haeredes villae in tabula nostra memoratae sortes suas olim Raphaeli de *Tarnow* subcamerario Sandomiriensi (postea castellano Wisliciensi) vendiderunt. Nunc vero anno 1388. Joanni palatino sandomiriensi, reliquas partes ejusdem villae vendunt. Joannes hic palatinus, filius fuit Joannis de *Mielsztyn* castellani Cracoviensis, fratris germani Raphaelis de *Tarnow*. Conf. l. c. Szajnochianum opus.

citantur scilicet agris pratis gaijs rubetis pascuis piscinis censibus redditibus molendinis aquis et eorum decursibus et vniuersis obuencionibus, nihil pro se aut ipsorum liberis et legitimis successoribus iuris dominii et utilitatis in eadem parte hereditatis ibidem in *Crzissouicz* reseruantes prout est ipsa pars hereditatis in suis metis longe lateque circumferentialiter distincta et limitata cum omni Jure et dominio prout soli tenuerunt habuerunt et possederunt. Magnifico.... Domino Johanni Palatino Sandomiriensi suisque liberis et legitimis successoribus ..... pro centum marcis grossorum pragensium numeri consueti.... Regno currentis vendid(erunt). Jure hereditario tituloque vendicionis resign(averunt) renunciantes omni repeticioni et rehabitioni... premissam partem hereditatis suae per.... dominum Johannem Palatinum Sandomiriensem suos que successores perpetuis temporibus tenendam habendam et (possidendam) val... dam promittentes ipsum in eadem ab omni.... (te)stimonium sigilla nostra presentibus sunt appensa. Actum et datum *Cracovie* ..... tempore May Anno domini MCCCL. XXX octavo. Presentibus.... Sandiwogio Capitaneo Spithcone Palatino Spithcone Subcamerario .... Woynicensi Christino Sandecensi Castellanis et aliis multis et....

CLXXIII.

Wojnicz — 30 Junii 1388 anno.

Wladislaus Jagello rex Poloniae Magnus Lithuaniae dux, Nicolao de *Jassd* alias Michael dicto, sculteciam in villa *Tarchow* vendit (1).

In nomine etc. Wladislaus dei gratia Rex Poloniae etc. Significamus etc. Quod cupientes profectus Regni nostri ampliare locaque deserta per plenitudinem hominum in usus convertere meliores. Si-

(1) Tabulam hanc ex libris manu scriptis Tabularii Varsoviensis Regni Poloniae vulgo „Metryka koronna" dictis (vol. 98, fol. 55 et seqq.), ubi in transumpto Regis Sigis-

guanterque villae nostrae *Tharchow* in terra *Woicensi* sitae conditionem volentes facere meliorem, ut in collocatione hominum foelicia (sic) suscipiat incrementa. Scultetiam eiusdem villae *Tharchow* Nicolao de *Jassel* alias Michael dicto pro decem marcis grossorum Pragensium monetae et ponderis Polonicalium vendidimus et vendimus tenore praesentium mediante ratione cuius Scultetiae sibi unum mansum agrorum mensuratum molendinum, tabernam, pratum syluam in suis limitibus lacus cum utraque parte littoris fluvij *Ropa* tertium denarium de censibus, et sextum de qualibet re iudicata adiungimus, per eundem Michael eiusque liberos et successores legitimos habendum tenendum vendendum etc. perpetuis temporibus possidendum, Constituendo ipsum Michaelem eiusque haeredes ac successores legitimos eiusdem Scultetiae veros dominos ac legitimos possessores: Cui etiam Michaeli omnia Jura, quibus caeteri sculteti in terra *Voyczensi* (²) constituti hactenus utebantur, et fruuntur, una cum Juribus Theutonicalibus concedimus damus conferimus perpetuo et donauimus. Eo etiam adiecto quod idem Michael eiusque haeredes ac successores legitimi ad quamlibet expeditionem nobis ac successoribus nostris seruire cum una balista in equo bene valente seruire (sic) sint astricti. Caeterum Cmethones et Incolae villae praedictae *Tharchow* nobis et successoribus nostris de quolibet manso tempore debito et consueto annuatim octo scotos grossorum solvere omnimode debebunt et tenebuntur. Actum in *Woynicz* (³) in crastino sanctorum Petri et Pauli Apostolorum 1388. Praesentibus etc. (⁴).

mundi Augusti invenitur, descripsit doctissimus olim Antonius Muczkowski, omnibus verbis formalibus omissis. Confirmatio privilegii a Sigismundo Augusto data est die 3 Januarii 1564 anno.

(²) Debet esse: „in terra Wojnicensi," in qua et villa *Tarchow* invenitur.

(³) *Wojnicz*, urbs, sedes castellani majoris in Cracoviensi olim provincia, nunc in Gallicia.

(⁴) Praesentes in apographo Tabularii publici desunt.

CLXXIV.

Grodek — 1390 anno.

Haeredes de *Słupca*, tabernam rectori ecclesiae parochialis in villa *Przedanica* donant pro salute sua et parentum suorum (1).

In nomine Domini Amen. Quoniam universa negotia saepe facilius evanescunt per volutionem temporum ab humana memoria, quae non fuerunt sufficienti literarum serie testiumque adminiculo ac sigillorum appensione firmiter perennata: Proinde nos Stanczy Andreas et Joannes fratres uterni et Heredes de *Słupcza,* ad universorum, quorum interest etc.... divina nos inspirante gratia, pro salute nostra parentumque nostrorum viam universae carnis jam dudum ingressorum: Dotionis (sic) Patris nostri, haeredis ibidem de *Słupcza,* et matris nostrae Swiętochnae, Mimini (sic?) nec non et Clementis Avunculi nostri, olim antecessorum nostrorum, heredum de *Grodek,* testamentum perenne speciali devotione decrevimus, et nullis obstantibus nec impedientibus, praesentibus creamus, et indissolubiliter ordini Ecclesiastico stabilimus hujusmodi. Discreto viro Domino Nicolao Rectori Ecclesiae de vico sive *Przedanica* (2), in honorem Dei, S. Mariae Matris D. et SS. Domini ibidem Patronorum ejusdem Ecclesiae donavimus praesentibus et damus unam Tabernam ad Orientem ante Ecclesiam Podoliensem sitam et locatam super littus rivuli *Przedonica* dicti, nec non et de redditibus nostrorum proventuum villae dictae *Posadowa* (3) unum agrum Joannis dicti Osansconis habendum. Et idem Rector saepe dictae Ecclesiae et sui successores, nostris pro praedi-

(1) Josephus Łepkowski communicavit nobiscum tabulam hanc, cujus archetypon in villa *Podole* asservatur.

Podole, villa cum ecclesia parochiali in regione Sandecensi, provincia olim Cracoviensi (1676), nunc in Gallicia.

(2) *Przedanica*, villa parochialis etiam in Sandecensi regione (1676).

(3) Villa in parochia Podoliensi, ibidem locorum.

ctis parentibus totaque propagine infra annum, temporibus perpetuis, quatuor temporum, quater in quolibet anno, missas quatuor, videlicet feria quarta, quinta, sexta et Sabbatho defunctorum celebrare tenebuntur. Eidemque Rectori Ecclesiae jam dictae et suis legitimis successoribus cum omni jure et utilitate, hoc damus testamentum in perpetuum possidendum. Ita tamen, quod jam dictum testamentum incommutabile et invendibile sit, et ab Ecclesia ejusque dote nunquam alienandum. Actum et datum in *Grodek* A..D. 1390, in autumno et in die S. Stanislai Pontificis et Martyris gloriosi. Praesentibus his testibus Nobilibus et Discretis viris Joannis (sic) et Haeredibus de *Banowice;* Spytkone et Clemente fratribus uternis, Martino dicto Bandrescha sculteto de *Bartkowa* (4) et Sventoslao fratribus uternis, Joanne haerede in *Łaziska* et aliis fide dignis. In cuius rei testimonium sigillum nostrum est appensum.

(4) Villa etiam in parochia Podoliensi,

CLXXV.

Korczynii — 4 Junii 1392 anno.

Vladislaus Jagello rex Poloniae villae *Krziszowice*, Joannis de *Tarnow*, palatini Sandomiriensis privilegium et immunitates juris teutonici largitur (1).

In nomine domini amen. Wladislaus dei gracia Rex Polonie nec non terrarum Cracouie Sandomirie Siradie Lancicie Cuyauie lituanie princeps supremus. Pomeranie Russieque dominus et heres, etc. Ad rei memoriam sempiternam, Significamus vniuersis presentibus et futuris presencium noticiam habituris, Quod consideratis multiplicum obsequiorum fidelitatibus et meritis quibus apud nostram maiestatem validus Johannes de *Tharnow* palatinus noster Sandomiriensis, fidelis

(1) Ex archetypo descriptum. Conf. tabulam (N°. CLXXII) supra editam, anni 1388.

dilectus multipliciter commendatur, ob ipsius quoque peticiones instantissimas, volentes eundem Johannem specialium graciarum prosequi fauoribus, et ad nostra seruicia reddere continuo prompciorem villam suam *Krzissouicze* in terra nostra Cracouiensi situatam prout in suis metis et graniciis ab antiquo longe lateque circumferencialiter est distincta de Jure Polonico in Jus Theutonicum, quod Maydburgense dicitur transferimus perpetuo duraturum, Remonentes ibidem omnia iura polonicalia modos et consuetudines vniuersos, que ipsum Jus Theutonicum plerumque perturbare consueuerunt. Eximimus insuper absoluimus et perpetuo liberamus Scoltetos Cmethones Ortulanos et quosuis Incolas predicte ville ab omni Jurisdiccione et potestate omnium regni nostri palatinorum Castellanorum Judicum Subiudicum ceterorumque officialium et ministerialium eorundem ut coram ipsis et quolibet eorum pro causis tam magnis quam paruis. puta furti sanguinis homicidij incendij membrorum mutilacionis ac quibusuis aliis citati minime respondebunt, nec aliquas penas soluere tenebuntur, sed tantum Kmethones et Incole supradicte ville coram suo Scolteto qui pro tempore fuerit, Scoltetus vero coram prefato Johanne et suis heredibus ac successoribus legitimis seu quocunque domino predicte ville aut coram nobis vel nostro generali Judicio, si prefatus Johannes vel sui heredes et successores legitimi, vel quicunque dominus eiusdem ville in reddenda iusticia negligentes forent, dum tamen per litteram nostram sigillo nostro sigillatam euocati fuerint, tunc non aliter quam Jure Thentonico maydburgensi predicto cuilibet ad obiecta respondere sint astricti In causis autem criminalibus et capitalibus superius expressatis, Scolteto sepedicte ville iudicandi Sentenciandi corrigendi condempnandi et puniendi damus et conferimus iuxta terre consuetudinem plenam et omnimodam potestatem prout hoc Jus Theutonicum maydburgense predictum in suis condicionibus clausulis et sentenciis postulat et requirit Juribus tamen regalibus in omnibus semper saluis. Harum quibus Sigillum nostrum appensum est testimonio litterarum. Actum in Nouaciuitate *Corczin* feria quarta festi penthecostes Anno domini millesimo Trecentesimo Nonagesimo Secundo: Presentibus Spithcone Cracouiensi Jescone

lancicien̄si palatinis, demetrio marschalco, Cristino de *Ostrow* Canstellano (sic) Sandomiriensi michaele de *Bogumilouicze* Cracouiensi et Prandotha Sandomiriensi Subiudicibus, ac aliis multis nostris fidelibus fidedignis. Datum per manus venerabilis Zaclice Aule nostre Cancellarii fidelis dilecti.

CLXXVI.

Tineciae — 31 *Maji* 1392 *anno.*

Monasterium Tinecense in villa *Ukolice* sculteciam erigit juris teutonici et vendit illam Joanni dicto Niedźwiedź: sculteti munus praescribit (1).

In nomine Domini Amen. Ne vetustas temporis humanos actus insignes naufragio nubilo oblivionis novercatur, scripti perennis vigore et testium aminiculo opportunam recipiunt firmitatem. Et proinde nos Mscislaus miseratione Divina Abbas, Boguslaus Prior, Matthias Custos, Joannes Claviger, Andreas Praepositus totusque Conventus et Capitulum Monastery Tynecensis Ordinis Sancti Benedicti Cracoviensis Dioaeces (sic) Notum facimus quibus expedit universis praesentium notitiam habituris, Quod cupientes in villa nostra nostrique Monastery vulgariter *Vkolice* (sic) (2) nuncupata, de agris, molendino, taberna ad nostram Curiam et labores nostros spectantibus silvis, aquarum decursibus utilitatem ordinare meliorem et profectum ampliare in eadem villa nostra *Ukolice* Scultetiam de novo erigimus, ipsamque villam nostram in Jus Theutonicum, quo aliae nostrae et nostri Monastery praedicti villae utuntur per amplius constituentes, et in aevum Scultetiam eandem nostram cum Juribus et bonis infrascriptis villae *Ukolice* praedictae vendidimus Honesto Viro Joanni dicto *Medzuedz* (sic) Oppidano Oppidi dicti *Koszyce* (3). pro Triginta duabus marcis mone-

(1) Apographon a Lepkowscio habuimus.
(2). *Okulice*, villa olim Czchovensis regionis, parochiae ad *Cerekiew* spectantis (1676).
(3) *Koszyce*, apud Germanos *Kaschau*, urbs in Hungaria.

tae Regni Poloniae et currentis communiter pagamenti (sic), per ipsum suosque legitimos Successores in perpetuum habendam, tenendam et possidendam. Cui quidem Scultetiae appropriamus et addimus bona, utilitates ac Jura et libertates infradescriptas. Et primo duos laneos communes seu sortes, molendinum unum, tabernam unam, hortos pro hortulanis quot possunt plures locari et erigi in bonis scultetiae praedictae, supranominatae, piscinas quotque plures in dicta haereditate tota eadem erigi possunt libere, Sexaginta arbores pro mellificijs praeparandis, Sexaginta pascendi Scrophas Sculteti praedicti, sive ipsius, sive alienas in nostra silva haereditatis villae praedictae libere, tertiam partem obventionum Judicialium et pro Judicio Banniendo Nos tenebimur tres Scabinos de villa nostra *Xiążnice* (1), cum necesse fuerit ordinare, et alios Scultetus, qui pro tempore fuerit, quot necessary erunt, de dicta villa *Ukolice* statuere tenetur, pro expeditionalibus autem Kmethones villae praedictae *Ukolice* medietatem quantitatis tantae sicut in *Xiążnice* solvi consueverunt exolvent (sic), Scultetus vero ad expeditionem transire eo quod labores et bona Curiae nostrae praedictae obtinebit, de quibus nulla unquam servitia erant ad expeditionem consueta fieri, non est nec erit astrictus, nisi nobis communia servitia ad tria milliaria facere obligatur. Censum autem annuum quilibet Cmetho villae praedictae *Ukolice* annuatim per octo scotos grossorum nobis exolvat; habebunt autem Scultetus et cmethones qui fuerint pro tempore in aevum in silva nostra lignorum, glandium usufructum, quemadmodum dicti cmethones antea habuerunt. Licebit etiam Sculteto praedicto et posteris suis permanere in alio loco et bona praedicta ac hortos exponere et locare et convenire, prout sibi melius expedierit Kmethonibus, Hortulanis, artificibus seu mechanicis et sicut sibi competentius videbitur expedire praedictam quoque Scultetiam vendere, donare, permutare, cui (sic) duntaxat super his nostram prius obtinuerit voluntatem. Ut autem omnia et singula praemissa robur obtineant perpetuae firmitatis, ad horum omnium testimonium et evidentiam pleniorem praesens Privilegium

(1) *Xiążnice* villa ettiam fuit regionis Czchowensis (parochia villae dictae *Chelm*).

scribi et Sigillorum nostrorum Abbatis et Conventus praedictorum munimine fecimus roborari. Actum et datum in Monasterio nostro Tynecensi praedicto in vigilia Corporis Christi. Anno Domini M. CCC. X. C. II. Praesentibus Nobilibus et Discretis viris Dominis: Michaele Rectore Ecclesiae Sancti Nicolai Suburby Cracovieusis, Nicolao Andreae (sic) de *Wislica* Cive Cracoviensi, Andrea Joannis (sic) de *Konczyska*, Jascone de *Wroblowice* haeredibus, Nicolao Benedicti de *Slozino*, Nicolao Joannis de *Brzeziny* Gneznensis, Nicolao Martini de *Lelowa* Cracoviensis, Simone Nicolai de *Wrienstat* Wratislaviensis Dioaeceseos Notarys publicis ac alys quam pluribus testibus fide dignis.

CLXXVII.

(Cracoviae) — 11 Julij 1392 anno.

Nobilis Margaretha, relicta Stephani civis Cracoviensis, cum filio suo Francisco, domum suam lapideam Josmanno judaeo vendit (1).

Sub Anno domini millesimo Trecentessimo Nonagesimo Secundo feria Sexta proxima post festum beati procopij. Judicium fuit bannitum per Aduocatum Nicolaum Schaffer et Scabinos submissos videlicet. Nicolaum Flenczer Johannem Puswange Tylonem Zatheler Nicolaum Grudner. Johannem Statschreiber Petrum Geytan Petrum Briger. Caspar Crugil. Jacobum Tewdirnewdir. Nicolaum Gemelich et Nicolaum Plathener Coram quo Judicio Nobilis domina Margaretha relicta quondam Scepanconis et Franciscus filius eius legittimus (sic) ipso filio suo pro tutore recepto presencialiter constituti domum ipsorum lapideam paruam retro magnam ipsorum domum quam inhabitant fundamentaliter sitam cum eisdem iuribus modis et limitibus qui-

(1) Archetypon pargamenum descripsit Sławiński. Reliquiae tantum sunt taeniolae pargamenae. Sigillum deest.

bus eandem paruam domum habuerunt tenuerunt et possederunt prouido Josmanno iudeo Cracouiensi cum plena faciendi et dimittendi facultate iure hereditario libere resignarunt Hoc notanter incluso, quod omnes fenestras et cancella sub et supra de predicta ipsorum domo magna ad partem prefate domus resignate quomodolibet transeuntes et existencia debent per ipsum Josmannum muro obstrui. ac perpetue claudi et pro eisdem cancellis clausis vna fenestra ad modum consvetum ac possibilem in dicta magna domo contra braxatorium Comos (sic) in platheam de nouo lapidibus preparari Promiseruntque dicti Resignantes pro omni impeticione secundum ius Ciuitatis et legem Insuper promisit dictus Josmannus iudeus prefatam domum emptam paruam et aliam domum suam circa suprascriptam magnam Scepanconisse domum in plathea Judeorum fundamentaliter sitam quam idem Judeus inhabitat si easdem vel alteram ipsarum per ipsum vel pueros suos legittimos vnquam vendi contingat. nulli Judeo sed ciui vendere Christiano debentque sepedicti Josmannus et sui pueri de eisdem ambabus suis domibus vigilias exacciones et omnia et singula Ciuitatis Jura facere, que Christianos Ciues facere opporteret. si easdem domus proprietenus possiderent In Cuius rei testimonium Sigillum Scabinorum Cracouiensium predictorum presentibus est appensum.

CLXXVIII.

Cracoviae — 25 Februarii 1393 anno.

Vladislaus Jagello rex, Monasterio de Claro monte vulgariter *Częstochowa* dicto, villas donat et varia privilegia tribuit (1).

In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Wladislaus Dei gratia Rex Poloniae etc. Innata cordi nostro benignitas

(1) Muczkowski descripsit tabulam hanc ex Archivo publico Regni Poloniae, ex libris manu scriptis „Metryki koronne" dictis vol. 98, fol. 111. Conf. doctissimi auctoris

inter caeteras sollicitudinum curas, quibus pro subditorum quiete usque quaque distrahitur, ad hoc praecipua consideratione intendit, ut ecclesiarum libertatibus profectis, et commodis possit et valeat sub tempore foelicis nostri regiminis salubriter subvenire, prouidendo, nec in literis nostrae Majestatis erat propositum, nam in coelestes thezauros et immarcescibiles illud indubie reponi confidimus quicquid ad magnificandos sanctarum Ecclesiarum honores liberaliter erogamus, Ad universorum igitur notitiam tam praesentium quam futurorum praesentia volumus pervenire. Quomodo summae zelo devotionis ac dilectionis accensi, diem extremi iudicii volentes operibus nostris praevenire, divinae retributionis nostraeque ac Consortis nostrae charissimae, nec non Illustrium Praedecessorum nostrorum salutis intuitu, quod sustentatione religiosorum ac devotorum nostrorum dilectorum fratrum S. Pauli primi Heremitae Ordinis S. Augustini Monasterij de Claro monte siti prope Civitatem nostram Czestochoviensem ipsis fratribus de monasterio praedicto nostro villas nostras infrascriptas, antiquam *Czanstochow* (²), *Karwodrza, Corabowa, Sarliowka, Elgota*, nec non et quemdam angulorum melificiorum qui *idmiska* vulgariter nuncupatur, infra granicies seu metas praedictarum villarum iuxta fluvium *Szarnowa* situatum quae mellificia rustici villae nostrae *Zakrzowo*

Michaelis Balińscii opus vernacula lingua scriptum, cui titulus: „Pielgrzymka do Częstochowy przez pątnika XIX wieku," et praecipue annotationes in fine libri positas. De fundatione Częstochowiana legas etiam annales Wapowscii, quos novissime lingua vernacula edidit Vilnae illustrissimus doctissimusque vir de rebus patriae gestis meritus maxime Nicolaus Malinowski, T. 1, pag. 110. Tabula nostra seu potius apographon ejus, quod Muczkowski descripsit, invenitur in confirmatione privilegiorum monasterii Częstochowiensis a Sigismundo Augusto rege die 10 martii anno 1564 concessa. Hunc nostrum actum excipit in confirmatione regis Sigismundi actus Vladislai Jagellonis anni 1414. in libro, uti supra 98 fol., 112 vers., quem lector benevole in hoc tomo etiam invenies. In fine vero horum legitur: „Ja Stanislaw Choialo zeznawam, izem wziąl dwa listi Clastora Czestochowskiego."

(²) *Częstochowa*. urbs in antiqua Cracoviensi provincia, in regione vero Lelowiensi, hodie in Polonia. Circa urbem vero Clarus mons *Jasna Góra*, locus apud gentem nostram sanctissimus, in quo invenitur monasterium fratrum ordinis S. Pauli Eremitae jam a. 1382, a Vladislao duce Opoliensi fundatum, in monasterio vero Imago Beatae Mariae Virginis multis miraculis ab antiquis temporibus clara. Loci in privilegio memorati sunt apud Częstochoviam.

prope Civitatem nostram *Klobuczsko* ([3]) sitae, alias possidebant una cum ferrificio, et piscina allodium (sic) contigue adiacens ipsi monasterio. Cuius quidem allodii granicies seu limites a parte Civitatis nostre *Czenstochow* praedictae, taliter metis caeteris distinguuntur, prima meta terrea incipit a plaga australi in fine villae antiquae *Czestochow* tendens directe versus meridiem, usque ad aliam metam tertiam circa viam magnam, qua itur de civitate praedicta ad monasterium antedictum, deinde pertransiendo eandem viam versus praedictam plagam meridionalem, usque ad metas ferrificii scilicet septem metae terrae fossae et errectae (sic), ubi limites inter praedictum Monasterium et praefatam Civitatem terminantur, cum omnibus dictarum villarum ferrificii et allodii utilitatibus, fructibus, censibus, reditibus, proventibus, et caeteris ipsarum obventionibus universis, prout etiam dictae villae ferrificium et allodium in suis limitibus et graniciis circumferentialiter sunt distinctae, puta agris, campis, pratis etc., caeterisque dictarum villarum ferrificii et allodij pertinentijs et appendiis universis, quibuscunque nominibus nuncupentur, nullis penitus exclusis eisdem, etiam iuribus, dominijs et libertatibus, quibus dictas villas, ferrificium et allodium antecessores nostri inclyti Reges Poloniae habuerunt tenuerunt et possederunt, nihil penitus iuris et proprietatis nobis aut nostris successoribus in praedictis villis ferrificio et allodio quomodolibet reservando, damus, conferimus, assignamus, donamus, appropriamus, incorporamus et irrevocabiliter ascribimus perpetuis temporibus duratura, per praedictos fratres tenendi, habendi, utifruendi, ac perpetue possidendi, tanquam veras et legitimas haereditates, ac ecclesiasticas assignaciones. Praeterea addimus, donamus et in perpetuum assignamus quatuor marcas grossorum in Civitate nostra *Czenstochow* praedicta de censu nostro a Civibus Civitatis nostrae eiusdem, in et super festo S. Martini Confessoris, per fratres praedictos singulis annis percipiendas et perpetuo possidendas. Item duo macella libera carnium, ut de sopo (sic) de ipsis proveniente macellis lumina conficere valeant pro eorum necesitate. Eximimus insuper

([3]) *Klobucko*, urbs suae parochiae caput, in Częstochoviensi regione.

absolvimus ac perpetuo liberamus universos et singulos Scultetos Cmethones, molendinatores, colonos, et incolas dictarum villarum ferrificij et allodij ab omnibus et singulis exactionibus expeditionalibus videlicet *Woienne* angariis praeangariis collectis contributionibus, laboribus, servitute juvaminibus personalibus realibus et pecunialibus Et generaliter a qualibet equorum et canum seruatione. Eo duntaxat excepto, Quod rustici dictarum villarum de quolibet manso possesso unam mensuram avenae, secundum mensuram Civitatis nostrae Vielunensis singulis annis, perpetuo nobis et successoribus nostris in festo S. Martini solvere tenebuntur. Damus insuper et adicimus praefatis fratribus ac monasterio praedicto, quod Capitanei, Judices, Subiudices, Officiales, Venatores, Aucupes ac falconarij, nec non procuratores nostri ac successorum nostrorum. Caeterique cuiuscunque que status conditionis et praeeminentiae extiterint homines in dicto monasterio, et in bonis ipsius tam die, quam de nocte, absqe dictorum fratrum voluntate pernoctare hospitari et descensus facere, iudicare, iudicia facere, poenas tollere aut exigere non habebunt neque debeant, nec praesumant. Similiter et a receptionibus equorum, canum, avium et aliorum quorumcumque animalium dictos fratres liberos omnino esse volumus absolutos et exemptos, Decernentes etiam, quod praedicti fratres, tam pro aedificijs et ignibus monasterij, quam etiam ferrificij, Similiter et incolae villarum praedictarum ferrificii et allodij pro eorum necessitate dummodo in proprijs lignis defecerint, ligna in sylvis nostris ac borris, sed absque damno mellificiorum nostrorum. Demum lapides ferrei scilicet *Ruda* ad conflandum in haereditatibus nostris, absque damnorum illatione, ad eorum ferrificia recipiendi, liberam habebunt facultatem. Actum *Cracoviae* in die sancti Mathiae Apostoli M° CCC° XC° III°. Datum per manus Venerabilis *Zaklicze* Cancellarij et Clementis Vicecancellarij Aulae nostrae.

CLXXIX.

Korczynii — 25 *Julii* 1393 *anno*.

Joannes de *Tarnow*, Palatinus Sandomiriensis 800 marcas grossorum pragensium uxori suae Catherinae in villis *Crzisowice* et *Szczepanowice* inscribit (¹).

Wladislaus dei gracia Rex Polonie lithuanieque Princeps Supremus et heres Russie etc. Significamus vniuersis quibus expedit presencium noticiam habituris, Quod ad nostram veniens presenciam Strenuus miles Johannes de *Tharnow* Palatinus noster Sandomiriensis fidelis dilectus Non compulsus neque per errorem, Sed ex certa sua sciencia voluntate quoque Validi Spithconis Subcamerarii nostri Cracouiensis et consensu super hoc specialiter accedente, Octingentas marcas grossorum Pragensium nummi Polonicalis consueti. Quadraginta octo grossos in marcam quamlibet videlicet computando, In et super totali hereditate *Crzisowicz* et in parte media ville *Sczepanouicze* (²) in Terra nostra Cracouiensi situate: Nobili Katherine consorti sue dedit, contulit et coram nobis rite et racionabiliter... veri et iusti dotalicii liberaliter assignauit, Itatamen quod si prefatum Johannem Palatinum altissimo permittente ab hac luce migrare contigerit eadem katherina superstite remanente tunc predicta katherina predictam villam cum media, plenam habebit et pacificam potestatem habendi tenendi vtifruendi et possidendi tamdiu videlicet quousque in thoro permanserit viduali, Cum autem ad secundas nupcias conuolauerit extunc solutis predictis Octingentis marcis grossorum et polonicorum memorate katherine per proximiores supradicti Johannis Palatini predicta villa *Crzisouicz* et pars media ville *Szczepanouicze* ad eiusdem Jo-

(¹) Apographon ex archetypo descriptum. De Joanne palatino et villa eius *Krzyszowice*, conf. tabulas superius typis exaratas.

(²) *Szczepanowice:* duae villae sunt ejusdem nominis in Cracoviensi provincia et Miechoviensi territorio, quarum altera ad parochialem ecclesiam in *Niedźwiedź*, altera ad Miechowiensem spectat.

hannis proximiores redire debent et reuerti pleno Jure, Presencium sub nostre maiestatis Sigillo testimonio litterarum. Actum in *Corczin* in crastino Sancti Jacobi Apostoli Anno domini millesimo Trecentesimo Nonagesimo tercio. Presentibus Spithcone Cracouiensi Iescone *liganza* lanciciensi Palatinis dobcone de *Cosczcicze* Dapifero michaele Subiudice, Cracouiensibus Prandotha Subiudice Sandomiriensi et Hinczca Vicethesaurario ac aliis multis nostris fidelibus fidedignis.

CLXXX.

Tineciae — 29 Septembris 1394 anno.

Mscislaus Abbas Tinecensis certas villas et haereditates a monasterio alienatas rursus emit et monasterio adjungit, Michaeli Pusznik vero vendit Skauinensem advocatiam (1).

In nomine Domini Amen. Humanis rebus saepe caligo oblivionis et scrupulus calumniae novercantur, nisi scripto testium et scripti testimonio perenne recipiant firmamentum. Et proinde nos Mscislaus miseratione Divina Abbas, Paulus Prior, Joannes Praepositus, Stanislaus Custos, Matthias Claviger, Joannes Procurator, Joannes Cantor, Nicolaus Confessor totusque Conventus Monastery Tyniecensis Ordinis S. Benedicti Cracoviensis Dioeceseos notum facimus quibus expedit universis praesentium notitiam habituris. Quod nos volentes profectum et utilitatem Monastery nostri ordinare, in villis nostris et haereditate dicti Monastery nostri, videlicet *Kargów, Damborzyn* et Scultetia in *Zborovice* per Praedecessores nostros in obligatione diversarum summarum pecuniae alienatas, ipsasque exemere et Monasterio nostro e converso adiungere, Trecentas marcas grossorum latorum Pragensium, Quadraginta octo grossos pro qualibet marca computando recepimus apud Honestum Virum Michaelem de Rerich dictum *Pusznik,* pro quibus quidem Trecentis marcis grossorum exemimus

(1) Tabulam hanc in apographo communicavit nobiscum Josephus Łepkowski.

praedictas haereditates *Kargow, Damborzyn* et Scultetiam in *Zborovice,* eximimus et appropriamus Monasterio nostro praelibato, et pro eisdem quoque Trecentis Marcis dicto Michaeli *Pusznik* vendidimus Advocatiam nostram in Civitate nostra *Skavina* adiungentes et appropriantes eidem Advocatiae Jura et bona infrascripta, videlicet Castrum nostrum cum institis cameris, Banicis institorum, pistorum, carnificum, pellificum, pannitecis pannicidarum, Balneum, Molendinum in eadem Civitate sita et extra Civitatem aliud molendinum penes viam Tyniecensem, duos mansos, duo prata, unum dictum *Vsczu* (?) inter fluvios *Vislam* et *Skavinam* inter Locum dictum *Rdzawe* et aliud dictum *Dąbrowa* tendens ad fossata granitierum, hortum retro Castrum penes viam Oswencimensem, insulam cum Rubetis inter fluvium *Skavinam* et *Rippam* molendini, duas piscinas circa Castrum, et tertiam ante valvam Radzieszoviensem praedictae Civitatis, fluvium totum *Skavina* cum utraque rippa, a metis haereditatis *Radzieszow* usque ad piscinam villae *Szynbark,* et eandem piscinam, taliter quod nos Abbas et nostri Successores uti ea poterimus, et perfodere eandem pro piscibus capiendis, quoties fuerit necesse; in quo quidem fluvio Advocatus qui fuerit pro tempore, opera et operarios locare poterit, quantumcunque possit, et sibi fuerit necesse; etiam si dictum molendinum in Civitate praedicta corrueret, aliud ipse Advocatus poterit locare extra Civitatem in praedicto fluvio, in suis vel alias per eum comparandis bonis. Nos autem Abbas et Conventus ac nostri Successores et quicunque alter aliud balneum vel molendinum in Civitate praedicta vel extra locare, contra Advocati, qui pro tempore fuerit, balneum et molendina non habebimus nec habebunt. Cives vero et Suburbani dictae Civitatis non alibi molere poterint, nisi in molendinis Advocati supradicti, brasea et frumenta legumina quaecunque. Ratione autem decimae de dictis duobus mansis per fertonem solvere debebit, cui de Jure est solvenda, et de Censu dicta Advocatia et Advocatus praedictus sextum denarium et ipse Abbas quinque denarios omnium proventuum ibidem habebunt; Judicialium autem obventionum Advocatia tertium denarium et idem Abbas duos denarios obtinebunt. Et cum generalis expeditio Regnicolarum et aliorum fuerit Terrigena-

rum, Advocatus armigerum cum balista armatum super equo de sex marcis transmittere debebit, cum quo nobis Abbati et Successoribus nostris placebit, Advocatus autem qui pro tempore fuerit, Castrum praedictum Abbati et Conventui memoratis aperire ac ingressum in idem ac mansionem pro tempore necessario et cum opus fuerit, dare in eodem est adstrictus; habebit autem Advocatus praedictus omnimodam facultatem iudicandi Cives et Suburbanos Civitatis praedictae in omnibus causis tam magnis quam parvis: capitis, sanguinis, mutilationis et in alys quibuscunque, et coram eo ita magnus sicut parvus tenebitur respondere, iustitiam pati et recipere iustitiae complementum, Advocatus autem non alibi nisi coram nobis et successoribus nostris seu Judicio Claustri Tyniciensis obligatur respondere et Juri parere. Cum quibus quidem bonis et Juribus Advocatiam praedictam memorato Michaeli conferimus et iusto titulo venditionis resignamus et assignamus per eum et per ipsius legitimos Successores habendam, tenendam, possidendam utifruendam, donandam, vendendam, commutandam non alteri autem personae nisi in quam nos aut nostri Successores consenserint et apposuerint consensum pariter et assensum. In quorum omnium testimonium et evidentiam pleniorem praesentes scribi et nostrorum sigillorum Abbatis et Conventus appensione fecimus communiri. Actum et Datum in Monasterio nostro Tyniciensi praefato, ipso die B. Michaelis Archangeli gloriosi. Anno Domini M. CCC. XC. IV. Praesentibus nobilibus viris: Sulkone Milite de *Gora* Judice, Sbigneo de *Stadniki* Burgrabio Castri Cracoviensis, Andrea de *Sprowa,* Novogio de *Lankawa,* Jacobo de *Boturzyn,* Gregorio de *Morawicza* haeredibus et quam pluribus alys testibus fide dignis et per Magnificum Nicolaum de Vislicia Civem et Sindicum Cracoviensem ac monastery nostri praelibasi procuratorem et Tutorem.

CLXXXI.

Niepolomiciis — 11 Februarii 1396 anno.

Vladislaus Jagello rex Poloniae omnes homines in villis monasterii Staniątcensis locatis et locandis immunes a solutionibus reddit (¹).

Wladislaus dei gracia Rex Polonie Lithuanieque Princeps Supremus et Heres Russie etc. Significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis, Quod volentes bona Monasterij nostri in *Stanantki* quantum cum deo possumus ad vsus reducere meliores, omnibus hominibus in vniuersis et singulis villis dicti Monasterij *Stanantki* in agris dudum desertatis nuper locatis et locandis a die date presencium ab omnibus solucionibus donacionibus exaccionibus contribucionibus et laboribus vniuersis damus et conferimus plenam et omnimodam libertatem tenore presencium mediante, Tamdiu, quamdiu prepositus eiusdem Monasterij aut quiuis alius eiusdem Prepositi et dicti Monasterij nomine eandem libertatem obseruabit Harum quibus Sigillum nostrum appensum est testimonio literarum. Datum in *Nepolomicze* feria sexta ante diem dominicum Esto mihi Anno domini M. CCCLXXXX sexto.

(¹) Sławiński ex archetypo membranaceo Staniątciis asservato, tabulam hanc descripsit. Sigillum minus, taeniola pargamena. In sigillo scutum effictum in quatuor partes divisum et in illis, aquila Polonorum, miles insidens equo (insigne Lithuaniae), caput bisontis et denique animal biforme dimidiatum aquilae et leonis, videntur. In ambitu verba: „*Wladislaus dei gra(cia) rex Polonie litwanie peps(princeps) supremus her(es) rus(sie)*.

CLXXXII.

Cracoviae — die 9 Augusti 1396 anno.

Hedvigis regina puellae suae curiensi de *Wanszwoia* conjugi Stanislai Gamrath 150 marcas grossorum pragensium dotis in villa *Troiencza* inscribit (1).

Hedvigis Regina Polonie. Quod consideratis fidelibus obsequiis nobis per formosam de *Wanszwoia* coniugem videlicet Stanislai *Gamrath* alias puelam nostram curiensem studiose exhibitis, et in posterum exhibendis, et non minus venustis et virtuosis eius conversatione et moribus in nostro conspectu placide acceptis solicite attentis eidem formosae horum consideratione gratiam volentes facere specialem. sibi centum quinquaginta marcas grossorum Pragensium numeri Polonicalis consueti XL octo grossos in marcam quamlibet computando, in et super villa nostra *Trcziencza* in districtu Biecensi sitta, ratione dotis donauimus assignauimus ac damus et assignamus per praesentes. hoc modo, quod ipsa formosa et haeredes sui successoresque legitimi eandem villam *Trcziencza,* cum omnibus ipsius et singulis censibus etc. tenebunt possidebunt etc. tamdiu quousque ipsi formose vel suis per nos vel nostros posteros summa praefata fuerit persoluta integraliter ex toto qua soluta possessio villae ad nos debebit redire ac reverti pleno iure. *Cracoviae* in vigilia sancti Laurentij Martyris gloriosi 1396. Per dominam Reginam.

(1) Tabulam hanc Muczkowski descripsit ex libris „Metryki koronne" dictis (vol. 98, pag. 56), ubi in transumpto regis Sigismundi Augusti invenitur, sub die 3 Januarii 1564 a.

CLXXXIII.

In Bythom — 21 Octobris 1397 anno.

Territoria *Lubliniecz*, Rosemberg sive *Olesmo* et *Gonzow* Premislao duci Cieszynensi et Boleslao ac Premislao filiis ejusdem oppignorantur a Spitkone de *Mielsztyn* (¹).

Nos Przemislaus et Bolko Przemislaus que nati eiusdem theschynenses dei gracia duces, domini et heredes. Notum facimus uniuersis, quibus expedit, ad quorum noticiam presentes nostre litere fuerint deuolute. Quod a valido milite spitkone de *Molsten* palatino cracowiensi, districtus ipsius videlicet lyblynensem, rozembergensem et gorzowiensem una cum fortalicijs et opidis *Lublynecz* et *Rozemberg* alias *Oleszno* cum omnibus et singulis attinencijs, pertinencijs et appendijs uniuersis ad districtus fortalicia et opida spectantibus predicta, exceptis dumptaxat (sic) duabus villis et hereditatibus videlicet *Bernow* et *Koszczin,* quas pro se et suis heredibus idem dictus Spitko cum omni iure et dominio reseruauit, in mille marcis grossorum pragensium numeri consueti polonici, quadraginta octo grossos marca pro qualibet computando accepimus, nobis obligatorio nomine assignata, sub modis et condicionibus infrascriptis. Quod in racione predictorum districtuum, fortaliciorum et opidorum cum prefato domino

(¹) Ex originali Archivi Regni N°. 808, descripserunt Muczkowski et Leo Rzyszczewski.

Omnia memorata in hac tabula oppida et fortalitia in antiqua Silesia inveniuntur; *Lubliniec* et *Oleszna* in Borussorum hodie sunt regno, *Czeladź* vero et *Siewierz* in Polonorum. Urbem *Siewierz*, episcopus Cracoviensis Sbigneus Oleśnicki, sanctae romanae ecclesiae cardinalis, Casimiro Jagiellonide regnante, a ducibus Silesiae emit: *Siewierz* itaque et *Czeladź* in Cracoviensi olim provincia erant hodieque in illa sunt. Urbes Borussorum memoratae his locis in confinio Poloniae inveniuntur in provincia Opoliensi.

Sigilla sunt tria taeniolis pargamenis appensa. Primum de cera vulgari exhibet insigne Silesiae id est aquilam cum alis expansis et cum verbis in ambitu: S. PRSEMISLAJ DUCIS THESINIENSIS. Secundum de cera etiam, sed viridis coloris, cujus verba penitus deleta. Tertium vero minus de cera viridi cum aquila silesiensi et cum verbis in ambitu: S. WOLKONIS DUCIS D. TESSVN.

Spitkone aut ipsius heredibus forum empcionis perpetuė facere non poterimus ac inire, extunc quandocumque idem dominus Spitko aut heredes eius nobis aut successoribus nostris legittimis mille marcas monete et numeri pretactorum in *Czeladz,* aut in *Szewor* reposuerit, prefatos districtus, fortalicia que et opida cum omnibus et singulis attinencijs, pertinencijs et appendijs uniuersis ad prelibatos districtus, fortalicia et opida spectantibus, memorato domino Spitkoni, aut heredibus et successoribus ipsius legittimis resignare nos astringimus et pollicemur. Sub puritate nostre fidei et honoris, occasione, dolo, excusacione, dilacione et articulis quibuslibet procul motis. Ad quarum quidem mille marcarum portacionem et reposicionem in *Czeladz* aut in *Sewor* treugas pacis Christi fidelium et saluum conductum eidem domino Spitkoni et portitoribus earumdem nostro, et nostrorum hominum quorumlibet, cuiuscumque status, gradus, condicionis et preeminencie existant, nominibus, damus, prebemus, conferimus et largimur. Si vero districtus, fortalicia et opida resignare domino Spitkoni aut heredibus ipsius distulerimus, tunc quilibet nostrorum (sic) suprascriptorum principum tenetur duos nobiles et militales personas quamlibet cum tribus equis Cracowiam ad unum consuetum hospicium destinare, ubi a predicto domino Spitkone aut suis successoribus fuerint demonstrati. Ibique tam diu iacere, nec iude sub fide et honore exire, quousque domino Spitkoni et suis successoribus, predicti districtus lublynensis et rozembergensis et fortaliciorum et oppidorum plenaria facta fuerit restitucio. Si uero, quod absit, predictorum nobilium aliquem mori contingerit, extunc nos suprascripti principes tenemur unum alium similem sibi loco eiusdem infra spacium XIIII^or dierum ad predictum hospicium cum tribus equis destinare. Si uero restitucio predictorum districtuum, fortaliciorum et opidorum infra spacium XIIII dierum post ingressum ad hospicium predictorum nobilium facta non fuerit, ex tunc dominus Spitko et sui successores legittimi debent et possunt nos suprascriptos principes, prout ipsis competens uidebitur, secundum tenorem nostrarum literarum amouere, et nos prefati principes in nullo debemus eis se opponere et contrariari. In cuius rei testimonium nostra sigilla presentibus sunt sub appensa.

Actum et datum in *Bythom* in die undecim milia uirginum. Anno domini M° CCC° nonagesimo septimo.

CLXXXIV.

Szabno — mense Novembri, 1399 anno.

Vladislaus Jagello rex Poloniae civibus Biecensibus suburbanos incolas ejusdem Civitatis subjicit ([1]).

Wladislaus Rex Poloniae etc. Significamus etc. Quod ob constantis fidelitatis merita, et clare puritatis constantiam, quibus Cives et incolae nostrae Civitatis Biecensis coram nostrae Maiestatis praesentia plurimum placuerunt, et in posterum aucto fidelitatis studio praestantius ad serviendum nobis fideliter se reddere possint (sic) promptiores, Horum intuitu cupientes eorum inopiae subvenire, et eos specialis gratiae praerogativa praevenire, volentesque ex eo conditionem praedictae nostrae Civitatis *Biecz* fieri meliorem, ipsis damus, concedimus praesentibus, et donamus in et super omnibus et singulis incolis et suburbanis in praedictae nostrae Civitatis *Biecz* ([2]) generaliter Suburbio cohabitantibus plenam et omnimodam facultatem, ita quod praedicti incolae et suburbani, suburbij Civitatis nostrae *Biecz,* ad requisitionem et mandatum praedictorum Civium sub eorum existentes tuitione pro armis et armorum dictae nostrae Civitatis *Biecz* defectibus reformandis laborare, et labores facere totiens quotiens opportunum fuerit, sunt astricti, censu et iuribus nostris Regalibus duntaxat exceptis. Quem quidem censum in predictis suburbanis more solito exactum pro nobis et nostri Thesaurj utilitate, annis singulis volumus reservare. Vobis igitur omnibus et singulis suburbanis

([1]) Ex confirmatione privilegii per regem Sigismundum Augustum die 21 Martii 1564 a. data, Muczkowski descripsit. Confirmatio vero in transumpto invenitur ejusdem regis in libris Tabularii Regni publici „Metryki koronne," dictis vol. 98, pag. 135.

([2]) *Biecz* urbs, sue regionis olim caput, castellani minoris sedes, nunc in Gallicia.

Civitatis nostrae *Biecz* suburbij huiusmodi damus firmis nostris Regalibus in mandatis, quatenus praedictis Civibus et Consulibus de laboribus et obedientia respondere debeatis. Juribus et censu nostris Regalibus semper salvis. Datum in *Szabno* in vigilia Sancti Martini confessoris anno domini 1399, praesentibus tantummodo ad nostrae voluntatis beneplacitum valituris. Ad relacionem d. Nicolai de *Curowo* Episcopi Wladislaviensis.

CLXXXV.

Cracoviae — 26 Novembris 1400 anno.

Fido de *Wyvola* domino Petro Szafraniec villam *Wslecza* cum area in *Zakrzow* vendidit (1).

Johannes de *Thanczin* Castellanus Cracouiensis, Significamus quibus expedit Vniuersis tam presentibus quam futuris presencium noticiam habituris. Quod constitutus coram nobis et tunc nobiscum consistentibus. Nobilis Vir dominus Fido heres de *Wywla* (2) sanus mente existens et corpore non compulsus nec coactus neque aliquo dolo astucie Circumuentus sed de ipsius bona et spontanea voluntate vsusque supereo suorum consiliis amicorum Villam suam dictam *Wslecza* et cum Area in villa *Zacrzow* (3) sibi adiacente ipsum hereditarie spectantes cum omnibus et singulis predicte ville *Wslecza* et cum area in *Zacrzow* sita vtilitatibus fructibus et redditibus vniuersis scilicet campis Agris Pascuis Predijs Allodijs kmethonibus Thabernis Ortulanis Siluis Nemoribus Mericis Borris gaijs rubetis virgultis Pratis Piscinis Lacubus Paludibus Fluuijs Riuulis fontibus aquis et earum decursibus et generaliter cum omnibus fructibus quibuscunque Nominibus woci-

(1) Ex archetypo descriptum.

(2) Est hodie villa *Wywla* territorii Kielcensis, regionis Jędrzejoviensis, parochiae ad villam *Goleniowy* spectantis. *Wywola*, fortasse nostra *Wywla*?

(3) Multae sunt villae ejusdem nominis in Regno Poloniae moderno. Proxima villae *Wywla* dictae est *Zakrzow* Kielcensis regionis et territorii, parochiae Węgleszynensis.

tentur cum pleno Jure et toto dominio prout ipsam villam *Wslecza* cum Area in *Zacrzow* sita tenuit habuit hactenus et possedit Nihil Juris Proprietatis neque dominii in eadem villa *Wslecza* cum area in *Zacrzow* sita pro se ipso neque pro suis legitimis successoribus penitus reseruando. Strenuo viro domino Petro alias Schaffranecz heredi de *Pieszkowa-Skala* (1) Subdapifero Cracouiensi pro ducentis quinquaginta marcis grossorum latorum Pragensium numeri Polonici nunc consueti scilicet quadraginta octo grossos marcam in quamlibet computando fassus est et palam retulit vendidisse ipsamque villam *Wslecza* cum Area in *Zacrzow* sita Justo et vero vendicionis et resignacionis titulo in perpetuum resignavit per ipsum dominum Petrum et suos legitimos successores tenendam habendam vtifruendam possidendam vendendam donandam obligandam ac in vsus suos et suorum legitimorum successorum secundum beneplacitum suum conuertendam prout sibi et suis legitimis successoribus supraindicta (sic) villa *Wslecza* et cum Area in *Zacrzow* sita commodius et vtilius videbitur expedire promittens eciam predicto domino Petro Subdapifero Cracouiensi alias Szafranczoui et suis sequatibus (?) pro omni dampno et quolibet notorio impedimento hinc infra spacium trium annorum sese continue sequencium ipsum et eius successores legitimos ab omnibus infestacionibus racione ville *Wslecza* et cum Arca in *Zacrzow* sita proxime dicta intercedendo releuare tociens quociens (sic) opportunum eidem domino Petro dicto Szafranecz Subdapifero Cracouiensi ac suis legitimis successoribus fuerit et necesse. In cuius rei testimonium Sigillum nostrum Presentibus est appensum datum Cracouie feria quarta infra Octauas Sancte Catherine virginis Anno domini millesimo CCCC pre-

(1) *Pieskowa Skala*, villa olim Cracoviensis provinciae. Petrus Szafraniec junior de *Pieskowa Skala*, aut Petrus de *Łuczyc* (1421, videas „Dodatek tygodniowy" 1852, N° 21) subcamerarius jam cracoviensis fuit a. 1410, in bello contra Crucigeros in Prussia a Polonis et Lithuanis gesto, et hoc tempore generalis exercituum dux a rege Vladislao nominatus. Conf. Wapowscii Annales, vernacula lingua nuper Vilnae editos T. II, p. 281. Fuit etiam capitaneus lanciciensis. De illo legas in Codice nostro sub multis annis tabulas jam typis exaratas, et Lucae Gołębiowscii „Panowanie Jagiellonów," et Łabęcei „Górnictwo w Polsce" T. II, pag. 124. Frater ejus natu major, Petrus etiam, palatinus Cracoviensis, mortuus a. 1348.

sentibus hijs testibus Strenuis ac Nobilibus viris dominis Żegotha de *Pissary* ([5]) Vexillifero Cracouiensi Chebda de *Tropij* Spithcone de *Szedlecz* zaclica de *Thocholow* Zauissio de *Wirzchomska* nicolao de *Rzeplin* et alijs quampluribus fidedignis.

([5]) *Pisary* villa Sandomiriensis hodie regionis (parochia *Sobutka).*

CLXXXVI.

Sandeciae — die 25 Aprilis 1403 anno.

Declaratio ultimae voluntatis Joannis Culer dicti, civis Sandecensis, coram advocato et scabinis ([1]).

Nos Nicolaus Trewal advocatus sandecen Nowe (sic), Petrus gernugi, iohannes Bovensceter, nicolaus pistor et harnulh et myco lanifices, iohannes frakugy scabini, notum volumus esse quibus expedit universis: Quod ad nostram accedens presenciam, Judicio in Bannito, providus vir Johannes culer, sanus compsque (sic) racione, mortem pocius volens prevenire quam precavere (?), et post sui obitum singula bona sua mobilia et immobilia cum utensilibus domus, nil excepto virtuose domine Aluschie sue legitime conthorali pro utilitate sua, dimittenda et facienda resignavit; ipsa vero Domina Aluschia constanter (?) sibi resignacionem fecit viceversa, sed post obitum utriusque ipsorum, Domini consules protunc sandecenses potentes esse debent de bonis eorum manentibus centum marcas cum quinquaginta marcis stanislao filio filie eorum Katherine, si ad annos pervenerit discrecionis et frui poterit, vel prolem habuerit cum domo eorum plenarie dare et presentare; sin autem Stanislaus iam dictus moreretur antequam ad annos pervenerit discrecionis et prolem non generaret, extunc quinquaginta marcas Curie (?) sancte Margarethe et quinquaginta marcas claustro Beate virginis, nec non quinquaginta marcas predictarum hospitali centum cum quinquaginta marcis dari fecit et

([1]) Archetypon urbis *Nowy Sącz* dictae proprium, descripsit Łepkowski.

assignavit. Residua vero bona remanencia in domo prehabita ad proximos, virorumque eorum amicos divolvi debebunt, secundum equam divisionem ultimo; si vero longus paulus pater stanislai prenominati se vellet de nominatis centum marcis cum quinquaginta marcis antequam ad annos devenerit, intromittere, extunc consules prehabiti consentire non tenentur. In cuius rei evidenciam nostri scabinatus sigillum duximus appendendum. Datum quarta feria post dominicam: *Quasi modo geniti.* Anno millesimo quadringentesimo tercio. Si vero longus Paulus sufficientem cautionem posuerit, extunc Domini consules dictas centum marcas cum quinquaginta paulo dare tenebuntur, omni absque contradictione.

CLXXXVII.

Cracoviae—4 Octobris 1403 anno.

Nicolaus de *Jodlownik*, dimidiam partem desertae suae piscinae, inter *Jodlownik* et *Dobrogniew* jacentis, idque super fluvio *Potok*, Conventui Ciriciensi donat (¹).

Nos Michael judex et Dobeslaus subiudex terre Cracoviensis generales, notum facimus quibus expedit, universis presentibus et futuris, presencium noticiam habituris: Quod accedens ad nostram, nostrorumque assessorum presenciam, nobilis vir Nicolaus Heres de *Jodlownikij*, sanus mente, prout et corpore existens, non compulsus nec coactus, sed de bona voluntate sua jugiter prehabita, medietatem piscine sue deserte totius, super flumine *Potok*, inter *Jodlownikij* et inter *Dobrognew* jacentem, cum ipsius medietatis piscine omnibus: jure, utilitate, dominio, aggere et fossatis; nihil pro se juris vel utilitatis in eadem medietate piscine reservando, pro viginti marcis pecunie communis, numeri polonicalis consueti, venerabili domino Nicolao Abbati, totique conventui monasterii de *Czyrzycz* et ipsorum successoribus

(¹) Ex archetypo in Tabulario quodam, in Gallicia, asservato descripsit tabulam et nobiscum communicavit Josephus Łepkowski.

legitimis, in totum vendidit, et in perpetuum coram nobis judicialiter resignavit; promittens pro omni impedimento atque dampno juxta jus terrestre ubilibet eisdem stare de premissis, per ipsos dominum Abbatem et Conventum premissa perpetualiter tenenda, habenda, utifruenda, possidenda et in usus ipsorum beneplacitos convertenda; ita tamen, quia ibidem dictus dominus Abbas et Conventus, dictam medietatem piscine predicte habet sublevare et sibi obtinere quam ei melius videbitur, et cum rubetis ac arboribus de sluis (?) ibidem aggerem reformabunt; et ipse Nicolaus venditor in nullo eisdem emptoribus nocere in premissis debebit. In cuius rei testimonium sigilla presentibus nostra sunt appensa. Actum et datum *Cracovie* in Colloquio generali, feria quarta proxima post diem sancti Michaelis. Anno domini Millesimo quadringentesimo tercio. Presentibus strenuis dominis Jaschcone de *Tharnow* palatino, Johanne de *Thanczyn* Cracoviensi Cristino Sandecensi, Imramo Zavichostiensi, Clemente Radomiensi et Clemente Czechoviensi Castellanis, pluribusque alijs fidedignis.

CLXXXVIIJ.

Miechoviae — 6 Novembris 1405 anno.

Complanatio inter Staniątcense et Miechoviense monasteria de Vistulae transitu (¹).

Nos Michael Prepositus, Nicolaus Custos, Johannes Thesaurarius, Wlodko Procurator, Johannes clauiger, Nicolaus et Jacobus Vicarij, Mathias Stanislaus Vngarus, Stanislaus, Nicolaus, Albertus, Henricus, necnon totus Conuentus Monasterij Mechouiensis. Recognoscimus publice. tenore presencium vniuersis, Quod licet olim bone

(¹) Ex archetypo membranaceo Staniątciis asservato descripsit Sławiński. Taeniola pargamena. Sigillum oblongum, in quo effigies Domini nostri Jesu Christi cum vexillo resurgentis, dextra manus sublata, apud pedes Ejus vero tres personae. In ambitu sigilli verba penitus deleta, legi tamen possunt: *S. Conventus...* Erat olim et alterum sigillum.

memorie venerabilis ac Religiosus vir dominus Czczikus antecessor noster cum Conuentu suo Monasterij Mechouiensis et venerabilis ac Religiosus vir frater Mathias prepositus cum suo Conuentu sororum Sanctimonialium Monasterij de *Stanantky* amicabiliter conuenientes, pro quodam meatu seu transitu fluuij Visle, qui circumdabat quondam Insulam seu siluam ad villam Monasterij nostri Mechouiensis, dictam *Msczanczino* pertinentem seque in longum versus villam dictam *Ygolomia* ([2]) extendentem, Cuius fluuij Visle, littus tunc ad villam nostram *Msczanczino* ex vna parte, ex alia vero ad villam *Tropiszow* Monasterij de *Stanantky,* pertinebat, pro vtilitate predictorum Monasteriorium nostri videlicet Mechouiensis et Monasterij de *Stanatky* (sic), talem ordinacionem inter se fecissent Quod idem anteçessor noster dominus Czczikus per partem dicte insule sue seu Silue nowm (sic) meatum seu transitum dicti fluuij Visla. faceret, vbi pronunc ipse fluuius Visla transit et defluit, et exantiquo (sic) meatu siue transitu dicti fluuij Visla lacus wlgariter *Neczecza* pro vtilitate predictorum Monasteriorum nostri videlicet Mechouiensis et Monasterij de *Stanantky* fieret, Ita tamen quod dicta Insula, seu silua, qué fuit est et erit inter antiquum et nowm meatum dicti fluuij Visla a prefato Monasterio nostro Mechouiensi inperpetuum alienari nullomodo deberet neque debet, racione cuius fossature seu permissionis (premissionis?) aque predicti fluuij Visle per iam dictam nostram Insulam seu Siluam, adiunctus est quidam lacus antiqus (sic) qui spectabat ad Monasterium de *Stanantky,* ad antedictum lacum wlgariter *Neczecza* dictum, tanquam de nouo factum, Ex quibus lacubus sic ut prefertur factis et insimul iunctiş, ambo Monașteria nostrum videlicet Mechouiense et Monasterium de *Stanantky* census siue piscaturas in simul quolibet anno percipere debebant et postmodum percipiebant, Sed quia ex dicta simultanea et communi percepcione censuum ex dictis lacubus prouenienciam per antecessores nostros facta et ordinata quamsepius fiebant lites et discordie inter ipsa Monasteria nostrum videlicet Me-

([2]) *Mszęcin*, villa in antiqua Cracoviensi provincia et Szczyrzycensi regione, hodie in Gallicia, parochiae Niepołomicensis. *Igołomia* villa, suae parochiae caput in Regno Poloniae moderno in regione Proszowicensi. *Mszęcin* et *Igołomia* sunt ad Vistulam.

chouiense et Monasterium de *Stanantky* super piscaturis et censibus ex antedictis lacubus prouenientibus, Quapropter nos Michael Prepositus cum Conuentu nostro Monasterij Mechouiensis ad sopiendas dictas lites et discordias pro bono pacis cum honorabili ac Religioso viro domino Derslao preposito et conuentu suo Monasterij de *Stanantky* antedictam ordinacionem per antecessores nostros sic ut premittitur factam pro percepcione vtilitatum ex dictis lacubus proueniencium anullantes (sic), amicabiliter ordinauimus et presentibus ordinamus, quod prefatos vtilitates ex prefatis lacubus prouenientes, ut premissum est factis et in simul iunctis interpolatim seu alternis vicibus debemus percipere et optinere (sic), Ita videlicet. quod idem prepositus Monasterij de *Stanantky* et succoessores sui vno anno omnes vtilitates ex predictis lacubus prouenientes siue in piscaturis siue in vendicione habebunt percipiendi liberam et omnimodam potestatem Similiter alio anno nos et successores nostri omnes vtilitates ex iam dictis lacubus prouenientes siue in piscaturis siue in vendicione habebimus percipiendi liberam et omnimodam potestatem. Et sic permutatim ipse vno anno, et nos alio prefatos lacus cum omnibus ipsorum vtilitatibus debemus perpetuo possidere. Prefatusque contractus seu ordinacio ut premissum est inter nos facta ab vtrisque Monasterijs nostro videlicet Mechouiensi et Monasterio de *Stanantky* debet inviolabiliter obseruari ac inperpetuum permanere. In Cuius rei testimonium nostrum nostrique Conuentus Sigilla presentibus sunt appensa Datum in Monasterio nostro Mechouiensi predicto feria sexta ipso die beati Leonardi confessoris gloriosi Anno domini M° CCCC° quinto presentibus hijs testibus venerabilibus ac Religiosis et Nobilibus viris dominis Johanne Abbate de *Mogila* alias de clara tumba Stogneo preposito de *Swerzinecz* Jascone de *Polanouicze* (3) Mathia de *Micluszouicze* (4) alias *Psztrosky* Venczeslao dicto *broda* de *Ulina* (5) et Johanne de *Rascow* (6) heredibus ac alijs quampluribus fidedignis.

(3) *Polanowice*, villa provinciae et regionis Cracoviensis, parochiae Goszycensis.
(4) *Mikluszowice*, villa regionis Czchowensis, parochiae Mikluszowicensis in Gallicia.
(5) *Ulina*, parochiae caput, villa in Xiążensi regione.
(6) *Raszkow*, villa Leloviensis regionis, parochiae ad *Słupia* spectantis.

CLXXXIX.

Szydloviae — die 2 Julii 1408 anno.

Marcissius advocatus in urbe *Polaniec*, advocatiam suam ibidem sitam, Nicolao subcamerario lanciciensi heredi de *Lubnica* obligat (1).

Nos Albertus de *Vamborcow* Judex et Nicolaus de *Strelche* Subiudex Terre Sandomiriensis generales testamur universis, quibus expedit presencium per tenorem. Quomodo Nobilis Marcissius alias de *Polanecz* (2) advocatus nostram nostrorumque assessorum presenciam personaliter accedens non compulsus, nec aliquo dolo seductus, sed sanus mente et corpore, omnem advocaciam suam Ibidem in *Polanecz* cum omni Jure et pleno dominio, prout ipsam solus tenuit et possedit, nec non cum omnibus, et singulis utilitatibus, Censibus, fructibus, redditibus, obuencionibus, ac attinencijs uniuersis, quibuscumque dicantur nominibus, que modo ibidem sunt et inposterum fieri possunt. Nichil pro se uel consagwineis suis in eadem penitus excludendo in centum Marcis mediorum grossorum et in Sexaginta ac Sex marcis quartalium parwlorum strennuo (sic) Militi domino Nicolao Subcamerario lanciciensi, nec non de *lubnicza* (3) heredi, suisque veris ac legittimis successoribus fassus est proposuisse et omnimode obligasse. Ita quod ipse dominus Nicolaus suis cum posteris, eandem advocaciam, ut prefertur, Tamdiu teneat, habeat et possideat, quousque sibi uel successoribus suis pecunia premissa iuxta Terre conswetudinem per aliquem propinquiorem integraliter fuerit persoluta. hoc eciam non obmisso, Si Idem dominus Nicolaus per quemuispiam modo aliquo pro eadem advocacia vel suis pertinencijs foret inpeditus (sic). Tunc idem Marcissius

(1) Ex originali apud Josephum Rusieccium de Codice nostro bene meritum asservato, Leo Rzyszczewski et Antonius Muczkowski descripserunt. Sigilla desunt.

(2) *Polaniec*, urbs in Sandomiriensi provincia, apud ipsam Vistulam, olim castellani minoris sedes.

(3) *Łubnica*, villa est regionis Zgierscensis in Masovia; parochia urbis *Piątek*.

ipsum et eius successores a qualibet persona Juris ordine merite debebit interuenire et indampnem (sic) reddere. Cum autem ipse secus fecerit, Extunc quodcumque dampnum Idem dominus Nicolaus. foret exinde assecutus, hec omnia dampna in ipsum Marcissium debebunt reddundare (sic). In cuius rei testimonium et meliorem euidenciam, nostra presentibus sigilla sunt appensa. Datum *Schidlouie* feria secunda proxima post octavam Sancti Johannis Baptiste, Anno domini Millesimo quadringentesimo octavo Presentibus hijs testibus Nobilibus viris et dominis Jaschone de *lubana,* Jaschone de *Czussow.* Paschone de *Thotussow,* henrico de ibidem, Stanislao de *Wirzbicza,* Prothslao de Ibidem heredibus et alijs quam plurimis fidedignis.

CXC.

Cracoviae, die 19 Augusti 1412 anno.

Vladislaus Jagello rex, urbi Novae Sandeciae Privilegium juris teutonici largitur (¹).

In nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Quia tunc multis errorum et dubiorum incommodis prudenter occurrimus, dum gesta etatis nostre literarum apicibus et testium annotatione perhennamus, Proinde Nos Vladislaus Dei gratia Rex Poloniae Lythuanieque Princeps Supremus et Heres Russie etc. Significamus tenore presencium quibus expedit universis presentibus et futuris, presencium noticiam habituris: Quod cupientes civitatis nostre *Novesandecz* (²) condicionem exnunc fieri meliorem, ejusque oppresionibus et

(¹) Ex archetypo in tabulario urbis Novae Sandeciae asservato, descripsit Łepkowski.

(²) Anno 1412. Vladislaus rex habuit Novae Sandeciae colloquium cum Semovito duce Masoviae et Sigismundo Coributo rege Bohemiae, cum ducibus Silesiae et legatis imperatoris Romanorum Sigismundi. *Nova Sandecia,* urbs Cracoviensis provinciae, hodie in Gallicia.

gravaminibus misericorditer subvenire; ut vero civitas predicta sub nostro felici regimine liberius respirare valeat et felicia recipere incrementa, ipsam civitatem nostram *Novasandecz*, prout in suis metis et graniciis, longe, late, circumferencialiterque ab antiquo est limitata et distincta, de Jure Polonico in Jus Theutonicum quot (sic) Maydburgense dicitur, transferimus perpetuo duraturum, removentes ibidem omnia Jura Polonicalia, modos et consuetudines universas, que ipsum Jus Theutonicum Maydburgense predictum plerumque consueverunt et sunt solita perturbare. Eximimus insuper, absolvimus et perpetuo liberamus Advocatos, Cives et quosvis ipsius civitatis *Novasandecz* incolas, et ad ipsam seu ad jurisdictionem ejus pertinentes, ab omni jurisdictione et potestate omnium Regni (nostri) Castellanorum, Capitaneorum, Judicum, Subjudicum et quorumvis Officialium et Ministerialium, ut coram ipsis vel ipsorum aliquo pro causis tam magnis quam parvis (puta) furti, sanguinis, homicidii, incendii, membrorum mutilationis, et quibusvis alijs enormibus excessibus citati, minime respondebunt (sic), nec aliquas poenas solvere tenebuntur (sic), Sed tantum Cives et Incole predicte civitatis *Novasandecz* coram suis Advocatis pro tempore existentibus, Advocati vero coram nobis aut nostro generali colloquio, dum tamen per literam nostram, nostro sigillo sigillatam fuerint evocati et citati, tunc non aliter quam suo jure Theutonico Maydburgensi predicto, de se querulantibus tenebuntur respondere. In causis vero criminalibus et capitalibus superius expressatis Advocatis predictis in metis et graniciis dicte Civitatis *Novasandecz* judicandi, sentenciandi, corrigendi, puniendi, plectendi et condempnandi, plenam damus et omnimodam tenore presentium concedimus facultatem; prout hoc ipsum Jus Theutonicum in omnibus suis punctis, articulis, sentenciis, condicionibus et clausulis postulat et requirit; Juribus tamen nostris Regalibus omnibus semper salvis. Harum, quibus sigillum nostrum appensum est testimonio literarum Actum *Cracovie* feria quinta intra Octavas Assumptionis Sanctae Mariae Virginis gloriose. Anno Domini Millesimo quadringentesimo duodecimo. Praesentibus Reverendis in Christo Patribus Dominis: Nicolao Archiepiscopo Gnesnensi, Alberto Episcopo Posnaniensi et

ceteris. Necnon Validis Strenuisque viris: Cristino de *Ostrow* Castellano Cracoviensi, Joanne de *Tarnow* Crac. Nicolao de *Michalow* Sandomirien. Joanne Liganza Lancicien. et Jacobo de *Conieczpole* Syradiensi Palatinis, multisque alijs nostris fidelibus fidedignis. Datum per manus Reverendi in Christo Patris Domini Nicolai Sancte Gnesnensis Ecclesie Archiepiscopi, nobis sincere dilecti.

Ad relationem ejusdem domini Nicolai Archiepiscopi Gnezn.

CXCI.

Siradiae — die 2 Aprilis 1414 anno.

Vladislaus Rex fratribus Monasterii S. Mariae in Częstochowa ordinis Sancti Pauli eremitae, villam *Kaleja* dictam in districtu *Krzepicensi* sitam donat (1).

In nomine domini Amen. etc. Proinde nos Wladislaus Rex Poloniae etc. Quia specialis zelo deuotionis accensi, Cupientes diem extremi iudicii pietatis operibus praevenire, et praesertim videntes hos consulte agere, et negociari salubriter, qui ex devota liberalitate pro terrenis coelestia, et pro transitoriis perpetua studuerunt comparare, et praecipue attendentes quod inter caetera quae de fonte charitatis procedunt, eleemosina celebrius commendatur, solenníoribus commendata praeconijs praecellere dinoscitur, quilibet (sic) gratiarum opera. Haec enim est ineffabilis suffragatrix, quae nos abluit a peccatis et gratiam nobis restituit saluatoris unde divinae retributionis intuitu volentes, ut fratres monasterij sanctae Mariae in *Czanstochowa* ordinis sancti Pauli primi Heremitae sub regula sancti Augustini liberius *Deo deorum* obsequi et orationibus ac divino cultui vacare po-

(1) Tabula a Muczkowscio descripta ex confirmatione privilegii regis Sigismundi Augusti die 11 martii 1564 (Metryka kor. vol. 98 pag. 112). Conf. Balinscii „Pielgrzymka do Częstochowy" pag. 226.

tuerint et conditoris nostri clemenciam pro nobis et praedecessoribus nostris Regibus Poloniae suppliciter exorare, Ipsis et eorum monasterio et conventus villam nostram *Cakie* (²) in terra Cracoviensi et districtu Krzepicensi (³) sitam, cum omnibus ipsius pertinentiis, fructibus, utilitatibus, censibus, proventibus, reditibus, agris, pratis, campis etc. nec non cum appendiis et coherentiis ipsius universis, prout in suis metis, graniciebus, longe lateque circumferencialiter est limitata et distincta de innata celsitudini nostrae pietate, bonitate, ac clementia et munificentia speciali damus, donamus, adiungimus, incorporamus, appropriamus et annectimus perpetue et in evum, per eosdem fratres monasterij et Conventus praedicti tenendam, habendam, utifruendam et pacifice possidendam temporibus perpetue duraturis. Illo tamen addito specialiter et expresso, quod fratres praedicti qualibet die, quamdiu monasterium ipsorum praedictum perstiterit pro nobis et domina Anna Regina consorte nostra ac Illustris Hedvigis recolendae memoriae olim Reginae Poloniae consortis nostrae et praedecessorum nostrorum Regum Poloniae animarum salute unam missam cum devotione debita per aliquem fratrem idoneum peragere tenebuntur et complere. Actum *Siradiae* feria secunda post dominicam Ramis palmarum 1414. Ad relationem Dunin R. P. Vicecancellarii.

(²) Hodie *Kaleja*, villa regionis Częstochowiensis, in territorio Wieluniensi (parochia urbis *Kłobucko*).

(³) *Krzepice* ad fluvium *Liczwartam*, villa olim regionis Lelowiensis, hodie urbs regionis Wieluniensis.

CXCII.

Polaniec—die 9 Octobris 1415 anno.

Woyczecha consors Nicolai dicti Pythel ciuis Polaneçensis molendinum in urbe Polanecz Petro dicto Sedlik vendit (¹).

In nomine domini Amen. Quoniam humana fragilitas non sufficit omnia memoriter retinere, et merito necesse est, ut ea, que ab hominibus notanda geruntur, capitalibus literarum confirmantur. Proinde Nos Johannes de *Sprowa* Capitaneus Sandomiriensis nec non Marcus Viceaduocatus Polanecensis una cum Consulibus Miklone (sic) et Czampiska Nicolao de ibidem, nec non Scabinis Laurencio kolano, paulo padurcza, Bartcone pyączkone, Stanislao dzadcone, Bogussio Obarzancone, Venceslao Smotanicz, et Andrea Swarnone Polanecensium, uniuersorum tam presencium quam futurorum noticie protestamur. Quomodo veniens ad nostram presenciam honesta mulier Woijczecha consors Nicolai dicti Pijthel, conciuis Polanecensis, una cum pueris ipsius filie Anne vulgariter se *wnucząthij* heredibus molendini polanecensis scilicet Nicolao, Mathia, Clemente Jacobo, Margareta, Soror (sic), Johanne et Stanislao, et Amite eorum videlicet Pechna, et Anna de *Wola* dicta *pliska,* sani mente simul et corpore, coram nobis ac assessoribus nostris in Judicio Bannito manifeste recongnouerunt (sic) non compulsi, nec coacti, sed animo deliberato, iuxta consilium suorum amicorum molendinum situm in *Polanecz*, Petro dicto Sedlik, suisque successoribus legitimis, pro centum marcis et duodecim marcis mediorum grossorum vendiderunt, ac rite ac racionabiliter resignauerunt, scilicet cum pratis, agris, orto, et cum omni Jure et dominio, prout soli ab antiquo tenuerunt. Ceterum nullus audeat aliud molendinum in metis seu granicijs polanecensibus edificare seu con-

(¹) Muczkowski descripsit ex tabula authentica pargamena Josephi Rusieccii propria. Duo sigilla olim erant, hodie desunt.

struere scilicet in fluuio *Cerna* et super *Smerdząchew*, preter supradictum Petrum et ipsius posteros legitimos (Nos vero prenominatus Johannes de *Sprowa*, Capitaneus Sandomiriensis, Petrum molendinatorem cum suis successoribus legitimis, per diffinitiuas sentencias, nostrorum Scabinorum polaneciensium, verum ac legitimum constituimus successorem ac heredem, cum suis posteris natis ac nascendis, perpetualiter habere, vendere, donare, commutare, secundum quod ipsis melius et utilius videbitur expedire. In cuius rej testimonium et meliorem euidenciam Sigillum nostrum et sigillum predicti opidi *polanecz* sunt appensa. Actum et datum in *Polanecz* proxima feria tercia post festum Sancti francisci Sub anno domini Millesimo quadringentesimo decimo quinto Coram testibus prenominatis et aliis quam plurimis fide dignis.

CXCIII.

In Nova Civitate Korczyn dicta—die 12 Martij 1417 anno.

Confirmatio regis Poloniae Vladislai Jagellonis certi privilegii a *Michaele* de *Chmielow* dati, quod in transumpto sequitur.

In nomine domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam Quia tunc multis errorum et dubiorum occurrimus dispendijs dum gesta etatis nostre litterarum apicibus et Testium fidedigna annotacione perhennamus Proinde Nos Wladislaus dei gracia Rex Polonie Necnon Terrarum Cracouie Sandomirie Siradie Lancicie Cuyawie Princeps Supremus Litthwanie Pomeranie Russieque dominus et heres Significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis tam presentibus quam futuris presencium noticiam habituris Quomodo oblata nobis proparte Magnifici Michaelis de *Chmeelyow* Castellani Sandomiriensis ([1]) nostri

([1]) Ap. Niesieccium „Korona polska", Michael hic de *Chmielow* haeres est villae *Bogumilovice* dictae et habet insigne apud nostros *Pulkozic* appellatum.

fidelis nobis sincere dilecti peticio continebat quatenus litteras suas datas nobili fideli nostro dilecto Petro Scolteto de ***Wyerczany*** (²) super noua locatione in Jure Theutunico ville *Budischow* et Scoltecie in eodem vendicione per eum in bonis Castellanie sue prope Opidum nostrum *Robschicze* (³) factis ratificare approbare et confirmare dignaremur Quarum litterarum tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis.

In villa Iwerzyce — die 1 *Januarii* 1417 *anno.*

Muchael de *Chmielow*, castellanus Sandomiriensis, Petro sculteto de *Wierczany*, villam *Budsiszow* jure teutonico in bonis castellaniae suae locandam, permittit (⁴).

In nomine domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam Vniuersa negocia que fiunt aput (sic) homines ne lapsu temporis euanescant solent litterarum annotacione necnon earum testimonio veridico perhennari seu comuniri Proinde nos Michael de *Chmyelow* Castellanus Sandomiriensis volentes eiusdem Castellaneatus vtilitates per exstirpacionem silue *Budzischow* ad villam *Wyerczany* pertinentis ad meliorem educere condicionem Nobili vero Petro Scolteto de *Wyeczany* et suis heredibus Successoribusque legittimis vendidimus dedimus et presentibus assignamus in fluuio dicto *Bistrzicza* ad locandam villam nouam cuius granicie et meta incipit a querco vulgariter *Rosachati damb* in fine ville *Wyeczany* nominate sito superius localiter procedendo vsque ad ortum fluuij et ab ortu fluuij per siluam *Budzischow* iam dictam vsque ad limites seu partes ville *Zarzicze* cum granicjs ville prefate *Wyerczany* vulgariter dlye (sic) parte ex utraque pro Quinquaginta Marcis monete in Regno Polonie currentis

(²) Unam villam similis nominis *Wierciany*, invenimus in antiquo Pilzniensi territorio, in parochia vero villae *Nockowa* (1670), nunc in Gallicia. In tabula Michaelis saepe character r in nomine villae omittitur; et hanc ab causam legimus pro *Wyerczany*, *Wyeczany*; vide infra.

(³) *Robczyce*, oppidum sandomiriensis olim provinciae, nunc in Gallicia.

(⁴) Ex archetypo pargameno, (quod ubi sit, nescimus), descripsit Sławiński. Sigillum deest, sed majus erat; taeniola tantum serica nigri et albi coloris nunc apparet.

numeri et ponderis polonicalis, vt autem ex predicte silue exstirpacione nobis seu successoribus nostris fructus proueniant concedimus predicto petro et suis heredibus locandi mansos et mensurandi omnimodam potestatem que villa habebit quotquot plures facere possint Jure ac modo franconico In qua villa damus predicto Petro et suis Successoribus legittimis duos mansos liberos quatuor residuitates vulgariter abschari ([5]) quartuor (sic) ortos duas Thabernas cum duobus Molendinis piscinas liberas quotquot fieri possunt ex omni parte ville prata pascua rubeta Maccellum carnium Mensam panum Sutorum fabrorum libera (libere?) perpetue ac Jure hereditario omnimode habendum tenendum possidendum commutandum vendendum pro sua et suorum posterum voluntate conuertendum vt sua et suorum voluntas melius decreuerit Pro Ecclesia vero ibidem situanda ibidem vnum mansum et vnum ortum et alium pro pellendo grege alias *Scothnicza* libere assignamus, damus eciam predicto nostro Scolteto Sextum denarium census ab octo Scotis et de omni re Judicata tam in paruis quam in magnis iudicijs eciam denarium tercium duobus denarijs dumtaxat pro nobis reseruatis, licebit eciam predicto nostro Scolteto piscari venari aucupari in omnibus pro sua vtilitate infra limites sue hereditatis mellificia faciendo que omnia et singula ipsi predicto nostro Scolteto debent esse libera et ab omni vera solucione exempta et absoluta Absoluimus eciam et perpetuo liberamus pretactum Scoltetum et inhabitatores ville nominate ab omnibus Judicibus Judicijs et potestatibus omnium Judicum Officialium quibuscumque nominibns censeantur Ita quod coram eis uel aliquo eorum citati minime respondebunt Kmethones et Incole coram ipsorum Scolteto Scoltetus vero coram nobis uel nostris Successoribus dese querulantibus non alio nisi suo Jure Theutunico Maydburgensi respondebunt In causis autem Criminalibus et Capitalibus predicto nostro Scolteto Judicandi Senteneiandi puniendi et condempnandi plenam et omnimodam concedimus facultatem prout ipsum Jus Theutunicum in suis articulis postulat et requirit Preterea vt predicta Silua comodius possit exstripari ipsi

([5]) Ed est polonice *obszary*, quod latine *campos*, *agros*, significat.

Scolteto et omnibus aduenientibus et manentibus a data presencium computando asolucione census viginti annos concedimus omnimodam libertatem Scoltetus vero qui protempore fuerit ad expedicionem generalem nobis cum balista in equo seruire est astrictus Kmethones vero perpetue exspirata libertate concessa quilibet eorum de quolibet manso singulis annis circa festum beati Martini vnam marcam census nobis uel posteris nostris prodecima Sex Scotos latorum grossorum Pragensium dare et soluere sint astricti Inquorum omnium testimonium ac euidenciam pleniorem Sigillum nostrum presentibus duximus appendendum, datum in *Iwerzicze* Curia nostra ipso die Circumcisionis domini Anno domini Millesimo Quadringentesimo decimo septimo Presentibus nobilibus Clemente de *Sopischow* Nicolao de *Michow* Kmitha de *Barczino* Warczislao. de *Michow* Przeczlao de *Barczino* Troyano de *Gosczıradow* et alijs pluribus fidedignis.

Nos vero (⁶) prefati Michaelis peticionibus racioni consonis acclinati attendentesque bonorum Castellanie ipsius per exstirpacionem Siluarum huiusmodi condicionem fore meliorem litteras suas predictas memorato Petro pereum datas vt prefertur in omnibus earum articulis condicionibus punctis clausulis et Sentencijs vniuersis ratas et gratas habentes approbamus et confirmamus tenore presencium mediante decernentes ipsas robur perpetue firmitatis obtinere Harum quibus Sigillum nostrum appensum est testimonio litterarum Actum in Nouaciuitate feria sexta proxima ante dominicam Oculi Anno domini Millesimo Quadringentesimo decimo septimo Presentibus ibidem Magnificis et Strenuis Cristino de *Ostrow* Castellano Cracouiensi Nicolao de *Michalow* Palatino Sandomiriensi. Dobeslao Woyniciensi Johanne Lublinensi ffloriano Wisliciensi Grottone Malogostensi Castellanis. Sbigneo de *Brzeze* Marschalco Et alijs pluribus fidelibus nostris dilectis Datum per manus Reuerendi in Christo patris domini Alberti

(6) Scilicet: Vladislaus Rex Poloniae—conclusio enim ejus tabulae sequitur, vide pag. 375.

Episcopi Cracouiensis Regni Polonie Suppremi Cancellarij et venerabilis Donijn decani Cracouiensis Regni eiusdem vicecancellarij nobis sincere dilectorum.

Relacio eiusdem domini donijn decani Cracouiensis Regni Polonie vicecancellarij.

CXCIV.

Sandomiriae — die 2 Martii 1420 anno.

Wladislaus Rex Poloniae nobili *Zaklika* de *Szczekarzowice* loca vasta et silvas ad locandas villas donat (1).

In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Cum inter humane nature comoda nichil dignius memoria habeatur, oportunum existit, ut actus hominum literarum apicibus et testium annotacione perhennentur; ne lapsu temporis euanescant. Proinde nos Wladislaus dei gracia Rex Polonie, nec non terrarum Cracouie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Cuyauie, Lythwanieque Princeps supremus, Pomeranie, Russieque dominus et heres etc. Significamus tenore presencium, quibus expedit universis presentibus et futuris, presencium noticiam habituris. Quomodo cupientes locorum vastorum Regni nostri solitudines in usus uberiores et in debitam agrorum culturam reducere, et fructus thezauri nostri feliciter adaugere, ut tempore nostri felicis regiminis amplius dilatari ualeat, et hominum conuocacione felicia recipere incrementa, attente mentis intuitu perpendentes grate et multum accepte fidelitatis studiosa obsequia, quibus Nobilis *Zaklica de Szczecarzowice* Cubicularius noster fidelis dilectus. culmini nostro multipli-

(1) Ex originali tabula illustrissimi Eustachii Marylscii propria, quam nobiscum communicavit illustrissimus Ludouicus Górski.

Apographon nostrum descripsit Antonius Muczkowski. Sigillum minus, effigies vero ejus in opere collectionem jurium et legum M. D. Lithuaniae in se continente et ab illustrissimo et doctissimo comite Tito Działyńscio Kurnicensi, Posnaniae edito: conf. ejusdem operis paginam IV-tam, sigillum a dextra parte depictum.

citer placere meruit. et in futurum aucto fidelitatis studio prestancius poterit complacere. Quorum intuitu volentes ipsum specialis gracie prosequi fauoribus. et ad obsequia nostra reddere continuo prompciorem. Sibi eiusque germanis fratribus, liberis et successoribus legitimis, uastitates siluas et nemora nostra, de quibus alias nulla nobis cedebat utilitas in terra Sandomiriensi et districtu Radomiensi, ac in *Swarzina*, *Cimnastruga* et *Camyonca* fluminibus sita cum omni jure, dominio, et proprietate ad locandas jure Theotunico villas, et laneos franconicos, de nowa radice sine tamen preiudicio aliarum circum financium hereditatum. ex utraque parte eorundem fluuiorum, cum dimensionibus *dle* vulgariter dictis extirpandi, de innate (sic) nobis celsitudinis clemencia, damus, conferimus liberaliter et donamus. donacio (sic) perpetua et in ewm, facientes ipsos veros et legitimos huiusmodi villarum locandarum. et laneorum in prenarratis siluis et nemoribus et signanter in fluminibus *Swarzina*, *Zimnastruga* et *Camyonca* sine preiudicio aliarum circumfinancium hereditatum, ut prefertur extirpandorum, perpetuosque possessores. Quas quidem villas et laneos inibidem ut premittitur extirpandi et locandi cum omnibus et singulis utilitatibus, fructibus, prouentibus, censibus, redditibus, agris, pratis, campis, pascuis, siluis, borris, nemoribus, gaijs, mericis, quercetis, virgultis, venacionibus, aucupacionibus, mellificijs, piscinis, piscaturis, lacubus, paludibus, molendinis, fluvijs, riwis, aquis et earum decursibus, ac coherencijs, pertinencijs. et appendijs universis adibidem quolibet (sic) ab antiquo spectantibus, ydem Zaklica cum fratribus, eorumque liberi ac successores legitimi hebebunt (sic) tenebunt, utifruentur, vendent, comutabunt, obligabunt, alienabunt, donabunt, et ad usus beneplacitos de nostra voluntate conuertent, ac pacifice perpetuis temporibus possidebunt, prout ipsis melius et utilius videbitur expedire. Ita tamen quod racione donacionis eiusdem, de quibuslibet triginta laneis in prenominatis siluis, nemoribus et fluminibus per ipsos de nowa radice collocandis, cum una lancea, de viginti autem laneis cum duobus, et de decem cum uno sagittarijs in equis et armis bene valentibus nobis et nostris successoribus seruire tenebuntur et debebunt. Harum (quibus) sigillum nostrum appensum est testimonio

literarum. Actum in *Sandomiria* sabbato ante dominicam reminiscere, anno millesimo quadringentesimo vicesimo. Presentibus reuerendo in (Christo) patre domino Johanne Episcopo Chelmensi, nec non nobilibus et strenuis viris *Cristino* de *Ostrow* Cracouiensi, Johanne de *Wirschcow* Calisiensi, Johanne de *Sczecoczin* lublinensi castellanis, Paschcone de *Bogumilouice* Judice et paschcone *zlodzey* gladifero cracouiensibus, multisque alijs nostris fidelibus fide dignis. Datum per manus reuerendi in Christo patris domini Alberti dei gracia Episcopi Cracouiensis Regni Polonie Cancellarij et Wenerabilis Johannis decani Cracouiensis, eiusdem Regni vicecancellarij nobis sincere dilectorum.

Ad relacionem ejusdem Johannis decani Cracouiensis, Regni Polonie vicecancellarij.

CXCV.

Sine loco—die 31 Decembris 1421 anno.

Limites inter bona monasterii Witoviensis et Sulejoviensis a judice et subjudice terrae siradiensis decernuntur (1).

In nomine domini Amen. Ad rei memoriam sempiternam. Nos Petrus de *Vidava* Judex et Swantoslaus de *Zawada* Subiudex Terre Siradiensis generales Vniuersis et singulis presentibus et futuris presencium noticiam habituris significamus Quod Regali in Judicio in nostra nobiliumque infra scriptorum, presencia constituti Magnificus Nicolaus de *Michalow* Palatinus Sandomiriensis et Capitaneus Cracouiensis Strenuique Tomas Venator Siradiensis Michael de *Radimia*(?) et Clemens de *Rosprza* (2) delegatione exregali (sic), concordiam feria quarta proxima ante natiuitatem Christi fassi sunt et publice reco-

(1) Vladislaus Wieczorkowski tabulam hanc nobiscum communicavit; invenit vero eam in archivo suppressi monasterii Witoviensis apud Petricoviam ordinis Cisterciensium, uti supra diximus, jam multis in locis. Archetypon pargamenum.

(2) *Rozprza*, urbs parva Petricoviensis hodie regionis, castellani minoris sedes.

gnouerunt inter monasterium Vitouiense et monasterium Sulejoviense fuisse celebratum pro graniciis (sic) inter predicta monasteria seu bona eorundem monasteriorum sic se incipiendo a ponte dicto vulgariter *Sutimost* a prima granicie antiqua et omnibus graniciis antiquis usque ad *lancznecz* (?) et a predictis omnibus graniciis per sex jugera Borram debet recipere a Monasterio Suleiouiensi et.... addi debet Monasterio Vitouiensi vltraque a *lancznecz* (?) admissa eodem Regali mandato fecerunt granicies usque ad ripam fluminis *luczcza* circumeundo omnia prata monasterii Vitouiensis a granicie que locabitur circa *luczcza* monasterium Vitouiense debet possidere ambas rippas predicti fluuii *luczcza* Qui fluuius fluctuat seu currit ad supradictum pontem vulgariter *Sutimost*. Insuper monasterium Seleiouiense (sic) a granicie que locatur circa *luczcza* debet tenere ambas rippas fluuii dicti *luczcza* Qui fluit ad fluuium dictum *Pilcza* non tangendo prata monasterii Vitouiensis antiqwa exea (sic) parte in qua predictum monasterium Vitouiense iacet et antiqui limites renouari debent inter monasterium Vitouiense et inter *Przeglow* (³) a fluuio inhoando *Caprziwniczá* dicto fluendo ad pontem dictum *Preglowskimost* Qui pons iacet per ambos fluuios predictos eedemque Gades seu limites debent teneri et inuiolabiliter opseruari (sic) perpetue et euiterne, harum nostra quibus sigilla sunt appensa Testimonio literarum. Actum et datum feria secunda proxima post festum Natiuitatis Christi anno domini Millesimo CCCC vicesimo primo Presentibus strenuis Swanthoslao Subiudice Siradiensi Sbigneo de Altomonte Castellano Rosperiensi (⁴) Nobilibusque Johanne de *Belchatow* (⁵) et Zegotha de *Sobacow* .... Camerariis Cristkone de *Mokolicz* Stanislao de *Kobilkij* heredibus Aliisque circa premissa quam pluribus fidedignis.

(³) *Przeglow* villa in media via Petricovia Sulejoviam, ab his urbibus uno millario distans.

(⁴) Sbigneus (Bank) de Altomonte, polonice *Zbigniew z Wysokiéj Góry* dicitur. Castellanus Rosperiensis jam 1412 anno, conf. opus Gołębiowscii de regibus Poloniae Lithuanicae stirpis l. c. T. I, pag. 522, et deductionem jurium Austriae ad provincias Poloniae, ubi in privilegio certo Sbigneus legitur. Alii, insignis *Leliwa*, alii insignis *Ogończyk* dicti, illum esse, tradunt.

(⁵) *Belchatow*, oppidum Petricoviensis regionis, in Siradiensi olim, nunc in Calissiensi provincia.

CXCVI.

In oppido Łańcut — d. 25 men. aprilis 1423 anno.

Vladislaus Jagello, Poloniae rex, privilegia et immunitates monasterio Calvi Montis a Casimiro magno, praedecessore suo, concessas, confirmat (¹).

In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Quamvis dignitas Regia ex assumpto oficio quodam debito singulari teneatur subditorum suorum intendere commodis, illorum tamen precipue se fatetur magis debitricem quos mundi cernit deserere delicias et ad laudes saluatoris mentes digne contemplacionis studiis elevare. Proinde nos Vladislaus dei gracia Rex Polonie nec non terrarum Graccovie (sic) Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuiaviae, Lithuanieque princeps supremus, Pomeranie, Russieque dominus et heres, significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis presentibus et futuris presencium noticiam habituris, quomodo ad nostre maiestatis accedens presenciam relligiosus frater nicolaus Mnisszek confessor et predicator noster devotus dilectus conventus monasterii sancti Crucis calvi montis (²) ordinis sancti Benedicti quamdam literam pergameneam dive memorie domini Cazimiri olim Regis Polonie predecessoris nostri ipsius sigillo minori sigillatam, vetustate iam consumptam, omni prorsus uicio et suspicione carentem, de et super omnium bonorum et uillarum claustri et conventus predictorum libertacione et exempcione ab exactionibus, solucionibus, contribucionibus, tributis, collectis, a *sepi, narzaz*, *poradlne* vulgariter *Croliesthuo* uecturis, ducturis, *poduodis*, agrorum, pratorum, messium (sic), poncium, laboribus, et ab omnibus angariis, preangariis, molestiis omnium Regni Polonie Palatinorum, castellanorum, Capitaneorum, judicum, subiudicum, et quorumvis ofi-

(¹) Ex libro manu scripto, de quo jam supra legas in annotatione ad tabulam nr. CV pag. 231 tomi tertii Codicis, ab illustrissimo Leone Rzysczewscio apographon depromptum. Liber hic privilegia civitatis Słupensis ad montem Calvum sitae, in se continet.

(²) *Łysa góra*, Calvus Mons, de quo jam supra.

gnouerunt inter monasterium Vitouiense et monasterium Sulejoviense fuisse celebratum pro graniciis (sic) inter predicta monasteria seu bona, eorundem monasteriorum sic se incipiendo a ponte dicto vulgariter *Sutimost* a prima granicie antiqua et omnibus graniciis antiquis usque ad *lancznecz* (?) et a predictis omnibus graniciis per sex jugera Borram debet recipere a Monasterio Suleiouiensi et.... addi debet Monasterio Vitouiensi vltraque a *lancznecz* (?) admissa eodem Regali mandato fecerunt granicies usque ad ripam fluminis *luczcza* circumeundo omnia prata monasterii Vitouiensis a granicie que locabitur circa *luczcza* monasterium Vitouiense debet possidere ambas rippas predicti fluuii *luczcza* Qui fluuius fluctuat seu currit ad supradictum pontem vulgariter *Sutimost.* Insuper monasterium Seleiouiense (sic) a granicie que locatur circa *luczcza* debet tenere ambas rippas fluuii dicti *luczcza* Qui fluit ad fluuium dictum *Pilcza* non tangendo prata monasterii Vitouiensis antiqwa exea (sic) parte in qua predictum monasterium Vitouiense iacet et antiqui limites renouari debent inter monasterium Vitouiense et inter *Przeglow* (3) a fluuio inhoando *Caprziwnicza* dicto fluendo ad pontem dictum *Preglowskimost* Qui pons iacet per ambos fluuios predictos eedemque Gades seu limites debent teneri et inuiolabiliter opseruari (sic) perpetue et euiterne, harum nostra quibus sigilla sunt appensa Testimonio literarum. Actum et datum feria secunda proxima post festum Natiuitatis Christi anno domini Millesimo CCCC vicesimo primo Presentibus strenuis Swanthoslao Subiudice Siradiensi Sbigneo de Altomonte Castellano Rosperiensi (4) Nobilibusque Johanne de *Belchatow* (5) et Zegotha de *Sobacow* .... Camerariis Cristkone de *Mokolicz* Stanislao de *Kobilkij* heredibus Aliisque circa premissa quam pluribus fidedignis.

(3) *Przeglow* villa in media via Petricovia Sulejoviam, ab his urbibus uno millario distans.

(4) Sbigneus (Bank) de Altomonte, polonice *Zbigniew z Wysokiéj Góry* dicitur. Castellanus Rosperiensis jam 1412 anno, conf. opus Gołębiowscii de regibus Poloniae Lithuanicae stirpis l. c. T. I, pag. 522, et deductionem jurium Austriae ad provincias Poloniae, ubi in privilegio certo Sbigneus legitur. Alii, insignis *Leliwa*, alii insignis *Ogończyk* dicti, illum esse, tradunt.

(5) *Bełchatow*, oppidum Petricoviensis regionis, in Siradiensi olim, nunc in Calissiensi provincia.

CXCVI.

In oppido Łańcut — d. 25 men. aprilis 1423 anno.

Vladislaus Jagello, Poloniae rex, privilegia et immunitates monasterio Calvi Montis a Casimiro magno, praedecessore suo, concessas, confirmat (¹).

In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Quamvis dignitas Regia ex assumpto oficio quodam debito singulari teneatur subditorum suorum intendere commodis, illorum tamen precipue se fatetur magis debitricem quos mundi cernit deserere delicias et ad laudes saluatoris mentes digne contemplacionis studiis elevare. Proinde nos Vladislaus dei gracia Rex Polonie nec non terrarum Graccovie (sic) Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuiaviae, Lithuanieque princeps supremus, Pomeranie, Russieque dominus et heres, significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis presentibus et futuris presencium noticiam habituris, quomodo ad nostre maiestatis accedens presenciam relligiosus frater nicolaus Mnisszek confessor et predicator noster devotus dilectus conventus monasterii sancti Crucis calvi montis (²) ordinis sancti Benedicti quamdam literam pergameneam dive memorie domini Cazimiri olim Regis Polonie predecessoris nostri ipsius sigillo minori sigillatam, vetustate iam consumptam, omni prorsus uicio et suspicione carentem, de et super omnium bonorum et uillarum claustri et conventus predictorum libertacione et exempcione ab exactionibus, solucionibus, contribucionibus, tributis, collectis, a *sepi, narzaz*, *poradlne* vulgariter *Croliesthuo* uecturis, ducturis, *poduodis*, agrorum, pratorum, messium (sic), poncium, laboribus, et ab omnibus angariis, preangariis, molestiis omnium Regni Polonie Palatinorum, castellanorum, Capitaneorum, judicum, subiudicum, et quorumvis ofi-

(¹) Ex libro manu scripto, de quo jam supra legas in annotatione ad tabulam nr. CV pag. 231 tomi tertii Codicis, ab illustrissimo Leone Rzysczewscio apographon depromptum. Liber hic privilegia civitatis Słupensis ad montem Calvum sitae, in se continet.

(²) *Łysa góra*, Calvus Mons, de quo jam supra.

gnouerunt inter monasterium Vitouiense et monasterium Sulejoviense fuisse celebratum pro graniciis (sic) inter predicta monasteria seu bona, eorundem monasteriorum sic se incipiendo a ponte dicto vulgariter *Sutimost* a prima granicie antiqua et omnibus graniciis antiquis usque ad *lancznecz* (?) et a predictis omnibus graniciis per sex jugera Borram debet recipere a Monasterio Suleiouiensi et.... addi debet Monasterio Vitouiensi vltraque a *lancznecz* (?) admissa eodem Regali mandato fecerunt granicies usque ad ripam fluminis *luczcza* circumeundo omnia prata monasterii Vitouiensis a granicie que locabitur circa *luczcza* monasterium Vitouiense debet possidere ambas rippas predicti fluuii *luczcza* Qui fluuius fluctuat seu currit ad supradictum pontem vulgariter *Sutimost*. Insuper monasterium Seleiouiense (sic) a granicie que locatur circa *luczcza* debet tenere ambas rippas fluuii dicti *luczcza* Qui fluit ad fluuium dictum *Pilcza* non tangendo prata monasterii Vitouiensis antiqwa exea (sic) parte in qua predictum monasterium Vitouiense iacet et antiqui limites renouari debent inter monasterium Vitouiense et inter *Przeglow* (3) a fluuio inhoando *Caprziwniczá* dicto fluendo ad pontem dictum *Preglowskimost* Qui pons iacet per ambos fluuios predictos eedemque Gades seu limites debent teneri et inuiolabiliter opseruari (sic) perpetue et euiterne, harum nostra quibus sigilla sunt appensa Testimonio literarum. Actum et datum feria secunda proxima post festum Natiuitatis Christi anno domini Millesimo CCCC vicesimo primo Presentibus strenuis Swanthoslao Subiudice Siradiensi Sbigneo de Altomonte Castellano Rosperiensi (4) Nobilibusque Johanne de *Belchatow* (5) et Zegotha de *Sobacow* .... Camerariis Cristkone de *Mokolicz* Stanislao de *Kobilkij* heredibus Aliisque circa premissa quam pluribus fidedignis.

(3) *Przeglow* villa in media via Petricovia Sulejoviam, ab his urbibus uno millario distans.

(4) Sbigneus (Bank) de Altomonte, polonice *Zbigniew z Wysokiéj Góry* dicitur. Castellanus Rosperiensis jam 1412 anno, conf. opus Gołębiowscii de regibus Poloniae Lithuanicae stirpis l. c. T. I, pag. 522, et deductionem jurium Austriae ad provincias Poloniae, ubi in privilegio certo Sbigneus legitur. Alii, insignis *Leliwa*, alii insignis *Ogończyk* dicti, illum esse, tradunt.

(5) *Belchatow*, oppidum Petricoviensis regionis, in Siradiensi olim, nunc in Calissiensi provincia.

CXCVI.

In oppido Łańcut — d. 25 men. aprilis 1423 anno.

Vladislaus Jagello, **Poloniae rex, privilegia et immunitates monasterio Calvi Montis a Casimiro magno, praedecessore suo, concessas, confirmat** (1).

In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Quamvis dignitas Regia ex assumpto oficio quodam debito singulari teneatur subditorum suorum intendere commodis, illorum tamen precipue se fatetur magis debitricem quos mundi cernit deserere delicias et ad laudes saluatoris mentes digne contemplacionis studiis elevare. Proinde nos Vladislaus dei gracia Rex Polonie nec non terrarum Gracco-vie (sic) Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuiaviae, Lithuanieque princeps supremus, Pomeranie, Russieque dominus et heres, significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis presentibus et futuris presencium noticiam habituris, quomodo ad nostre maiestatis accedens presenciam relligiosus frater nicolaus Mnisszek confessor et predicator noster devotus dilectus conventus monasterii sancti Crucis calvi montis (2) ordinis sancti Benedicti quamdam literam pergameneam dive memorie domini Cazimiri olim Regis Polonie predecessoris nostri ipsius sigillo minori sigillatam, vetustate iam consumptam, omni prorsus uicio et suspicione carentem, de et super omnium bonorum et uillarum claustri et conventus predictorum libertacione et exempcione ab exactionibus, solucionibus, contribucionibus, tributis, collectis, a *sepi, narzaz*, *poradlne* vulgariter *Croliesthuo* uecturis, ducturis, *poduodis*, agrorum, pratorum, messium (sic), poncium, laboribus, et ab omnibus angariis, preangariis, molestiis omnium Regni Polonie Palatinorum, castellanorum, Capitaneorum, judicum, subiudicum, et quorumvis ofi-

(1) Ex libro manu scripto, de quo jam supra legas in annotatione ad tabulam nr. CV pag. 231 tomi tertii Codicis, ab illustrissimo Leone Rzysczewscio apographon depromptum. Liber hic privilegia civitatis Słupensis ad montem Calvum sitae, in se continet.
(2) *Łysa góra*, Calvus Mons, de quo jam supra.

cialium et ministerialium eorumdem ([3]), nobis monstavit (sic) et ostendit pro parte abbatis et conuentus claustri et ordinis predictorum, humili precum instancia supplicando, quatenus litteris nostris huiusmodj bona et uillas, cmetonesque et incolas earumdem, et nos eximere, libertare, et absolvere dignaremur, iuxta earumdem continenciam litterarum. Nos uero peticionibus huiusmodi tanquam iustis et legittimis inclinati et specialis deuocionis Zelo accensi, omnium et singulos omni et singularum uillarum Cmetones et incolas ad claustrum predictum quomodolibet et ex quocumque respectu spectancium, ab omnibus nostris Regalibus exactionibus, dacionibus, collectis, contribucionibus, tributis, *sepi, narzaz* vulgariter *poradlne Croliesthuo*, conductu, ducturis, uecturis, *poduodis*, a laboribus agrorum, messium, pratorum, poncium, et ab omnibus omnium Regni nostri Palatinorum Castellanorum, capitaneorum. Judicum, subiudicum, oficialium, et quorumvis eorumdem angariis, preangariis, jurisdicionibus, perturbacionibus, et molestiis vniversis, eximimus, absoluimus, et libertamus, libertacione perpetua et eterna. Vobis igitur omnibus et singulis supradictis firmissimis nostris Regalibus damus in mandatis, quatenus bona et uillas huiusmodj, cmetonesque et Incolas earumdem, circa hanc ipsis datam et concessam a nobis graciam et libertatem, dimittatis et dimitti faciatis nulla impedimenta in omnibus prescriptis, eis aut ipsorum alicui inferre presumeretis, sed eos circa huiusmodj libertatem debeatis per omnia conservare, quos et nos presentibus decernimus conservandos. Harum quibus sigillum nostrum est appensum testimonio litterarum. Actum in *Lanczuth* die dominico quo cantatur in ecclesia domini Jubilate Deo omnis terra, anno domini millesimo quadringentesimo uigesimo tercio; presentibus ibidem Reverendo in Christo patre domino Joanne dei gracia Episcopo Premisliensi, nec non magnificis, strenuis et nobilibus uiris, Sandiuogio de *Ostroróg* Posnaniensi, Jacobo de *Coniecpolie* Siradiensi Pallatinis; Mosticio Posnaniensi, Sbigneo ([4]) Rospiriensi Castellanis: Spitkone de *Tharnouu* tunc Capitaneo Russie generali, et aliis quam plurimis fidelibus fidedignis.

([3]) Vide hanc tabulam sub anno 1351.

([4]) *Sbigneus* de Altomonte, z Wysokiéj Góry, vide tabulam proxime praecedentem.

Datum per manus Reverendi in Christo patris domini Alberti dei gracia Craccoviensis Episcopi Regni Polonie Cancellarii, et uenerabilis Joannis decani Graccouiensis (sic) Regni eiusdem vicecancellarii, sincere nobis dilectorum.

CXCVII.

Lagoviae—die 20 mensis Januarij 1424 anno.

Petrus scultetus de *Ząbkowa wola* terram suam cuidam prudenti viro vendidit (1).

In nomine domini amen. Quoniam ea que in humanis gestis fiunt in tempore, ea simul labente tempore deperduntur, igitur expedit ut scriptis et sigillorum munimentis roborentur. Quocirca nos Andreas Modliboskij, nec non tutor *Lagowiensis*, una cum septem scoltetis districtu (sic) *Lagowiensis*, primo cum Tomkone de *Newskurzow* Judice suppremo Juris *Lagowiensis*, nec non Bystram fratre suo de ibidem, et Petro de *Potrow*, Nicolao de *Lagow*, Mathia de *Sandek*, Brathos de *Wola*, Stanislao de *Wesechow*, Johanne de *Olsewincza* recognoscimus tenore presencium quibus expedit universsis (sic) tam presentibus quam futuris, quod accedens ad nostram et aliorum infra scriptorum presenciam bannito in iudicio Petrus scoltetus de *Sanbkowa wola*, sane mentis existens, non compulsus. nec coactus, neque aliquo dolo seductus, sed de bona volumptate (sic) ac sui animi deliberacione, resignavit ac vendidit scolteciam in *Sanbkowa wola* pro triginta marcis monete Polonicalis numeri consweti, tam longe ac late, velud (sic) so-

(1) Leo Rzyszczewski descripsit apographon hoc ex archetypo asservato in tabulario Capituli Cathedralis Wladislaviensis. Sigillum unum restat non magnum, cujus inscriptio penitus deleta, alterum sigillum desideratur. Taeniolae sunt pargamenae.

(2) *Łagow* oppidum Sandomiriensis semper provinciae fuit hodieque est, regionis vero Opatoviensis. In parochia ejusdem oppidi anno 1676 sitae sunt villae sequentes hic memoratae: *Nieskorzow (Newskurzow* in tabula), *Piotrów*, *Wszachów* (in tab. *Wesechów)*, *Wola Ząbkowa* et *Wola Łagowska*. *Nieskorzów* aliam villam tamen in parochia vicina *Baczkowicensi* invenimus; ubi sunt *Olsewincza*, *Sandek*, *Wojtrów* nescimus.

lus tenuit, sibi nichil de predicta Scoltecia vsurpando, neque retinendo, sed cum omnibus attinencijs spectantibus ad predictam scolteciam, prudenti viro Ithanonij (?) ac suis legittimis successoribus, coram hijs testibus, Nobili viro Raphaele de *Voytrow* (sic), Andrea Mallosay opydano (sic) de *Lagow*, Johanne Consule filio eiusdem, et alijs quam plurimis fidedignis. In cuius reij (sic) testimonium sigilla nostra appendimus ac appendere jubemus—Actum et datum aput Johemiam(?) consulem Molosayewicz bannito in iudicio, feria quinta in festo sanctorum Martirum Ffabiani et Sebastiani, anno domini millesimo quatricentessimo vicessimo (sic) quarto.

CXCVIII.

Opatoviae—die 15 mensis Junii 1424 anno.

Litterae judicii terrestris Opatoviensis super commutatione nobilium inter se sortis certae in villa *Żerniki* dicta (1).

Nos Petrus de *Falkow* (2) Judex, et Zawissyus de *Oleschnicza* (3) subiudex Terre Sandomiriensis generales, profitemur universis quibus expedit presencium per tenorem. Quia nobilis Stanislaus de *Zirniky* (4) heres coram Judicio terrestri personaliter constitutus, sanus mente et corpore existens, non compulsus, nec aliqua fraude seductus, sed de bona et libera ipsius voluntate, recognovit publice perpetualem commutacionem fecisse, cum nobili Nicolao de *Swolya* herede, talem ta-

(1) Ex originali charta Capituli Vladislaviensis propria, descripsit Leo Rzyszczewski. Duo sigilla olim fuerant, hodie taeniolae pargamenae tantum restant.
(2) *Falkow*, villa est parochialis, Koniecensis regionis in Sandomiriensi provincia.
(3) *Olesnica*, villa etiam parochialis, Stobnicensis regionis in Cracoviensi provincia.
(4) *Żerniki*: ejusdem nominis villae sunt Stobnicensis hodie regionis, et Szydłoviensis in Cracoviensi provincia, Opatoviensis vero, in Sandomiriensi. Rzyszczewski putat, de ultima villa huc esse mentionem, quae ad clavem Piorkoviensem spectat, apud urbem *Łagów* dictum: conf. paulo inferius tabulam anni 1430, Sandomiriae mense januario datam. Haec villa *Zerniki* clavis Piorkoviensis, episcopalis est.

men: quod idem Stanislaus suam totam partem hereditatis, quam habuit ibidem in *Zirniky* Cum omni Jure et toto dominio, nec non cum omnibus et singulis utilitatibus, censibus, fructibus, redditibus, obvencionibus, et attinencijs universis quibuscumque dicantur nominibus prout solus tenuit et possedit, et prout eadem pars hereditatis iam dicte in suis metis et limitibus late longeque ac circumferencialiter est distincta, signata, et limitata, nichil pro se aut suis consangwineis ibidem penitus reservando, pro parte hereditatis dicte *Irzmanczovicze* et pro illis que eidem Nicolao post obitum matris sue ibidem deberent provenire, dicto Nicolao dedit, commutavit et in perpetuum resignavit et ipsius legittime posteritati: hoc tamen intercluso, quod idem Nicolaus iam dictam partem hereditatis ibidem in *Zirniky* de obligacionibus centum cum viginti marcis pro se debet exemere et expedire, liberandoque perpetue possidere, vendere, donare, commutare, et ad usus suos beneplacitos libere convertere. Harum quibus in testimonium nostra presentibus sigilla sunt appensa. Datum in *Oppathow* (5) feria quinta proxima post festum Pentecostes, anno domini millesimo quadringentesimo vicesimo quarto, presentibus hijs dominis Johanne de *Podlodow* (6), Johanne de *Ostrow* (7), Derslao de *Lopathno* (8), Pelka de *Przeswody* (9), Mirzonone de *Milkow* (10), Jacussio de ibidem heredibus et alijs multis fide dignis.

(5) *Opatow*, regionis et territorii caput, in Sandomiriensi provincia.
(6) Villa Opatoviensis regionis.
(7) Multae villae sunt ejusdem nominis, ibidem locorum.
(8) *Łopatno*, villa in Sandomiriensi territorio sita.
(9) *Przezwody*, ejusdem nominis villae sunt in Jędrzejowiensi, Szkalbmiriensi et Sandomiriensi regione.
(10) Villa Opatoviensis est regionis.

CXCIX.

Cracoviae — die mensis 29 Martii 1428 anno.

Admissio litterarum Pontificis Maximi, Innocentii IV-ti monasterio Staniątcensi concessarum, a *Zbigneo* de *Olesnica* episcopo cracoviensi facta (¹).

Nos Sbigneus diuina et apostolice sedis prouidencia Episcopus Cracouiensis Significamus tenore presencium quibus expedit uniuersis presentibus et futuris presencium noticiam habituris. Quomodo ad nostram accedens presenciam Religiosa soror Margareta Abbatissa cum sororibus Conuentus Sanctimonialium Monasterij in *Stanathky* sub regula sancti Benedicti nostre dyocesis obtulit coram nobis litteras sanctissimi in Christo patris et domini domini *Innocencij tunc pape* quarti in pargameno scriptas eius vera bulla plumbea in filis rubei et glauci colorum dependentibus sigillatas. Manibusque Reuerendorum patrum Stephani sancte Marie trans Thiberini tytuli Calixi (sic) presbiteri, fratris Johannis tytuli sancti Laurencij in Lucina presbiteri, Ramaldi Ostiensis et Belletrensis episcopi, Jacobi Portuensis et sancte Rufine Episcopi, Stephani Prenestini Episcopi, Petri sancti Georgij ad velum aureum Dyaconi, Johannis sancti Nicolai in Carcere Tulliano dyaconi, Willermi sancti Eustachij dyaconi, Ottoboni sancti Adriani dyaconi, tunc sancte Romane Ecclesie Cardinalium cum eorum signis denotatis subscriptas. sanas. saluas. et integras omnique prorsus vicio et suspicione carentes et produxit tenore subsequenti petens cum deuocione ac supplicans quatenus litteras pre-

(¹) Episcopus cracoviensis 1423—1455, postea sanctae ecclesiae Romanae presbyter cardinalis, vir maximi ingenii.

Tabulam authenticam in Archivo monasterii Staniątcensis asservatam, descripsit Sławiński. Fili sericei nigri et rubri coloris. Sigillum minus ex cera vulgari, episcopum in pontificalibus repraesentans. Scutum longum a pectore usque ad pedes episcopi, in qua effigies magnae crucis cernitur. Magna haec crux, insigne est nobilium, haeredum de Olešnica, et polonice *Dębno* appellatum. In ambitu sigilli inscriptio: *Capitulum Cracouiense.* Litterae Innocentii IV papae in transumpto Zbignei episcopi.

dictas transumere (sic) et alias talibus modo et forma disponere quod eis in Judicijs et extra posset fides plenaria adhiberi Ne ex frequenti mocione aut ostentacione litterarum huiusmodi uel originaliter producendarum, quarum per loca discriminosa in defensionem libertatum et Jurium in eisdem descriptarum produccionem frequencius exigit necessitas opportuna, lesuram in aliqua sui parte suscipiant aliqualem. Quarum quidem litterarum apostolicarum tenor sequitur et est talis.

1253. Innocencius episcopus seruus seruorum dei Dilectis in Christo filiabus Abbatisse Monasterij de *Stanetech* eiusque sororibus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis In perpetuam memoriam. Religiosam vitam eligentibus apostolicum conuenit adesse presidium ne forte cuiuslibet temeritatis incursus aut eas a proposito reuocet aut robur quod absit sacre religionis eneruet Eapropter dilecte in Christo filie uestris iustis postulacionibus clementer annuimus et Monasterium de *Stanetech* Cracouiensis dyocesis in quo diuino estis obsequio mancipate sub beati Petri et nostra proteccione suscipimus et presentis scripti priuilegio communimus Inprimis siquidem statuentes ut ordo Monasticus qui secundum deuotam beati Benedicti Regulam in eodem Monasterio institutus esse dinoscitur perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur Preterea quascumque possessiones quecumque bona idem Monasterium impresenciarum iuste ac canonice possidet aut infuturum concessione pontificum largicione Regum uel Principum oblacione fidelium seu alij iustis modis proficente (sic) domino poterit adipisci firma uobis et eis que uobis succeserint et illibata permaneant In quibus hec proprijs duximus exprimenda vocabulis locum ipsum in quo prefatum Monasterium est cum omnibus pertinencijs suis, villam que vulgo dicitur *Lopenka* cum fonte salis et omnibus pertinencijs suis Villam *Bresnicia* vulgariter nuncupatam cum ecclesia et omnibus pertinencijs suis, Villam que vocatur *Podlasche* (2) cum omnibus pertinencijs suis Villas *Začreu Tropisso Premanzany Ostrow Clemtou* (3) *Smolinzi Zator Gradissyce* (4)

(2) *Podlęże.* (3) *Klimentow.*

(4) In antiquo Oswiecimensi et Zatoriensi ducatu villa *Grabyszyce* apud fluvium Skawam invenitur; fortasse de illa huc mentio.

Lipoua Lubesou (5) et *vidouici* (6) cum omnibus pertinencijs earundem, villas *Cescouici* et *Lussouici* (7) vulgariter appellatas cum plumbis et omnibus pertinencijs earundum (sic) Redditum salis quem habetis in Ciuitate Cracouiensi in loco qui vocatur vulgariter *Arsalmagium* (8). Redditum salis quem habetis in villa que vulgariter appellatur *Bochna* cum Terris pratis vineis nemoribus Vsuagijs (sic) et piscinis in bosco et plano in Aquis et Molendinis in vijs et semitis et omnibus alijs libertatibus et immunitatibus suis. Sane noualium uestrorum que proprijs sumptibus colitis de quibus aliquis hactenus non percepit siue de uestrorum animalium nutrimentis nullus a nobis decimas exigere uel extorquere presumat Liceat quoque nobis personas liberas et absolutas e seculo fugientes ad conuersionem recipere et eas absque contradiccione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli sororum uestrarum post factam in Monasterio vestro professionem phas (sic) sit sine Abbatisse sue licencia nisi artioris Religionis obtentu de eodem loco discedere discedentem vero absque communi litterarum nostrarum caucione nullus audeat retinere Cum autem generale Interdictum terre fuerit liceat vobis clausis ianuijs (sic) exclusis excommunicatis et Interdictis non pulsatis campanis suppressa voce diuina officia celebrare dummodo causam non dederitis Interdicto Crisma vero oleum sanctum consecraciones Altarium seu basilicarum benedicciones Monialium a dyocesano suscipietis Episcopo siquidem catholicus fuerit et graciam et comunionem sacrosancte Romane sedis habuerit et ea vobis voluerit sine prauitate aliqua exhibere, Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus ut eorum deuocioni et extreme voluntati qui se illic sepeliri deliberauerint nisi forte excomunicati uel Interdicti sint aut eciam publice vsurarij nullus obsistat. salua tamen iusticia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum

(5) *Libiąż.*

(6) Haud dubio villa *Witkowice*, de qua in tabula XVIII hujus tomi pag. 34. jam supra diximus. Aliarum villarum loca in annotationibus ad praecedentes tabulas designavimus; conf. pag. 34, et seqq.

(7) *Cięłkowice* et *Luszowice*, villae sitae in Reipublica olim Cracoviensium, Regni Poloniae moderni finitimae.

(8) Ad sal magnum.

corpora assumuntur. Decimas preterea et possessiones ad Jus ecclesiarum vestrarum spectantes que a laycis detinentur redimendi et legitime liberandi de manibus eorum et ad ecclesias ad quas pertinent reuocandi libera sit vobis de nostra auctoritate facultas. Obeunte vero te nunc eiusdem loci Abbatissa uel earum aliqua que tibi successerit nulla ibi qualibet surrepcionis astucia seu uiolencia proponatur nisi quam sorores communi consensu uel earum maior pars consilij sanioris secundum deum et beati Benedicti regulam prouiderint eligendam, Paci quoque et tranquillitati vestre paterna imposterum sollicitudine prouidere volentes, auctoritate apostolica prohibemus ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrorum nullus rapinam seu furtum facere ignem apponere sangwinem fundere hominem temere capere uel interficere seu violenciam audeat exercere. Preterea omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris Romanis pontificibus Monasterio uestro concessas necnon libertates et exempciones secularium exaccionum a Regibus et Principibus uel alijs fidelibus racionabiliter uobis indultas auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti priuilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatum Monasterium temere perturbare aut eius possessiones auferre uel ablatas retinere minuere seu quibuslibet vexacionibus fatigare, sed omnia integra conseruentur eorum pro quorum gubernacione ac substentacione (sic) concessa sunt usibus omnimodis profutura, salua sedis apostolice auctoritate et dyocesani episcopi canonica iusticia, si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisue persona hanc nostre constitucionis paginam sciens contra eam temere venire temptauerit secundo tercioue commonita nisi reatum suum congrua satisfaccione correxerit potestatis honorisque sui careat dignitate reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sangwine dei et domini redemptoris nostri Jesu Christi alien (alienam?) fiat atque in extremo examine districte subiaceat vlcioni. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax domini nostri Jesu cristi quatinus (sic) et hic fructum bone accionis percipiant et apud districtum Judicem premia eterne pacis inueniant. amen. Datum *Pe-*

rusij per manus Guillermi Magistri scolarum Parmensium Sancte Romane ecclesie vicecancellarij XV Kalendas Maij Indictione XI Incarnacionis dominice Anno M°. CC°. LIII° (⁹). Pontificatus vero domini Innocencij pape quarti anno decimo.

1428. Nos igitur nolentes precipitare in hoc facto ne per transumptum huiusmodi nostrum alicui videamur preiudicium generare et hijs presertim quorum iuribus predicta libertatum eisdem sororibus et ipsorum (sic) Monasterio concessio in aliquo derogaret litteras nostras citatorias contra omnes et singulariter singulos, qui sua putarent interesse uel quorum Juribus transumpcio litterarum earundem videretur, promisimus Mandantes ut coram nobis die et loco certis quos ipsis et eorum cuilibet pro termino prefiximus competenti comparerent ad videndum et audiendum easdem litteras apostolicas transumi debere cum apposicione decreti nostri uel cur et quare transumi non deberent causas racionabiles allegandum In quo quidem termino et eo veniente Instante et petente prefata Margaretha Abbatissa cum Conuentu predicto Nulloque contradicente ex aduerso Memoratas litteras apostolicas decreuimus transumendas et easdem de verbo ad verbum nil addendo uel minuendo quod facti mutaret syllabam uel intellectum aliqualiter variaret transumpsimus et transumimus presentibus scriptis nostris In quorum fidem et testimonium premissorum Sigillum nostrum presentibus est appensum Actum et datum *Cracouie* feria secunda proxima post dominicam Ramispalmarum Anno domini Millesimo quadringentesimo vicesimo octauo Presentibus venerabilibus et honorabilibus viris dominis Nicolao *Pyenaszek* Preposito Thoma *Chrobersky* decretorum doctore Cracouiensis Nynogneo de *Dobra* Lanciciensis Ecclesiarum Canonicis et Nicolao *Czulyczsky* Altarista in Ecclesia kathedrali nostra Cracouiensi Nobilibusque Nicolao *Budzyssowsky* tunc Marsaleo et Petro de *Borzinow* Subpincerna nostris Episcopalibus testibus circa premissa fidelibus fidedignis.

(⁹) Vulgo, die 17 mensis aprilis, 1253 anno.

CC.

Sandomiriae — d. **10** *mensis Januarii* **1430** *anno.*

Privilegium venditionis villae *Żerniki* nobili Andreae de Kronow a Nicolao de Ostrow factae (1).

Nos Johannes de *Sprowa* Judex, et Janissyus de *Oleschnicza* Subiudex Terre Sandomiriensis generales. Protestamur uniuersis, quibus expedit presencium per tenorem. Quia Nobilis Nicolaus de *Ostrow* (2) coram judicio terrestri personaliter comparendo, sanus mente et corpore existens, non compulsus, non coactus, nec aliquo dolo seductus, sed de bona et libera sua voluntate recognouit publice, quod omnem suam partem hereditatis, quam habuit in *Zirniky* cum omni jure et dominio, nec non cum omnibus et singulis vtilitatibus, censibus, fructibus, redditibus, obuencionibus et attinencijs vniuersis, videlicet: agris, pratis, gaijs, mericis, rubetis, virgultis, piscinis, molendinis, fluuijs, aquis, riwulis, et aquarum decursibus, ac alijs attinencijs, quibuscumque dicantur nominibus, que modo ibidem sunt et inposterum fieri possunt; prout eadem pars in suis limitibus lata (sic) longeque ac circumferencialiter est distincta et limitata, nichil pro se uel consangwineis suis ibidem penitus reseruando, pro tricentis marcis mediorum grossorum numeri polonicalis consweti vendidit et in perpetuum resignauit, nobili domino Andree de *Cronow* heredi et ipsius legitime posteritati, ita tamen, quod ipse dominus Andreas suis cum successoribus dictam partem hereditatis iam dicte, sic, ut premittitur, tenebit, habebit et in perpetuum possidebit pacifice et quiete. Pro qua tamen parte hereditatis predicte idem Nicolaus eundem dominum Andream debebit intercedere et tueri a qualibet persona iuxta juris

(1) Ex archetypo tabularii Capituli Vladislauiensis a Rzyszczevścio et Muczkovscio descriptum. Taeniolis membranaceis appensa sunt duo sigilla, quorum alterum penitus deletum, alterum vero crucem repraesentat. Conf. tabulam ad diem 15 Januarii 1424 praecedentem.

(2) De villis conf. tabulam in annotatione prima: laudatam (Nr. CXCVIII).

formam. Harum, quibus in testimonium, nostra presentibus sigilla sunt appensa. Datum *Sandomirie* feria tercia proxima post festum Epiphanie domini, anno eiusdem millesimo quadringentesimo tricesimo. Presentibus hijs dominis: Grottone de *Slupcza*, Goworkone de *Chrobrzani.* Derslao de *Lopathno*, Johanne de *Janouicze*, Andrea de ibidem, Laurencio de *Spigneuicze* (sic) heredibus et alijs multis fide dignis.

CCI.

Opatoviae — d. 15 mensis Decembris 1430 anno.

Litterae venditionis villae *Żerniki* **Matthiae castellano** *Brzezinensi*, **per Nobilem** *Andream* **de** *Strachociny* (¹).

Nos Johannes de Sprowa judex et Zauissius de Oleschnicza subiudex terre Samdomiriensis generales. Significamus tam presentibus, quam futuris, quibus expedit, presencium per tenorem. Quomodo nobilis Andreas de *Strachoczin* heres sanus mente pariter et corpore existens, non compulsus, non coactus, nec aliquo errore seductus, sed de bona voluntate sua ffretus (sic) eciam salubri consilio suorum amicorum ad nostram presenciam accedendo personaliter recognouit, vendidisse villam dictam *Zirniky* cum omni jure et dominio; cum omnibus et singulis utilitatibus, fructibus, censibus, agris, campis, pratis, pascuis, siluis, borris, mellificijs, mericis, gaijs, rubetis, piscinis, piscarijs, fluuijs, riwis, aquis et earum decursibus ac attinencijs uniuersis, que nunc sunt, et in posterum fieri possunt, prout dicta hereditatis (sic) in suis signis, metis et limittibus, longe, lateque ac circumferencialiter est distincta ab alijs hereditatibus et limitata, veluti solus habuit et possedit, nichil in eadem hereditate pro se et pro suis posteris juris

(¹) Ex originali tabula in Archivo Capituli Vladislaviensis asservato, descripsit Muczkowski et Rzyszczewski. Duo sigilla erant. Hodie restant tantum taeniolae pargamenae. Conf. tabulam hanc cum proxime praecedente.

et dominij penittus (sic) reseruando, magnifico domino Mathie de *Bijelawij* castellano brzezinensi pro tricentis marcis melioris monethe post (sic) grossos polonicalis (sic) et numeri consueti eiusdem, videlicet quadraginta octo grossos in quamlibet marcam computando et pro equo in valore viginti marcarum, cum hoc ecciam (sic) pro stamine panni Machelensis ipsi domino Mathie et ipsius legitime posteritati ritte et laudabiliter ac ewiterne resignavit. Ipsaque villa per prefatum dominum Mathiam et eius liberos sit tenenda, habenda, vendenda, comutanda, danda, donanda et ad usus beniuoles (sic) conuertenda, prout sibi et suis successoribus legitimis melius et utilius videbitur expedire, uti fruenda pacifice et quiete. Et prefatus Andreas eundem dominum Mathiam debet et tenetur pro dicta hereditate intercedere et tueri a qualibet viventi persona iuxta iuris formam ad totalem prescripcionem. Harum, quibus in testimonium sigilla nostra presentibus sunt appensa. Datum in *Oppathow* feria sexta post festum sancte Lucie virginis, anno dominj millesimo quadringentesimo tricesimo. Presentibus hijs dominis Johanne de *Ostrow*, Dobeslao de *Zolcicze*, Petro de Wesmunthow, Nicolao de *Panchow*, Johanne de *Podgrodze*, Jacobo de *Wissoka* (sic) testibus ad premissa, ac alijs fide dignis. Scripta per manum Stanislai de *Janicowicze* tunc temporis notarij.

CCII.

Piliciae—die 3 mensis Aprilis 1431 anno.

Boleslaus dux Opoliensis in Silesia, Germano cuidam varia privilegia in terra sua *Piliciensi* donat (1).

In nomine Sancte et Indiuidue Trinitatis Amen. Nos Bolko dei gracia dux Slesie heres de *Opol* vna nostra cum consorte Elizabeth

(1) Ex tabula membranacea Staniątcensis monasterii propria descripsit Sławiński. Sigillum desideratur et nullum ejus vestigium.

herede in *Pylcza* ([2]) volentes et cupientes nostras augmentare hereditates in districtu nostrarvm hereditatvm Pylcensi alias vt tenemur dedimus Nykel Czenar vnum locvm pro edifficacione (sic) Thaberne inter duas fabricas videlicet *zawyerczska* ([3]) et inter *Bylanowska* ([4]) wlgariter nuccuppatens (sic) penes piscinam inferiorem *Zawyerczsky*. Insuper addimus sibi vnum locvm pro reparacione et edifficacione piscine in flvmine que wlgariter *Mosthky* nvcupatur (sic) cvm libertate quinque annorvm Sed elapsis quinque annis, extunc nobis aut nostris successoribus vnam sexagenam singulis annis soluere et dare sit astrictus videlicet mediam sexagenam ad festvm sancti Martini et aliam mediam sexagenam ad festvm sancti Joannis Baptiste Eciam vnum ortvm vel plures prout melius poterit et agros prata iuxta libitvm sue volvntatis extirpare ita longe et late prout sibi Petrus de *Rrzeptow* protunc noster Capitaneus Pylcensis vnacum Wlodario Gregorio de *Bylanowycze* assignarunt super arbores in Borra nostra wlgariter *Schosny* ([5]). In quo loco et Borra sit vt prefertur nostra, sua pro melioracione metas wlgariter *Schosny* non excedendo potest extirpare agros prata quantvm plus et magis voluerit Eciam in Thaberna predicta potest carnes et panem pistando vendere tanquam verus et legittimus heres. Qui eciam Nykel Czenar cvm citatus per aliquem fuerit hominem vel kmethonem non aliter nisi iuxta Consuetudinem nostrorum kmethonum in *Bylanowycze* coram nostro wlodario Jure teuto (sic) omnibus de se querulantibus respondebit Eciam ligna in Borra sua pro necessitate ac edifficacione domus et Thaberne excidet quantum sibi necessitas fuerit nullo Contradicente. Eciam damus ei omnimodam potestatem Thabernam predictam vendere commvtare ac alienare et ad vsus suos convertere prout sibi melius videbitur expedire datum in *Pylcza* feria Tercia post Pascha Anno domini Millesimo CCCC° XXX primo. In Cuius Rei testimonivm Sigillvm nostrvm est appensum presentibus Nobili Nicolao Sculteto de *Sla-*

([2]) *Pilica.*
([3]) *Zawiercie*, villa regionis Leloviensis in Cracoviensi provincia, (parochia *Kromołów).*
([4]) *Bielanowice*, villa ejusdem regionis et provinciae, (parochia *Kromołów).*
([5]) *Sosny: sosna* polonice, est *pinus* apud Romanos.

wnyow ([6]) Et providis viris Barthosio et Joanne *Wylk* Michaele Rathusny Joanne Sprowsky sartoribus Ciuibus in *Pylcza* et alijs pluribus fidedignis.

([6]) *Sławniów* villa ejusdem regionis, parochiae vero in urbe *Pilica*, que caput regionis est in territorio Ilcussiensi, ejusdem provinciae.

CCIII.

Cracoviae — die 7 aprilis 1431 anno.

Sbigneus **de** *Oleśnica* **episcopus Cracoviensis villam nuper collocatam,** *Otsieka* **dictam, jurisdictioni ecclesiae parochialis in oppido** *Żochow* **adjungit** ([1]).

In nómine domini amen. Nos Sbigneus deigracia Episcopus Cracouiensis, Significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis, Quomodo volentes Ecclesiam parochialem in *Żochow* Opido vberiori fructu ampliare et gracia paterna prosequi et amplecti villam in vulgari dictam *Othsijeka* in noua radice collocatam, que tempore locacionis sue nullo efficaciter Jure parochiali Ecclesie subiacebat, sed tamquam vaga in diuersis Ecclesijs sicut super hoc plenarie sumus informati diuina audiebat et ecclesiastica percipiebat sacramenta. Ipsam cum omnibus earum Incolis predicte Ecclesie in *Żochow* Jure parochiali adiungimus. asscribimus et annectimus per presentes, maxime ex eo quod prefata villa de prope et in parua distancia ab Opido predicto *Żochow* est situata. ita quod quomodosius (commodosius?) Rector Ecclesie in *Żochow* intendere valeat atque possit, Quocirca Vobis Rectori Ecclesie in *xangnicze* ([2]) et presentibus requirendis mandamus, quatenus auctoritate nostra omnibus et singulis kmethonibus et Inco-

([1]) Sławiński descripsit e tabula authentica Staniątcensi. Taeniola pargamena restat, sigillum deest.
([2]) *Xiążnice*, villa parochialis in Stobnicensi regione. Villam vero *Otsieka* et oppidum *Żochow* invenire non potuimus. De *Żochow* tamen conf. tabulam ad № CLXI praecedentem, pag. 321, hujus Tomi Codicis.

lis dicte Ville *Othsyeka* vniuersis precipiatis et mandetis seriose iniungentes tociens. quociens requisiti fueritis et id exposcat necessitas oportuna. vt omnimodo et deinceps Ecclesie parochiali in *Żochow* Jure parochiali sint subiecti Rectorique Ecclesie predicte pro tempore existenti in omnibus licitis et honestis obediant et intendant tamquam ipsorum vero legittimo pastori et Rectori. et aput (sic) eum ac ipsius Ecclesiam diuina audiant. et Ecclesiastica percipiant sacramenta, In cuius rei testimonium. Sigillum nostrum presentibus est appensum, Datum *Cracouie* die Saturni septima Mensis Aprilis, Anno domini Millesimo quadringentesimo Tricesimo primo, Presentibus Strenuis Militibus dominis, Petro de *Pijssari* Subcamerario Reginali. et Sigismundo de *Bobowa* Burgrabio Castri Cracouiensis et alijs multis fidedignis.

CCIV.

Cracoviae—die 28 Decembris 1431 anno.

Concordia inter monasteria Tinecense et Staniątcense de electione praepositi Staniątcensis et de juribus ejus, veterem litem ex amicabili compositione dirimens, et a *Sbigneo* de *Oleśnica* episcopo cracoviensi confirmata (1).

In nomine domini amen. Nos Sbigneus deigracia Episcopus Cracouiensis Significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis presentibus et futuris presencium noticiam habituris. Quomodo coram nobis Constituti personaliter Venerabilis in Christo pater dominus Stanislaus diuina paciencia (?) Abbas Tiniciensis suo et tocius Conuen-

(1) Sławiński descripsit tabulam hanc ex archetypo membranaceo in Tabulario Staniątcensis monasterii asservato. Taeniola sericea nigri et rosacei coloris appensum est medium sigillum, in quo cernitur effigies episcopi, haud dubio, Sbignei, in pontificalibus sedentis; a dextra manu ejus rex corona insignitus stans, dextra tenet vexillum, apud pedes vero regis alius episcopus genua flectit. A sinistra manu episcopi sedentis miles cum hasta in dextra manu cernitur. Apud pedes ejusdem sedentis episcopi et militis jacent duo scuta cum magnis crucibus, quae, ut diximus, insignia sunt stirpis Olesnicciorum. In scuto episcopali sub cruce character W. In ambitu inscriptio: *Sigillum sbignei dei et apostolice sedis gracia epi Cracouiensis*. Ab omnibus capitibus personarum in sigillo exaratarum radii exeunt, sicut a capitibus sanctorum.

tus nominibus ab vna et deo deuota Margaretha Abbatissa Sanctimonialium Monasterij in *Stanyathky* Ordinis sancti Benedicti suo et Conuentns sui tocius nominibus Cracouiensis dyocesis partibus ab altera volentes hinc inde parcere litibus, laboribus, controuersijs, displicencijs et expensis de vnanimi ipsorum voluntate et diligenti deliberacione mutuo prehabita sponte ac libere omnibus melioribus modo via Jure causa et forma quibus melius et efficacius potuerunt et debuerunt, de et super materia questionis et controuersijs inter ipsos occasione prepositi et prepositure in dicto Monasterio Sanctimonialium in *Stanyathky* et ipsius eleccione exortis vnanimiter et concorditer de alto et basso in nos et assessores nostros infrascriptos videlicet Reuerendum in Christo patrem dominum Johannem eadem gracia Episcopum Wladislauiensem necnon Venerabiles et honorabiles dominos Wladislaum de *Opporow* (²) decretorum doctorem vicecancellarium Regni Polonie Magistrum Andream de *Kokorzyno* Sacre theologie professorem archidiaconum Nicolaum *Pyenyaszek* prepositum Jacobum de *Zaborow* Johannem de *Elgod* decretorum doctores et Petrum *Chranstowsky* Canonicos Ecclesie Cathedralis Cracouiensis presentes et onus huiusmodi compromissi in se sponte ac libere suscipientes compromiserunt tamquam in arbitros arbitratores et amicabiles compositores a supradictis partibus signanter nominatos, dantes et concedentes predicte partes et earum quelibet coniunctim et diuisim nobis et dictis nostris assessoribus arbitratoribus et amicabilibus compositoribus plenam et omnimodam potestatem ac plenariam auctoritatem de et super omnibus et singulis discordijs et differencijs inter ipsos exortis occasione predicti prepositi prepositure predicti Monasterij Sanctimonialium in *Stanyathky* et eius eleccione coniunctim et diuisim summarie simpliciter ac sine strepitu et figura Judicij procedendi ordinandi componendi arbitrandi sentenciandi diffiniendi et pronuncciandi in scripto uel non in scripto, Juris ordine seruato vel non seruato promittentes predicte partes stipulacione manuum sollempni se ratum gratum atque firmum perpetue habiturum seruatu-

(²) Factus anno 1432 sequenti episcopus cujaviensis, et 1449 primas archiepiscopus gnesnensis. *Oporow* villa ejus propria in antiqua Lanciciensi provincia.

rum et impleturum totum id quidquid nos et iam dicti nostri assessores arbitri arbitratores et amicabiles compositores diffiniuerimus pronuncciauerimus ordinauerimus Sentenciauerimus arbitrati fuerimus et laudauerimus in premissis, nec ab huiusmodi ordinacione sentenciacione laudacione diffinicione et arbitracione umquam prouvocare et appellare velle vel alias quouismodo contradicere seu contrauenire directe vel indirecte tacite vel expresse aut vllo ad hoc quesito colore seu ingenio sub penis valatis per nos et prefatos nostros assessores arbitros arbitratores et amicabiles compositores Tricentarum Marcarum pecunie communis in Regno Polonie decurrentis, quarum medietas nobis et prefatis assessoribus nostris, altera vero pars parti tenenti per partem non tenentem irremissibiliter debet persolui et sub pena excomunicacionis protunc per nos de facto late sentencie et tociens quociens aliqua dictarum parcium non tenuerit vel tenere renuerit (renituerit?), sentenciam huiusmodi infrascriptam. Illa tamen pena commissa vel non commissa. soluta vel non soluta nichilominus presens compromissum ac omnia et singula in eo contenta in suo permaneant et permanere debent robore atque firmitate, atque omnia susprascripta prefati, Stanislaus Abbas suo et tocius sui Conuentus Tiniciensis ab vna, et Margaretha Abbatissa eciam suo et tocius sui Conuentus Monasterij de *Stanyathky* nominibus predictis, partibus ab altera, se sponte et libere submiserunt. Quo sic compromisso facto nos Sbigneus Episcopus prefatus vnacum supradictis assessoribus nostris et parcium predictarum arbitris arbitratoribus et amicabilibus compositoribus visis consideratis et diligenter examinatis circumstancijs vniuersis in premissis et eorum singulis Juribus literis et munimentisve allegacionibus et responsionibus ex vtraque parte factis et in medium productis et oblatis volentes huiusmodi litibus vexacionibus controuersijs et questionibus occasione predicti prepositi et prepositure ac eleccione eiusdem et alijs in presenti compromisso contentis dare finem et inter ipsas partes pacem et amicabilem facere composicionem iuxta potestatem et auctoritatem nobis attributam. parcium predictarum precibus acclinati ipsorum huiusmodi arbitrium et amicabilem composicionem ac laudum pronuncciauimus et Sen-


tenciauimus ac pronuncciamus et Sentenciamus in hunc modum Cristi nomine inuocato ex cuius vultu iusta procedunt iudicia. Nos Sbigneus deigracia Episcopus Cracouiensis etc. per hanc nostram arbitralem Sentenciam quam ferimus in hijs scriptis arbitramur pronuncciamus laudamus decernimus declaramus diffinimus et Sentenciamus primo ac principaliter et ante omnia. Quod in eodem Monasterio in *Stanyathky* sit prepositus per Abbatissam et Sorores eiusdem Conuentus electus qui valeat eisdem virginibus in Spiritualibus et Regularibus curam exercere. Ita tamen quod prefatus prepositus sit temporalis ad voluntatem Abbatisse remouibilis et si quod absit Abbas requisitus per Abbatissam et Conuentum suum suarum Sororum in hoc negligens fuerit, extunc recurratur ad Episcopum qui cognita causa racionabili ipsum sine difficultate remouebit quo ammoto Abbatissa cum suo Conuentu habebunt potestatem alium prepositum de eodem Monasterio Tiniciensi eligere quem sic electum Abbas Monasterij predicti si dare eundem Abbatisse et Conuentui suo Sororum recusauerit, extunc alium religiosum cuiuscumque regule de quocumque Claustro Regni Polonie Abbatissa et Conuentus predicti habebunt potestatem eligendi. Item quod Abbatissa cum preposito constituant vnum procuratorem spiritualem uel secularem qui bona temporalia eiusdem Monasterij in *Stanyathky* gubernabit Terminos attemptabit et hospites aduenientes suscipiet, de consensu tamen et mandato Abbatisse et prepositi omnia et singula idem procurator ordinet et disponat, qui eciam procurator singulis annis et tociens quociens requisitus fuerit, Abbatisse cum preposito tenebitur reddere racionem de Censibus et alijs Monasterij huiusmodi obuencionibus. Ordinamus eciam quod bona et omnes et singule pecunie siue Census Monasterij predicti reponantur in vnam Cistam comunem (sic) in Thesauro Monasterij in *Stanyathky* sub triplici seratura. Ita quod vnam clauem habeat Abbatissa. secundam prepositus, et terciam vna Soror quam ad hoc elegerint cetere Sorores eiusdem Conuentus et de eodem Thesauro comuni non aliter nisi de scitu istarum personarum trium pro vtilitatibus singulis et necessitatibus tam Monasterij quam Abbatisse prepositique et Sororum iuxta statum et condicionem earun-

dem prouideatur. Item ordinamus quod predictus prepositus habeat secum duos presbiteros sui ordinis pro diuino officio in dicto Monasterio adimplendo et vltra istos duos presbiteros idem prepositus tantum duobus familiaribus pro seruicio suo necessarijs sit Contentus. Item ordinamus quod Mensa prepositi presbiterorum et procuratoris sit comunis Quantitatem vero familie procuratoris predicti secundum quod expedire videbitur Abbatissa cum preposito et Sororibus potestatem habeant moderari Ita tamen quod a modo predicti prepositi prepositure et eius eleccionis occasione vna pars alteram partem quoquo modo decetero impedire vexare perturbare vel alias quouismodo molestare directe vel indirecte non presumat sed perpetuum silencium habere debent occasione huiusmodi cause. Declaracionem vero limitacionem. correccionem. et interpretacionem huiusmodi nostre Sentencie et omnium premissorum tociens quociens expedierit nobis imposterum reseruamus. Cui quidem nostre huiusmodi pronunçciacioni diffinicioni declaracioni concordie amicabili composicioni ac arbitrali sentencie predicte partes in nullo contradicentes. siue contrauenientes consenserunt et eam approbauerunt et emologauerunt per expressum. In cuius rei testimonium presentes nostras Sentencie pronuncciacionis composicionis ac ordinacionis huiusmodi literas per Martinum Mathie de *Scawyna* Clericum nostre dyocesis publicum Imperiali auctoritate Notarium et facti huiusmodi coram nobis scribam infrascriptum subscribi et publicari nostrique appensione Sigilli iussimus comuniri Acta sunt hec Anno domini Millesimo Quadringentesimo Tricesimo primo Indiccione nona Pontificatus Sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Eugenij diuina prouidencia pape Quarti Anno primo die vero Saturni vicesima octaua Mensis decembris horis completorijs vel quasi in domo habitacionis discretorum Cunradi Altariste et Johannis Zydowka (sic) ac dominici vicariorum perpetuorum Ecclesie Cathedralis Cracouiensis sita in Castro Cracouiensi Presentibus ibidem Honorabili (sic) Strenuis Nobilibus ac prouidis Nicolao Rectore Ecclesie parochialis in parua *Xansz* (²) Paulo de *Bogumylowicze* Judice, Sigismundo. de *Boboua* Subiudice Cracouiensibus Hankone de *Chelm*

(²) Xiąż.

Gregorio et Petro de *Branicze* heredibus Nicolao de *Xansz* Notario publico et alijs quampluribus fidedignis Testibus circa premissa.

Et ego Martinus Mathie de *Scawina* clericus Cracouiensis diocesis publicus Imperiali auctoritate Necnon Reuerendi in Christo patris et domini domini Sbignei deigracia Episcopi Cracouiensis ac Reuerendi in Christo patris et domini domini Johannis eadem gracia Episcopi Wladislawiensis, necnon venerabilium et honorabilium virorum dominorum Wladislai de *Opporow* decretorum doctoris vicecancellarij Regni Polonie Magistri Andree de *Cokorzyno* Sacre theologie professoris Archidiaconi Nicolai Pyenyanszkonis prepositi Jacobi de *Zaborow* Johannis de *Elgod* (3) doctoris in decretis et Petri *Chranstowsky* Canonicorum tamquam coarbitrorum et assessorum prelibatorum Notarius factique huiusmodi coram ipsis scriba. Quia dictis Compromisso pene in eodem contentis submissioni arbitracioni pronuncciacioni diffinicioni declaracioni Sentencie perlacioni et eiusdem emologacioni laudoque et decreto, ac alijs omnibus et singulis premissis dum sic ut premittitur agerentur et fierent vna cum prenominatis testibus presens interfui eaque sic fieri vidi et audiui Ideo me occupato alijs arduis per alium fideliter scribi et ingrossari procuraui, et in hanc publi-



(3) *Ligota*.

uam formam redigens manu propria subscripsi Signo et nomine meis solutis et consuetis consignando vna cum prefati Reuerendi patris Episcopi Cracouiensis appensione Sigilli et de mandato ipsius, ac consensu et voluntate dominorum arbitrorum et assessorum memoratorum speciali rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum.

CCV.

Cracoviae, die 1 Januarii 1432 anno.

Vladislaus Jagello rex Poloniae privilegium Ludovici regis monasterio Staniątcensi datum, confirmat (1).

In nomine domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam Cum inter humane nature comoda nichil dignius memoria habeatur opportunum existit vt Actus hominum literarum apicibus et testium annotacione perhennentur Ne lapsu temporis euanescant Proinde Nos Wladislaus deigracia Rex Polonie necnon Terrarum Cracouie Sandomirie Siradie Lancicie Cuyauie Lythwanieque Princeps Suppremus Pomeranie Russieque Dominus et Heres etc. Significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis presentibus et futuris presencium noticiam habituris. Ad nostre Maiestatis presenciam accedens Religiosa et deodicata Margaretha Abbatissa Monasterij de *Stanyothkj* ordinis Sancti Benedicti optulit (sic) quotdam (sic) Priuilegium Regis Lodiwici predecessoris nostri non viciatum non suspectum omni vicio et suspicione carentem petens humili debitaque precum instancia quatenus de benignitate nostra Regia illud Ratificare Gratificare Aprobare (sic) et Innouare dignaremur Cuius tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis.

(1) Sławiński descripsit. Tabula membranacea Staniątcensis monasterii propria. Taeniola serica. Sigillum majestaticum cum insignibus septem terrarum, sed non totum; in abrupta parte ejusdem, insignia duarum terrarum erant.

(Hic sequitur idem verborum ordo, quem jam supra dedimus—conf. tabulam ad N° CLXIV, pag. 325).

Nos itaque peticionibus ipsius tamquam iustis et racioni consonis. benigniter acclinatj De innata nostre Celsitudini Clemencia Ipsum Ratificamus Gratificamus Approbamus et confirmamus in omnibus suis punctis Articulis et condicionibus decernentes robur optinere perpetue firmitatis. Harum quibus Sigillum nostrum appensum est testimonio literarum. Actum *Cracouie* feria tercia ipso die Circumcisionis dominj Anno eiusdem Millesimo Quadringentesimo Tricesimo secundo Presentibus Reuerendis in Christo patribus dominis Sbigneo deigracia Episcopo Cracouiensi et Johanne eadem gracia Episcopo Chelmensi Necnon Magnificis et Strenuis Johanne de *Tarnow* Cracouiensi Petro *Schaffranyecz* Sandomiriensi Pallatinis (sic) Petro Cracouiensi Andreaque Dobrzinensi Subcamerarijs et Abraham Nigro de *Gosczicze* tutore Monasterij predicti et alijs fidedignis Datum per Manus Reuerendi in Christo Patris domini Johannis deigracia Episcopi Wladislawiensis Cancellarij et venerabilis Wladislaj de *Opporow* decretorum doctoris prepositi sancti ffloriani vicecancellarij Regni Polonie sincere nobis dilectorum.

CCVI.

Wisliciae—die 25 mensis Junii 1435 anno.

Albertus Malski Castellanus Lanciciensis et capitaneus Novae Civitatis *Korczyn* dictae, judicio suo, inter oppidum *Krzyżanowice* et praepositum ejusdem loci, litem antiquam dirimit (1).

1539. Sigismundus deigracia Rex Polonie, Magnus Dux Lithuaniae, Russie, Prussie ac Mazouie etc. dominus et heres. Significamus teno-

(1) Ex originali tabula in Archivo Regni Poloniae ad N° 1544. asservato Muczkowski descripsit: privilegium nostrum in transumpto regis Sigismundi primi a. 1539 legitur. Sigillum desideratur.

In dorso privilegii legimus sequentia: Expediuit literas has Stanislaus aduocatus Swyercz, et Martinus Laczko villicus de eadem villa *Crzizanowice*.

re presentium, quibus expedit uniuersis presentibus et futuris harum noticiam habituris. Quia exhibite sunt coram nobis ab incolis seu cmetonibus ville *Krzizanowicze* in Capitaneatu Nove Ciuitatis *Corczin* sitte, occasione ordinacionis seu constitucionis laborum inter ipsos colones (sic) et cmetones ville *Crzizanovicze* et prepositum ipsorum de ibidem facte per Generosum quondam Albertum Malski Castellanum Lanciciensem et Capitaneum Nove Ciuitatis *Corczin*, supplicatumque est nobis humiliter ipsorum colonorum nomine, ut easdem litteras confirmare, approbare, ratificareque eas dignaremus, quarum tenor sequitur huiusmodi.

1435. Nos Albertus Malski Castellanus Lanciciensis Magister Curie Regine Polonie, Tenutarius Dopschiczensis et Capitaneus Nove Ciuitatis. Significamus tenore presentium omnibus et singulis presentibus et futuris noticiam presentium habituris uniuersis. Quomodo cum prouidi omnes et singuli oppidani siue incole tocius ville siue oppidi *Krzizanowicze* ([2]) ab una et Honorabilis ac Religiosus dominus Thomas ibidem de *Krzizanovicze* prepositus ex altera partibus, in in (sic bis) laboribus et in aliis ad obedienciam iuridicam pertinentibus inter se a retroactis temporibus discordarentur. Ita tamen, quod ambe partes predicte in tali discordia ad nos sepius confluebant, literam priuilegialem ostendentes, cupientesque et petentes per nos ipsis unionem laborum et aliarum discordiarum inveniri et terminari. Tandem nos ipsorum predictam discordiam perpendentes et diem certum videlicet ipso die date presentis ipsis assignantes, et Magnificos, Strenuos, ac Nobiles viros videlicet Joannem de *Sprowa* Judicem et Joannem dictum *Borütham* de *Conyn* subiudicem terre Sandomiriensis generales, nec non Petrum Chelmski Castellanum Polanecensem cum aliis infrascriptis testibus vocantes et specialiter petentes nobiscum tanquam pro tribunali residere, et partes iam dictas in ipsorum discordiis exaudire et iudicare. Tunc nobis presidentibus iudicio, predicti incole causam erga dominum prepositum multiplicantes, literam priuilegii et prime arbitrationis sub publico instrumento confirmatam,

([2]) De villa *Krzyżanowice* jam supra.

non suspectam, non violatam ad ius ipsorum ostenderunt, et supradictis Judici etc. porrexerunt, petentes circa ius ipsorum adiudicarj, et recognoscentes sub ipsorum consciencia labores et obediencias, quibus antiquitus respondebant. Judex vero littera recepta, cum aliis supradictis presidens, et bene masticata, dominum predictum prepositum primo, secundo, tercio, et ultra ius quarto requisiuit, an contra predictum priuilegium aliquid habuisset dicere vel vituperiose obicere. Ille vero precogitatis dixit privilegio non vituperare alias *nieprzyganiacz*, nos tandem cum iam dictis dominis iusticiam attendentes, et ipsam unicuique ministrare cupientes tantum de nostra racione deum plasmatorem omnino pre oculis habentes, predictos incolas, circa priuilegium adiudicauimus et per presentes adiudicamus, decernentes juridice predictos omnes incolas domino preposito et Conventui labores et alia infrascripta in hunc modum perficere et implere singulis annis. Quia dicti incole de *Crzizanowicze* in verre alias *na wiossną*, agrum incipendo ab ortu solis usque ad meridiem uno die arare, et post meridiem ad tempus serotinum, quod fuerit opportunum, seminare et arpicare sint astricti. Aliud vero, quod dicitur *ugor* incipiendo a matura prelibacione eciam ad meridiem arabunt et iuxta consuetudinem agri disponent, similiter ad seminaturam uno die ad meridiem et post meridiem, quo die prepositus seu Conuentus voluerit ad vesperam seminabunt et arpicabunt aspicione de Conuentu habita, per unum vero currum frumentorum et per unum currum feni quilibet ipsorum de laneo ad curiam de campis conducere sint astricti. Pratum quod antiquitus in expensis de Conuentu falcastrabunt iam a modo in propriis expensis uno singulis annis falcastrabunt per totum diem. De alio vero, quod esset superfluum, dominus prepositus siue conuentus prouidebit. Eciam predicti Cmethones siue incole pro manifesta indigencia Ecclesie, Curie, aut molendini arbores siue robora conducere debent, dum fuerit opportunum construere vel emendare aliquid manifeste intrapredictis (sic) Ita tamen, quod dominus prepositus, qui pro tunc fuerit, arbores superfluos vendere non tenebitur, nec inaniter disipare (sic). Et quia agger eciam in ibidem sepius rumpitur, ideo predicti incole ad violentam aggeris ruptionem currere debent

si fuerit opportunum cum curribus et emendare, vel illo tempore, quod esset ad aggerem necesse conducere. Demum iam dicti incole domino preposito, aut conventui in censibus et in aliis consuetis redditibus et dacionibus irrecusae (sic) respondebunt. Ita tamen, quod dum predicti incole de his suprascriptis aliqua inaduertencia Conuentui negligenciam fecerint, tunc dominus prepositus siue conuentus non pignorando ad capitis (sic) confluat, vel ad vicesgerentem, ut ipsi habito pignore, ad satisfactionem coarcerentur, alias solus dominus prepositus impignoraretur, iuxta sentenciam suprascriptorum dominorum, quam tunc sentenciam ut premittitur factam predicti incole audientes memoriale dederunt, et hinc acclinati sunt propter discordiam, quam cum Conuentu diutius habebant. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Actum et datum *Vislicie* die dominico proximo post festum sancti Joannis Babtiste (sic) anno domini millesimo quadringentesimo trigesimo quinto. Presentibus strennuis et nobilibus Dobkone de *Ulelin* Tribuno Stązicensi, Clemente de *Sopichow*, Joanne de *Cretkow* Capitaneo Radomiensi Prandota de *Gori* et Petro de *Czarnkow* et aliis quam pluribus fidedignis testibus ad premissa.

1539. Nos igitur Sigismundus Rex attendentes ipsorum Colonorum villa *Crzizanowicze* peticionem fore iustam et rationi consonam easdem literas ordinacionis laborum ipsorum in quarum possessione hactenus fuerint in toto earum tenore confirmandas, approbandas et ratificandas duximus, confirmamusque, approbamus et ratificamus presentibus. Decernentes eas et omnia in eis contenta robur debite et perpetue firmitatis habituras, juribus tamen nostris ibidem saluis permanentibus. Harum testimonio litterarum, quibus sigillum nostrum presentibus est appensum. Actum et datum *Cracouie* in Conventione generali feria quinta post dominicam Inuocauit proxima. Anno domini millesimo quingentesimo trigesimo nono. Regni vero nostrj anno trigesimo tercio.

Paulus de *Vola*
R. P. Cancellarius.

Relacio Magnifici Pauli de *volia* R. Polonie Cancellarii Burgrabii Cracouiensis et Capitanei Gostinensis.

CCVII.

Cracoviae — die 1 martii 1437 anno.

Receptio *Svantopelci* de *Gorzow* in familiam Vladislai regis Poloniae et obligatio ipsius (1).

Ego Hinczka Swanthopelk de *Gorzow* significo tenore presencium, quibus expedit uniuersis. Quod ex quo per serenissimum principem dominum Wladislaum dei gracia Polonie etc. Regem dominum meum graciosissimum sum in familiarem receptus, sibi domino Regi et sue Corone omnem fidem, fideique constanciam, assistenciam et obedienciam pollecor (sic) et sub fide, honore, onereque prefati corporalis juramenti seruandam (sic) promitto, fidelisque et obediens esse contra quoslibet rebelles atque hostes statusque et cuiuslibet preeminencie, condicionis homines esse volo, excepto preclaro principe domino Bernhardo dei gracia duce Opoliensi etc. domino meo, ipsum dominum regem, coronam de singulis aduersitatibus atque hostilitatibus, quascumque audiuero, sciuero et intellexero, undecumque sint, per se, uel nuccio (sic) premuniam (sic) et auizabo. Aduersarios Corone et Regni cum auxilio sue Serenitatis insequi, detinere et fugare; metas eciam seu granicies Regni pro extremo posse meo tuerj et defendere ab insultibus quorumcumque debeo et me presentibus obligo. Ad similemque assistenciam nobilem Nicolaum de *Ruszcze* fratrem meum infra hinc et festum Penthecostes proximum, et ad inscripcionis formam inducere volo, que inscripcio, dum offeretur meo et suo nominibus sub hijs atque verbis hanc clausulam volo esse restituendam. Harum, quibus sigillum meum presentibus est appensum testimonio literarum. Actum et datum *Cracouie* feria sexta proxima ante Oculi dominicam sub anno domini M°. CCCC°. XXXVII°.

(1) Ex originali in Archivo Regni ad N° 277 asservato descripsit Antonius Muczkowski. Sigillum desideratur, taeniola pargamena restat. Tabula ipsa provinciam Silesiam spectat.

CCVIII.

Cracoviae — die 20 Februarii 1437 anno.

Vladislaus Rex Poloniae contractum permutationis aduocatiae in civitate *Jaslensi* et villarum *Zlotniki* et *Kramcze* inter Marcussium de *Popey* et Procopium de *Cruzlowa* factum confirmat (1).

Wladislaus dei gracia Rex Polonie Lithuanieque princeps suppremus et heres Russie etc. Significamus tenore presencium, quibus expedit universis. Quomodo venientes ad nostram, prelatorumque, baronum et tutorum nostrorum presenciam strenui et nobiles Marcussius de *popeij* castellanus *lauensis* (2), aduocatus noster in *Jasslo* ex una, et procopius de *Cruzlowa* (3) parte ex altera fideles nostri dilecti, talem inter se pro bonis eorum infrascriptis hereditarijs fecerunt ordinacionem, sic videlicet quod prefatus Marcussius aduocaciam suam predictam in *Yassijel* (4), opido nostro regali in districtu Byecensi sito, cum omni jure, dominio et proprietate prout solus tenuit et habuit nihil horum juris, dominij et proprietatis pro se uel suis successoribus in eodem penitus reseruando, jam dicto procopio pro alijs bonis seu villis ejus *zlothnyky* et *kramcze* in districtu tanczinensi jacentibus similiter cum tocius juris, dominij vel proprietatis plenitudine rite, racionabiliter et in perpetuum permuttavit, supplicacionem celsitudini nostre humiliter et deuote, (sic!!) quatenus de innata nobis clemencia dictum permuttacionis contractum ipsius. aduocacie in *Jassel* (sic) admittere in ipsumque procopium assentire benigne dignaremur. Quorum tandem precibus velud (sic) justis et honestis de consilio prelatorum,

(1) Literas Vladislai Regis super advocatia in Jasslo ex libris Tabularii Regni Poloniae „Metryki koronne" dictis (vol. 17 fol. 324). Ant. Muczkowski descripsit.

(2) Locum nescimus.

(3) *Kruzlowa* villa in regione olim sandecensi, cracoviensis provinciae (1676); nunc vero in Gallicia.

(4) *Jaslo*, urbs, hodie in Gallicia, circuli sui nominis caput.

baronum et tutorum nostròrum predictorum clementer annuentes dictam ratam atque gratam habentes permutacionem, ipsamque admittimus, decernentes eam robur obtinere firmitatis. Harum testimonio literarum, quibus sigillum nostrum est appensum. Datum *Cracouie* feria quarta proxima post Dominicam invocavit anno domini millesimo quadringentesimo tricesimo septimo presentibus reuerendis patribus dominis Sbigneo Cracouiensi. Wladislao Wladislauiensi, Paulo Camenecensi episcopis, nec non magnificis Nicolao de *Misschowo* ([5]) Castellano Cracouiensi, Sandiuogio de *Osstrorog* (sic) poznaniensi, Johanne de *Czizow* Sandomiriensi pallatinis, testibus circa premissa.

Ad relacionem Magnifici Clementis *Wantropka* de *Strzelcze* Castellani Woyniciensis.

([5]) De *Michalowo* esse deberet.

CCIX.

Lublini—die 30 Decembris 1437 anno.

Coram judicibus, nobiles *Pelka* et *Zblank* de *Jaszczow*, fratres inter se germani, contractum certum recognoscunt, quo alter fratri suo ruthenicum sacerdotem alter vero invicem totam partem suam in villa *Bialka* dictam, donat ([1]).

Nos Johannes de *Kyelczowicze* ([2]) Judex et Nicolaus de *Prawidlniki* ([3]) subjudex terre lublinensis generales. Significamus tenore presencium, quibus expedit universis presentibus et futuris, presencium noticiam habituris. Quomodo venientes Nobiles Pelka et Zlbak de *Jaszczow* ([4]) fratres germani recognouerunt talem inter se contra-

([1]) Ex tabula authentica doctissimi olim Ignatii Zagórscii, de historia rei monetariae in Polonia optime meriti, propria (mort. 1854), descripsit Ant. Muczkowski. Sigilla desunt. Conf. tabulam sequentem sub a. 1475 typis mandatam.
([2]) *Kielczewice* villa parochialis Lublinensis regionis.
([3]) *Prawiedniki* villa ejusdem territorii et regionis (parochia *Krężnica fara* appellatur).
([4]) *Jaszczow* villa est Lublinensis territorii regionisque, (parochia villae *Biskupice* dictae).

ctum, et comutacionem videlicet, quod Pelka eidem fratri suo *Zlbank* (sic) dedit suum sacerdotem ruthenicum alias *popu* et cum ecclesia et super quo idem sacerdos sedet *Zlbank* vero eidem fratri suo Palce dedit totam suam partem in villa *Byalka* (5) cum piscina inferiori, cum molendino et cum obstaculo in .... et cum mellificio alias z *brczą* (sic) (6) in borra et in siluis, exceptis mellificijs in superiori silua, que sunt Nicolaj fratris eorum usque ad *Byalkam* fluuium et cum omnibus attinencijs quibuscunque nominibus vocantur, exceptis eciam pratis que sunt ville *Jaszczow*. Homines vero predicti Zlbank libertatem habebunt omnimodam ligna excidere in Borra ville *Byalka* et asseres, *dranicza* facere et habere (venas in eis) excepto si homines sui inuenirent apes alias *Swepijotho* (7) eos debet reuelare eidem Palcze et esse debent. Pelka vero addidit eidem Zlbank quadraginta et quinque marcas mediorum grossorum numeri et monete polonicalium, quam contractum et commutacionem tenere debent inter se perpetue et in evum, et alter alterum tuere (sic) debet jure juxta terre consuetudinem. In cuius rei testimonium sigilla nostra presentibus sunt appensa. Datum in *lublin* feria secunda in crastino sancti Thome Episcopi anno domini millesimo quadringentesimo tricesimo septimo. Presentibus nobilibus Johanne *Wlostowskij* venatore lublinensi Petro *Psonka* de *Radawyecz*, strenuo Nicolao de *Thinka*, Jacobo de *Kozicze*, Miroslao de *Strzelcze*, Nicolao de *Jaszczow* et Pelka de ibidem heredibus et alijs quam pluribus fidedignis.

(5) Multae sunt villae ejusdem nominis in veteri Podlachiensi et Lublinensi provincia. Est *Bialka* in Biskupicensi parochia una cum villa *Jaszczow*; haud dubio de illa agitur.

(6) Z barcią.

(7) *Swiepiet*, verbum antiquum polonicum, hodie inusitatum. In veteribus Lithuanorum legibus, vulgo *Statut Litewski* dictis, legimus: „ktoby swiepiet umyślnie w czyim lesie porąbał i miód wybrał, ma za to sześć rubli groszy zapłacić." *Swiepiet* itaque significat *alveare*, vulgo polonice *ul*.

CCX.

Cracoviae — die 8 Junii 1439 anno.

Schachna uxor Nicolai de Gniewięcin villas suas haereditarias Widczice, Mikluszovice, Maczina et Glodnye, Petro de Czcikovice vendit coram judicio terrestri (1).

Nos Johannes Reij de *Schumsko* (2) Judex et Philipus de *Chroberz* (3) Subjudex terre Cracouiensis generales notum facimus, quibus expedit uniuersis presentibus et futuris presencium noticiam habituris. Quod cum in Curia Serenissimi principis et domini domini Wladislai dei gracia Regis Polonie pro tribunali sedebamus, tunc ad nostram nostrorumque assessorum accedens presenciam Nobilis domina Schachna consors Nicolai de *Gnewanczin* (4) filia Nobilis olim Andree de *Widczicze* sana mente et corpore existens non compulsa, neque coacta, sed de bona eius voluntate totas partes suas patrimoniales ac paternas, quas pater suus tenuit, hoc totum medium videlicet in *Widczicze*, in *Micluschouicze*, in *Maczina* et in *Glodnye* (5) cum omni jure, dominio utilitatibus, fructibus, prouentibus, incolis, censsibus (sic) redditibus, areis, domibus, agris, pratis, campis, pascuis, planiciebus, fluuijs, aquis, piscinis, thabernis, molendinis, silwis, gagijs (sic), mericis, borris, rubetis, mellificijs, et uniuersis dictarum parcium pertinencijs, dependencijs, et coherencijs, quibuscumque nominibus vocitentur nichil pro se et suis successoribus legittimis ibidem Juris seu proprietatis et dominij

(1) Ex originali tabula in Archivo Regni Poloniae asservata descripsit Ant. Muczkowski et Rzyszczewski. Duo olim sigilla fuerant, quorum unum et hodie etiam restat, minus in filo membranaceo; in sigillo hoc inscriptio penitus deleta, sed insigne apud Polonos „*Topor*" dictum, distincte videri potest. In dorso tabulae vetus polonica inscriptio sequens: Scachna szona Mycholayowa gnevczkego przedalau Myklusovycz.

(2) *Szumsko*, villa est hodie parochialis, Staszoviensis regionis, Sandomiriensisque territorii.

(3) *Chroberz*, villa parochialis, jam superius laudata, sita est in Miechoviensi territorio.

(4) *Gniewięcin* villa regionis Miechoviensis, Cracoviensis hodie provinciae.

(5) Villas has nescimus.

penitus reseruando, pro sexingentis marcis videlicet trecentis mediorum grossorum et tricentis marcis comunis monete bene electe cracouiensis numeri polonicalis consueti, Nobili domino Petro de *Czczikouice* heredi et ipsius posteris legittimis in totum vendidit et imperpetuum judicialiter resignauit per ipsum Petrum dictas partes hereditatum tenendas, habendas, utifruendas, vendendas, commutandas, donandas alienandas et in usus suos et eorum successorum beneplacitos libere conuertendas, promittens eundem dominum Petrum Czcicowszkij (sic) una cum Nicolao de *Gnewaczyn* marito suo predicto ab omnibus impedimentis atque dampnis, quarumlibet personarum occasione premissorum iuxta consuetudinem terrestrem cracouiensem ubilibet intercedere et releuare ambo manibus coniunctis fideiubentes et promittentes, unus pro reliquo scilicet Schachna predicta pro marito suo Nicolao, et idem Nicolaus pro ipsa domina Schachna uxore sua protegere occasione predictarum hereditatum. In cuius rei testimonium sigilla nostra presentibus sunt appensa. Actum et datum *Cracouie* feria secunda infra octauas Corporis Cristi anno domini millesimo quadringentesimo tricesimo nono. Presentibus hijs validis ac nobilibus dominis Petro Saffranecz de *Pyeschcowa zkala* (sic) succamerario cracouiensi, Nicolao de *Czciborza* Castellano Wladislauiensi, Stanislao *Czuikla* de *Conin* Vicecapitaneo Cracouiensi, Hancone de *Chelm* Nicolao *Sijesztrzenecz* de *Jarossowa*, Stanislao de *Moycouice* heredibus, alijsque pluribus fidedignis.

CCXI.

Cracoviae — die 11 mensis Januarii 1440 anno.

Privilegia Vladislai tertii regis monasterio S. Benedicti in Monte Calvo largiter concessa (1).

1445. In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam Nos Kazimirus dei gracia Rex Polonie nec non Graccovie (sic) Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuiauie, magnus dux Lithuanie, Russie, Prussieque, nec non Culmensis, Consgbergensis (? sic) Elbingensis, et Pomeranie terrarum heres et dominus etc. Significamus tenore presencium quibus expedit uniuersis presentibus et futuris presencium noticiam habituris. Quomodo uolentes diem extremum iudicii pietatis operibus preuenire et predecessorum nostrorum quos pia mouit deuocio ecclesiarum defectibus subuenire ac gesta eorum imitari pro quorum hic oblacione in futuro speramus multiplices retribuciones premiorum adipisci, ad peticiones igitur venerabilis ac relligiosi (sic) patris Michaelis Abbatis monasterii sancte crucis calui montis (2) ordinis sancti Benedicti deuote nobis dilecti, quibus nobis pro parte tocius conuentus supplicauit humiliter, quatenus priuilegium super quibusdam libertacionibus dicti monasterii, per serenissimum principem dominum Vladislaum Regem Polonie germanum nostrum concessum, ratificatum,

(1) Transumptum hoc descripsit ipse illustrissimus Leo Rzyszczewski.—Tabula nostra a. 1440, in confirmatione Casimiri Jagellonis a. 1445 invenitur, qua de causa transumptum totum huc edimus. De libro vero manuscripto, ex quo tabulas deprompsit Rzyszczewski, jam in hoc Tomo Codicis pag. 231, in annotatione prima, nonnulla diximus.

(2) Vulgo *Łysa Góra*, mons, de quo jam supra Michael abbas, de quo saepe in tabulis inferius typis exaratis invenies lector mentionem, e gente Lipsciorum, haeredum de *Lipie*, insignis *Szreniawa* apud Polonos dicti, originem suam duxit. Doctor philosophiae in academia Cracoviensi fuit, vir eruditionis plenus, maxime de scientiis, de patria et de suo monasterio meritus. Orator regis Casimiri ad Nicolaum V. Papam et Fridericum inperatorem. Abbas ab a. 1455, mortuus est 26 decembris 1477. Illius temporibus, fratres S. Benedicti de Calvo monte plurimos codices scripserunt.

et confirmatum, aprobare, innouare, ratificare dignaremur; cuius quidem priuilegii tenor de uerbo ad Verbum sequitur in hunc modum:

1440. In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Cum labilis humane nature condicio nihil de sorte huius caduci fastigii penitus creditur hinc deferre post discessum nisi quod piis operibus illuc videbitur premisisse: nostra igitur humanitas que locum munificencie uidetur exquirere et interdum personis minus necessariis amore clemencie sua desideria largiatur quanto graciosi intuitu ad ministros quos ad fidei catholice et cultus sui propagacionem inefabilis diuine prouidencie deputauit altitudo ac sacrarum edum immunitates et profectum uota sua dirigere debent (3) et conferre ubi quicquid tribuitur donantis utilitas multiplicato fructu hic et in eterna mansione augeatur. Proinde nos Vladislaus tercius dei gracia Rex Polonie, nec non terrarum Graccovie (sic) Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuiauie, Lituanie princeps suppremus, Pomeranie, Russieque dominus et heres. Significamus tenore presencium quibus expedit uniuersis presentibus et futuris harum noticiam habituris: Quomodo ad nostre magestatis accedens presenciam venerabilis pater Mathias abbas monasterii sancte crucis Calui montis ordinis sancti Benedicti, deuotus noster dilectus, sua conventusque sui porrecta (4), quamdam litteram seu privilegium pargameneum sigillo magestatis sigillatam, diue memorie serenissimi principis domini Vladislai, olim Regis Polonie progenitoris nostri charissimi omni prorsus uicio et suspicione carentem, de et super omnium bonorum et uillarum claustri et conuentus predictorum libertacione et exempcione, ab exactionibus, solucionibus, contribucionibus, tributis, collectis, a *sepi*, *narzaz*, *poradlne*, vulgariter *Croliesthuo*, uecturis, ducturis, *poduodis*, agrorum pratorum, messium, poncium laboribus, et ab omnibus angariis, preangariis, et molestiis, omnium Regni Polonie pallatinorum, castellanorum, capitaneorum, Judicum, subiudicum, et quorumuis oficialium et ministerialium eorumdem, monstravit et ostendit humiliter supplicando quatenus sibi ex innata nobis Regie benignitatis clemencia, eandem litteram

(3) Abbreviatio: *dt*, debent.
(4) Hoc loco nonnulla verba omissa esse, videntur.

seu priuilegium ratificare, aprobare (sic) innouare, et confirmare dignaremur; cuius quidem littere seu priuilegii seriem de uerbo ad uerbum hic uoluimus habere pro insertis.

Nos uero eorumdem abbatis et conuentus precibus tanquam iustis et racioni consonis benigniter acclinati, prefatam ipsorum litteram seu priuilegium in omnibus suis punctis, posicionibus, condicionibus, articulis et clausulis in ea contentis vniversis ratam habentes atque gratam, ex certa nostra sciencia, baronumque nostrorum maturo consilio, ratificamus, innouamus, gratificamus, aprobamus, et presentis scripti patrocinio confirmamus, decernentes ipsam robur perpetue firmitatis optinere. Harum quibus sigillum nostre majestatis est appensum testimonio litterarum. Actum in parlamento generali Graccouiensi (sic) feria tercia infra octauas Epiphanie domini, anno domini millesimo. quadringentesimo quadragesimo: presentibus ibidem Reuerendo in Christo patre domino Sbigneo Episcopo Graccouiensi, magnificisque, strenuis, et nobilibus, Johanne de *Czižouu*·(sic) Castellano Graccouiensi, Johanne de *Thaczin* Graccouiensi, Sandiuogio de *Ostrorog* Posnaniensi, Dobeslao de *Oliesnica* Sandomiriensi, Jerando (sic) de *Grabie* Siradiensi, Alberto de *Male* Lanciciensi, Joanne de *Lichin* Brestensi, Boguslao de *Oporouu* (sic) Juniuladislauiensi, Petro *Odrouansz* de *Sproua* Leopoliensi, et Kiczkone Kijerdeij *Podolie* Pallatinis: Dobrogostio de *Szamotulij* Posnaniensi, Clemente de *Strhelcze* (sic) Sandomiriensi, Laurencio *Zareba* Siradiensi, Varschio de *Ostrouu* Lublinensi, Raphaele de *Tharnouu* Voiniciensi, Petro de *Curouu* Sandecensi, et Crzeslao de *Curozuekij* Visliciensi Castellanis, et aliis quam pluribus baronibus, militibus, et nobilibus testibus ad premissa. Datum per manus magnificorum Joannis de *Coniecpolie* Cancellarii et Petri *Voda* de *Sczekoczijn* Vicecancellarii Regni Polonie sincere nobis dilectorum. Ad relacionem magnifici domini Joannis de *Cizouu* Castellani Graccouiensis.

1445. Nos uero peticionibus eiusdem tamquam iustis et racioni consonis benigniter acclinati, prefatam litteram seu priuilegium in omnibus suis punctis, capitulis, articulis, condicionibus, libertatibus, et exempcionibus in ea contentis, ratam habentes atque gratam, ex cer-

ta nostra sciencia, ratificamus, innouamus, confirmamus, aprobamus, et tenore presencium roboramus, decernentes ipsam robur optinere perpetue firmitatis. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est subappensum. Actum in *Radomij* feria tercia rogacionum, anno domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, presentibus ibidem strenuis generosis, et nobilibus: Joanne *Tarlo* de *Sczekachouice* incisore Regni, Joanne *Curopatua* de *Laczuchouu* succamerario Lublinensi et Capitaneo Chelmensi, Nicolao de *Chranstouu* tribuno Graccouiensi, Nicolao Seraphin gladifero Graccouiensi et suppario utriusque salis, et aliis quam pluribus fidedignis testibus ad premissa—Datum per manus venerabilis Thome de *Strampino* magistri in theologia, decretorum doctoris et Regni Polonie vicecancellarij sincere nobis dilecti. Ad relacionem eiusdem uicecancellarii.

CCXII.

Budae — die 3 mensis Novembris 1442 anno.

Vladislaus tertius, Poloniae ac Hungariae rex, omnibus villis et haereditatibus monasterii fratrum S. Benedicti in Monte Calvo privilegium juris teutonici largitur (1).

In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Quoniam omnia subito de thesauris memorie efluerent, nisi testium et litterarum perpetuitate solidarentur: proinde nos Wladislaus dei gracia Vngarie, Polonie, Dalmacie, Croacie, Rascie, Bulgarie, Sclauonie etc. Rex, nec non terrarum Graccouie (sic), Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuiauie, Lithuanie princeps supremus, Pomeranie. Russieque dominus et heres, significamus tenore presencium Vniversis quibus expedit presentibus et futuris horum noticiam habituris. Quomodo pro parte

(1) Ex eodem libro manuscripto, doctissimi Stronczynscii proprio, descripto jam sub a. 1351. (Vide tabulam CV. hujus Tomi pag. 231. Descripsit Leo Rzyszczewski. Villae huc memoratae, ubi sunt, ipsa tabula docet. Sed multae jam desiderantur.

relligiosorum et honorabilium Mathie abbatis fratrumque conuentus sancte crucis in caluo monte ordinis sancti Benedicti deuotorum nostrorum dilectorum peticiones instantes maiestatis nostre porrecte continebant, quatenus villas et hereditates ipsorum que sequuntur: Noua et antiqua *Slupi: Coprzijunicza, Rzepijn, Rzepijnek parua* (²), *Lijenarthowmosth* (³), *Florencia, Boliessyn, Mijlijeiouicse, Gijrhmanczouicze, Janouijcze, Kraszcouu, Modlibozicze, Volia, Basszouijce, Mijroczycze, Bielioou, Conijemlothy, Szvijeczycze, Thuklijancz, Voijslavij,* in districtu et terra Sandomiriensi, *Pietrzeiouicse, Przeszuodij* in terra et districtu Graccouiensi, et *Braczieiouicze, Glodno, Zakrzouu,* in terra et districtu Lublinensi, et *Mnijszek* in terra Sandomiriensi et districtu Radomiensi sitas, de iure polonico in ius theutunicum quod Sredense dicitur, transferre dignaremur graciose: Nos itaque peticionibus precipuis huiusmodj tanquam iustis benigniter acclinati, prefatas eorum villas et hereditates superius commemoratas prout in suis metis, limitibus et graniciebus, longe, late, et circumferencialiter sunt distincte, divise, et limitate ab aliis, de iure polonico in ius theutunicum sredense dictum transtulimus et transferimus, tenore presencium mediante, perpetuis temporibus duraturum, remouentes ibidem omnia iura polonicalia, modos et consuetudines vniuersas, que ipsum ius theutunicum plerumque consueuerunt perturbare. Eximimus insuper et perpetuo liberamus omnes et singulos uillarum et hereditatum predictarum Cmetones et quosuis incolas ab omni iurisdicione et potestate omnium dignitariorum nostrorum, palatinorum, Castellanorum, Capitaneorum, Judicum, subiudicum, et quorumuis oficialium et ministerialium eorumdem, ut coram ipsis aut eorum aliquo pro causis tam magnis quam paruis, puta furti, incendii, sanguinis efusionis, homicidii, membrorum mutilacionis et quibusuis enormibus excessibus cittati minime respondeant, nec aliquas penas soluere teneantur, sed tamen dictarum villarum cmetones et quiuis incole coram suis scultetis seu aduocatis qui

(²) Fortasse *Lenartowice*, quae villa est in parochia Koniemłotensi, huc etiam memorata.
(³) *Rzepin* et *Rzepinek*, (id est *Rzepin parva*), parochiae Pawłoviensis in Opatoviensi regione.

pro tempore fuerint sculteti seu aduocati, et non coram prenominatis pallatinis, castellanis, capitaneis, iudicibus, subiudicibus et quibusuis officialibus uel coram successoribus, aut coram nobis uel iudicio nostro generali, dum tamen per nostram litteram nostro sigillo sigillatam euocati uel cittati fuerint sculteti seu aduocati, et hoc si in reddenda iusticia negligentes fuerint uel remissi, tunc non aliter quam suo theutonico sredensi de se querulantibus. respondere sint astricti, in causis autem criminalibus seu capitalibus superius expressis, memoratarum uillarum et hereditatum scultetis seu aduocatis, in metis seu graniciis puniendi, plectendi, sentenciandi, corrigendi, et condemnandi, plenam damus et omnimodam tenore presencium concedimus facultatem, prout hoc ipsum ius theutunicum in omnibus suis punctis, sentenciis, articulis, condicionibus, et capitulis postulat et requirit: juribus tamen nostris Regalibus semper saluis. Harum quibus sigillum nostrum est appensum testimonio litterarum—Actum *Bude* die sabbato proximo post festum omnium sanctorum, anno domini millesimo quadringentesimo quadragesimo secundo, presentibus ibidem Reuerendis in Christo patribus Simone Agrensi, Matheo Vesperiensi Episcopis, magnificisque Laurencio de *Herderuara* Pallatino Regni Vngarie, Laurencio de *Calinoua* Siradiensi, Nicolao de *Stiborze* Vladislauiensi, Przedborio de *Coniecpolie* Rospergensi (sic) Castellanis, et Petro *Skora* de *Gaij* Judice Posnaniensi, ac aliis fidedignis. Datum per manus magnificorum Joannis de *Coniecpolie* Cancellarii et Petri de *Sczekoczyn* vicecancellarii Regni nostri Polonie sincere nobis dilectorum.

CCXIII.

Cracoviae, die 5 Novembris 1444 anno.

Phenna vidua Joannis de *Wojsławice* totam sortem suam haereditariam in villa *Mikluszowice* coram judicibus Petro de Cikowice vendit (1).

Nos Barthossius de Gory Judex et Petrus de *Czcikouice* (2) Subiudex terre Cracouiensis generales Notum facimus quibus expedit uniuersis presentibus et futuris presencium noticiam habituris. Quod in Judicio terrestri Cracouiensi nostro, coram certis camerarijs judicialibus nostris, constituta personaliter Nobilis domina Phenna relicta Johannis condam de *Woyslauice* (3) sana mente et corpore existens non compulsa, neque coacta, sed de bona eius voluntate totam partem suam hereditatis in *Mikluschouice* (4) cum ipsius partis omnibus juribus, dominio, utilitatibus, fructibus, prouentibus, incolis, censsibus (sic) redditibus, areis, domibus, tabernis, molendinis, agris, campis, pratis, pascuis, aquis, fluuijs, piscinis, piscaturis, riuis, stangnis, lacubus, borris, siluis, gagijs, sereptis (sic) mericis, rubetis, nemoribus, apistritis (sic), uniuersisque pertinencijs, dependencijs, obuencionibus et coherencijs, quibuscumque dicantur nominibus velud eadem hereditas longe, late et circumferencialiter distincta est et limitata, prout sola hactenus habuit et tenuit, nichil pro se et suis successoribus legittimis ibidem juris seu proprietatis et dominij penitus reseruando pro tricentis marcis communis pecunie monete cracouiensis numeri polonicalis consueti Generoso domino Petro de *Czcikouice* predicto Subiu-

(1) Ex originali in Archivo Regni ad N° 1502 asservato, descripsit Muczkowski et Rzyszczewski. Duorum olim sigillorum taeniolis pargamenis appensorum, unum tantum minus ad nostram pervenit aetatem et repraesentat insigne apud Polonos „Odrowąż" appellatum: inscriptio in ambitu: I † S. † BARTHUCCII (sic) de GORJ. JUDICIS.

(2) *Cikowice.*

(3) *Wojsławice,* duae villae sunt ejusdem nominis in Szkalbmiriensi regione, una in Leloviensi, una vero in Radomiensi, praeter illas, quae in aliis locis Regni Poloniae inveniuntur.

(4) Conf. regestra Tomi primi Codicis.

dici et eius posteritati in totum vendidit et imperpetuum judicialiter resignauit, tenendum, habendum, utifruendum, possidendum, vendendum, donandum, comutandum, alienandum et in usus suos beneplacitos libere conuertendum, prout sibi melius et utilius videbitur expedire, promittens ipsum dominum Petrum Subiudicem occasione premissorum ab omnibus impedimentis et dampnis quarumlibet personarum utriusque sexus secundum quod ad quamlibet personam pertinet prescripcio, iuxta consuetudinem terrestrem cracouiensem ubilibet intercedere et deliberare quociens fuerit oportunum. In cuius rei testimonium sigilla nostra presentibus sunt appensa. Actum et datum feria quinta proxima post festum omnium sanctorum anno domini millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto Presentibus hijs testibus Nobilibus Martino de *Cowary* (5), Nicolao de *Banssow*, Nicolao de *Czaslauicze* (6), Goworkone de *Suchdol* (7), Stanislao de *Zambocin* (8), Johanne condam de *Woywanouicze* heredibus, alijsque pluribus fide dignis etc.

(5) *Kowary*, villa in ipsa Proszowicensi parochia.

(6) *Czastawice*, non *Czaslawice*, villa est in Lublinensi provincia et territorio, fortasse nostra villa.

(7) *Suchodol*, *Suchodolka*, *Suchodoly*, cum variis nominibus, multae sunt villae in Sandomiriensi, Lublinensi, Podlachiensi, Masoviensi et Plocensi provinciis.

(8) Villa *Żembocin*, Proszowicensis regionis in Cracoviensi olim provincia.

CCXIV.

Cracoviae — die 11 mensis Januarii 1445 anno.

Leonardus de *Drwen* vel *Dzewin* cum filio villam suam Petro Cikowscio subjudici cracoviensi obligant (1).

Nos Johannes de *Czyszow* (2) Castellanus et Capitaneus cracouiensis nec non serenissimi domini Regis Polonie locum tenens. Significamus tenore presencium quibus expedit uniuersis. Quomodo nobiles Leonardus de *Drwen* et Leonardus filius suus de ibidem recognouerunt coram judicio castrensi comparendo personaliter, quia receperunt centum marcas communis pecunie monete et numeri polonicalis consueti certi debiti a nobili domino petro Czicowsky subiudice terre cracouiensis generali, in quibus centum marcis obligant ipsi domino Petro partem hereditatis in *Dzewin* suam cum omni jure et dominio, censibus, agris, campis, pratis, pascuis, gaijs, rubetis, siluis, borris et cum uniuersis pertinencijs quibuscumque dicantur nominibus nichil excludendo tenere modo obligatorio usque ad exempcionem, dempta curia et agris qui excoluntur ad curiam in *Drwen*. Et debent ipsum intercedere a qualibet persona utriusque sexus iuxta juris formam, non euadendo ipsum quouis modo nec districtu, nec quouis modo sub amissione sue cause. Et primam inscripcionem super septuaginta marcas minus tribus et fertone mortificarunt Canzel ministerialis datus est sibi ad intromittendum. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum *Cracouie* feria secunda

(1) Idem locus in contextu tabulae *Drwen* et *Dzewin* appellatur.
Ex originali a doctissimo Venceslao Alexandro Maciejowscio concesso. Muczkowski descripsit. Sigillum taeniola pargamena nigri coloris appensum, repraesentat scutum et in illo caput asini (insigne *Półkozic* dictum, gentis Czyżowsciorum). In ambitu vero inscriptio: S. JOHANNIS DE CZIS... CAS. C. In dorso tabulae polonice scripta sunt verba: od lanartha na dzevyn.

(2) *Czyżów*, villa Sandomiriensis regionis.

infra octauas epifanie (sic) domini, anno domini millesimo quadringentesimo quadragesimo quinto.

CCXV.

Cracoviae — d. 12 mensis Novembris 1459 anno.

Joannes de *Tęczyn* occupat bona defuncti Nicolai Seraphin Gladiferi Cracoviensis et Zupparii, qui reus exstitit in solvendis ducentis marcis (¹).

Nicolaus *Pyenyansek* de *Vittouicze* Succamerarius et Capitaneus Cracouiensis tenore presencium quibus expedit Significamus uniuercis Qualiter Magnificus dominus Johannes de *Thanczin* protunc palatinus Cracouiensis, strenuum Nicolaum Seraphin Gladiferum Cracouiensem (²) Salis utriusque et Russie Zupparium super feriam sextam in crastino octave corporis Christi anno domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo octauo, de speciali comisso Regie Serenitatis ut iudicatus fuisset, ad judicium castrense cracoviense cittauerat, pro eo: quia ipse dominus Zupparius prouentus suos sibi prouenientes retinuit et non soluit ad terminos et ad quatuor tempora iam transacta prout sibi soluere debuit et est obligatus in summa ducentarum marcarum et in totidem ipsum dampnificauit iuxta Cittacionem Quem terminum eadem die in acta Castrensia inducentes. alios terminos iuxta debitam formam et progressum Juris usque ad terminum peremptorium prosequebantur. iuridice donec feria quarta ipso die sancti Marci anno immediate sequenti prefatus dominus Johannes de *Thanczin* iam tunc Castellanus Cracouiensis (³) in eodem termino peremtorio pro contentis in cittacione eundem dominum Zupparium con-

(¹) Ex originali apud Josephum Rusieccium in Podolia asservato, descripsit Muczkowski. Sigillum deest.

(²) Idem Nicolaus, de quo jam sub a. 1450 in tabula hujus tomi.

(³) Ap. Niesieccium l. c. Joannes hic mortuus est anno 1459 Palatinus cracoviensis, quod videmus, falsum est.

dempnauit. Tandem feria quarta ante festum Exaltacionis sancte Crucis anno eodem, prefatus dominus Castellanus dictum dominum Zupparium in termino concittato ad satisfacendum et in termino in quo audire debuit iuramenta super dampna pro hijs in quibus ipsum in termino peremtorio condempnauerat iuridice condempnauit. Cui tunc domino Castellano Szitho Ministerialis datus fuit de Jure pro prima, secunda et tercia vicibus successiue ad pignorandum eundem dominum Zupparium. Qui pro prima vice dedit quatuor equos in pignore. Pro secunda vero et tercia vicibus Ministerialis pignora non invenit, quod et coram Judicio recognovit. Demum feria secunda post festum omnium sanctorum anno quo supra immediate (sic) prefatus Ministerialis Szithko datus est de jure prefato domino Castellano ad intromittendum in bona dicti domini zupparij pro primo. Novissime autem, videlicet sexta feria ante festum sancti Martini anno eodem Andreas Griz Ministerialis datus de jure sepedicto domino Johanni Castellano Cracouiensi ad intromittendum in bona eiusdem domini Zupparij iam defuncti veniens recognouit. Quia Venerabilis dominus Petrus prepositus Sandomiriensis et Canonicus Cracouiensis eiusdem domini Zupparij filius, qui successit in bona patris sui, post mortem ipsius nolens se dare dampnificare peramplius talibus pignoracionibus et huiusmodi eidem domino Castellano Cracouiensi in piscinam post Kazimiriam penes molendinum Capitanealem (sic) existentem, et in Jura que habuit pater suus et ipse post patrem super eadem piscina in lucris eiusdem domini Castellani dedit intromissionem iuxta acta. In cuius rei clarius testimonium sigillum nostrum presentibus est subappensum. Actum in Castro Cracouiensi diebus et annis quibus supra. Datum vero feria secunda in crastino sancti Martini Anno domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono.

CCXVI.

Cracoviae — die 6 Maji 1460 anno.

Oblata cujusdam obligationis in villa *Drwen* vel *Dzewin* factae, coram capitaneo cracoviensi (1).

Nicolaus *Pyenyansek* de *Viltouicze* succamerarius et capitaneus cracouiensis tenore presencium quibus expedit significamus uniuersis. Qualiter adhuc magnifico domino Johanne de *Cizow* castellano et capitaneo cracouiensi, nec non serenissimi domini regis Polonie locum tenente, in humanis agente (2) nobilis Leonardus de *Drven* et Leonardus filius suus de ibidem recognouerunt coram iudicio castri cracouiensis comparendo personaliter, quia receperunt centum marcas communis pecunie monete et numeri polonicalis consueti certi debiti a nobili domino Petro Czczikowszki subjudice terre cracouiensis generali, in quibus centum marcis obligant ipsi domino Petro partem hereditatis suam (sic) in *Dzewin* cum omni jure et dominio, censibus, agris, campis, pratis, pascuis, gagijs, rubetis, siluis, borris et cum vniuersis pertinentijs quibuscumque dicantur nominibus nihil excludendo tenere modo obligatorio usque ad exempcionem, dempta curia in *Drven* et agris qui excoluntur ad curiam in *Drven.* Et debent ipsum intercedere a qualibet persona utriusque sexus iuxta juris formam. Non euadendo ipsum quovis modo sub ammissione sue cause. Et priorem inscriptionem super septuaginta marcas minus tribus et fertone mortificauerunt. Carzel ministerialis datus est sibi ad intromittendum. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Actum in castro cracouiensi feria secunda infra octauas epiphanie domini, anno domini millesimo quadringentesimo quadragesimo

(1) Ex originali a doctissimo W. A. Maciejowscio concesso, descripsit Muczkowski. Sigillum minus, taeniola pargamena appensum. insigne appellatum „Jelita" repraesentat; inscriptio in ambitu sigilli: „S. NICOLAJ PYENAZEK DE VITOV....." In dorso tabulae legimus sequentia: „Obligatio certarum marcarum in Drwen. Lysth na Drwyiancza."

(2) Joannes de *Czyżów*, mortuus a. 1457.

quinto. Datum vero feria tercia post sancti ffloriani anno domini millesimo CCCCLX.

CCXVII.

Cracoviae—die 23 mensis Junii 1461 anno.

Privilegium teutonici juris civibus urbis antiquae Sandeciae a Casimiro magno rege datum et a Vladislao Jagellone confirmatum, Casimirus rex Jagellonides approbat, sub conditione (¹).

In nomine Domini Amen! Ne gesta hominum sub tempore versancia oblivio secum rapiat, sagax Regum et Principum providencia constituit ea literarum apicibus annotacioneque testium perhennare. Ad perpetuam igitur rei memoriam, Nos Kazimirus Dei gracia Rex Polonie, nec non Cracovie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuyavie, Magnus dux Lithuanie, Russie Prussieque; nec non Culmensis, Elbingensis, Lomgsbergensis (²) et Pomeranie Terrarum heres et dominus. Significamus tenore presencium quibus expedit universis, presentibus et futuris harum noticiam habituris: Quomodo oblata Maiestati nostre peticio pro parte circumspectorum Opidanorum de antiqua *Sandecz* fidelium nostrorum dilectorum continebat, quatenus de innata benignitatis nostre clemencia eisdem literas privilegiales, per predecessores nostros largitas et demum confirmatas et approbatas, favorose confirmare, approbare, renovare et ratificare dignaremur. Cujus quidem privilegii tenor sequitur in hunc modum.

1415. In Nomine Domini Amen (³). Ad rei memoriam sempiternam. Quamvis Regie dignitatis sublimitas ex assumpto officio quodam, debito

(¹) Apographon privilegii hujus a Łepkowscio habuimus.
(²) Lawenburg, urbs in ulteriori Pomerania, usque ad saeculum XVIII. feudum Poloniae, nunc in Borussorum Regno, et in Pomeraniensi provincia.
(³) Tabula haec data *Korczynii*, die 1 Maij 1415 anno.

singulari teneatur suorum intendere comodis subditorum, illorum tamen magis fatetur se debitricem, quos mundi cernit deserere delicias, et ad laudes salvatoris mentes digne contemplacionis studijs elevare. Proinde Nos Vladislaus Dei gracia Rex Polonie, nec non Terrarum Cracovie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuyavie Lithuanieque princeps supremus, Pomeranie Russieque dominus et heres. Significamus tenore presencium, quibus expedit universis presentibus et futuris, noticiam presencium habituris: Quomodo providi fideles nostri dilecti Consules Civitatis antique *Sandecz* ad nostre celsitudinis venientes presenciam, nobis literas dive memorie domini Kazimiri regis Polonie predecessoris nostri in pergameno scriptas, sigilloque ipsius Majestatis dependenti consignate, et pro parte religiosarum Sororum sanctimonialium, Abbatisse et Conventus monasterii in antiqua *Sandecz* devotarum nostrarum, super quadam prerogativa Juris Theutunici et libertatem (sic) per ipsum dominum Kazimirum Regem, ipsis facta et concessa, exhibuerunt et demostrarunt coram nobis, supplicantes culmini nostro Regio humiliter et attente, ut easdem literas approbare, ratificare et confirmare de innate nobis benignitatis clemencia dignaremur. Quarum tenor de verbo ad verbum sequitur in hec verba: (*Huc sequitur tabula, quam superius jam (Nr. CXIX pag.* 253) *edidimus*) (4).

Nos itaque Vladislaus Rex prefatus supplicationibus nobis per prefatos Consules ex parte earundem sororum Abbatisse et Sanctimonialium Conventus Monasterij, in antiqua *Sandecz* oblatis an-

(4) In transumpto nostro tabulae. nonnullae variantes lectiones occurrunt, sed parvi momenti et maxime rationem recte scribendi spectant. Tabulae Casimiri contextus magis authenticus est, transumpti vero mendis scatet et omisionibus multis verborum; sensus tamen ut.ius idem est. Lectiones variantes majoris momenti huc adducimus: in transumpto tituli Constantiae ducissae breviter enarratae: „...ducissa Glogoviensis pronunc Cenobii Sandeczensis"…. (deest verbum: *mater abbatissa*, vel quiquid simile). In tabula a. 1358 titulorum Constantiae duo sunt versus. Pag. 245 vers. 5 *firmiter radicati*, in transumpto *firmiter judicati*. Versus 17. verbum *ibidem* in transumpto omissum. Vers. 25 pro *injungentes* in transumpto *unum quemque*. *Wydżga capitaneus sandomiriensis*, in transumpto, est *sandecensis* (conf. annotationem 4-tam, pag. 254). Nomina etiam villarum in nominibus testium in transumpto laudatorum, *Maloschobo*, *Sandzischovicze* et *Rudono*, dicuntur.

Denique annus in nostro transumpto non verus, id est 1258 legitur, pro 1358.

nuentes, prefatas literas domini Kazimiri Regis predecessoris nostri ratas habentes atque gratas, approbamus, ratificamus, et presentis scripti patrocinio confirmamus, decernentes ipsas in omnibus ipsarum punctis, articulis, condicionibus, clausulis, sentenciis obtinere robur perpetue firmitatis. Harum quibus sigillum nostrum appensum est testimonio literarum. Actum in Novacivitate *Corczin* feria tercia in crastino beate Katherine virginis. Anno domini millesimo quadringentesimo quintodecimo; presentibus Nobilibus Strenuisque viris: Cristino de *Ostrow* Castellano et Capitaneo. Johanne de *Tharnow* Palatino Cracovien., Michaele de *Bogumilowycze* Cracoviensi et Nicolao Cztan Sandomiriensi militibus nostris fidelibus fide dignis. Datum per manus Reverendi in Christo patris domini Johannis Episcopi Cracov. Cancellarij et Venerabilis domini *Donyn* Decani Cracov. vicecancellarii Regni nostri Polonie, nobis sincere dilectorum.

1461. Nos igitur prefatus Kazimirus Rex annuentes hujusmodi peticioni iuste et honeste, literas privilegiales presentibus introscriptas, in omnibus suis punctis, articulis, condicionibus et clausulis generose approbamus, innovamns, gratificamus, ratificamus et confirmamus tenore presencium mediante, perpetuo et in evum. Articulum vero in litera Originali, presentibus inserta, contentum, de salis Centenariorum empcione in Zuppis nostris Vielicensibus aut Bochnensibus per prefatos Opidanos de antiqua *Sandecz* fienda, ita moderamus, declaramus et presentibus decernimus perpetuo observandum: Quod Zupparij nostri Bochnenses et Wieliczenses moderni et qui pro tempore fuerint, prelibatis Opidanis de antiqua *Sandecz* quatuor Centenarios Salis, quod in Terram Cipsiensem ducere et vehere voluerint, pro uno floreno Hungaricali tociens quociens opus fuerit, dabunt, extradent et consignabunt eo modo, ordine et posicione, quemadmodum et incolis seu vectoribus de terra prefata Cipsiensi, dicti Centenarij Salis in Zuppis nostris prefatis, vendendum et dandum (sic) sunt soliti et consueti. In quorum fidem et testimonium sigillum nostrum presentibus est subappensum. Actum *Cracovie* feria secunda ante festum S. Johannis Baptiste proxima. Anno Domini Millesimo quadringentesimo sexagesimo pri-

mo. Presentibus Reverendis patribus et dominis, nec non Magnificis et Generosis: Johanne Episcopo Vladislaviensi Cancellario, Johanne de *Brzesze* Utriusque Juris doctore Electo Ecclesie Cracov. vicecancellario Regni Polonie, Andrea *Odrovansz* de *Sprowa* Palatino Leopol. et Capitaneo Russie, Stanislao de *Chotecz* Castellano Leopolien. et Capitaneo Haliciensi, Nicolao de *Brzesze* Marschalco Regni Polonie, Jacobo de *Dambno* vicethesaurario Regni Polonie, Nicolao *Pyenaszek* de *Wijttowicze* Succamerario et Capitaneo Cracovien. Nicolao Beszuth Curie nostre Marschalco ac alijs quam pluribus testibus circa premissa. Datum per manus eorundem Patrum Dominorum Johannis Episcopi Vladislav. Cancell., Joannis de *Brzesze* utriusque Juris doctoris Electi Ecclesie Crac. vicecancellarij Regni Polonie, nobis sincere dilectorum.

CCXVIII.

Cracoviae—die 4 Octobris 1462 anno.

Decretum judicii supremi Cracoviensis in causa ex urbe Pilsnensi per appellationem devoluta, inter Gedeczschye actores et quendam Dobeslaum (¹).

Nos Consules sex Ciuitatum videlicet *Cracouie, Sandecz, Kazimirie, Ilkus, Bochne* et *Weliczcze* ad sedendum Regale Judicium Juris Maidburgensis in Castro Cracouiensi deputatarum Recognoscimus in palam vniuersis Quomodo cum inter Nobiles Martinum et Johannem Gedeczskye Actores ab vna. et Dobeslaum suo et filiastrorum suorum nominibus parte ab altera coram Judicio Juris supremi Teutunici Castri Cracouiensis Causa ex parte aduocacie Pylznensis mota fuisset

(¹) Archetypon membranaceum monasterii Staniątcensis proprium. Sławiński descripsit apographon. Quinque sunt taeniolae pargamenae, sexta desideratur. Sigillum unum restat tertia taeniola appensum, non magnum, repraesentans caput diademate ornatum, ex utraque parte multos crines habens; facies feminae videtur, collum nudum. In ambitu verba: „SECRETA CIVIVM DE CASIMIRIA."

videlicet *accione* ([2]) particionis seu diuisionis eiusdem processumque per ipsum Judicium usque ad diffinicionem eiusdem Cause fuerat Tandem parte altera scilicet domino Dopkone Sentenciam ipsius Juris Suppremi pro Rato Jure non acceptante per appellacionem ad nos se aduocauit, Cuius materie ordinem masticauimus et examinauimus et quantum ipsius Juris suppremi iuxta querelam et Responsionem Legacio nobis presentata continebat Vigore Sedis et priuilegij nostri Judicio conuenissemus Presidente vice Regia Loco Generosi domini Nicolai *Pyenyansek* de *Wythouicze* Succamerarij et Capitanei Cracouiensis Nobile Johanne *Barczkowsky* Judice Castri Cracouiensis Revoluentes animo ordine ([3]) Juris Maidburgensis talem inter partes memoratas ante Judicium nostrum astantes tulimus et finaliter pronuncciamus Sentenciam Ex quo Nobiles domini Martinus et Johannes Gedetczy (sic) Nobilem Dopkonem et pueros fratris suis ([4]) iudicialiter conuenit (sic) pro diuisione Aduocacie Pilnensis ([5]) et Dominus Dopko tuendo se in sua responsione cum diuisione aduocacie, literas coram Judicio deposuit, que de simili aut equa bonitate quartalium dicte aduocacie dicunt, et non de diuisione aduocacie, nec eciam ullam literam Judicij in quo aduocacia iacet huiusmodi diuisionis *p* ([6]) posuit, tunc predicte deposite litere quantum ad diuisionem Dopkoni in adiuuamen venire non possunt Sed pro quarto quartali Aduocacie quod resignatum est, super quod sentencia. supremi Juris processit quam ambe partes susceperunt, illud procedat iuxta continenciam eiusdem sentencie Et isto ratificata est sentencia supremi Juris Scabinorum Castri Cracouiensis de forma Juris Deinde parte iudicialiter alterius procedente et iudicialiter querente adiudicauimus sentencialiter Dominis Martino et Johanni equalem diuisionem, videlicet in illa supra dicta iuxta querele continenciam et responsionis. Item sentenciauimus quod ad hoc consummandum et perficien-

([2]) Hoc loco in tabula legitur: *accon*, verbum abbreviatum. Sławiński in parenthesi scribit: *accionem? accione?*
([3]) Pro: *ordinem*.
([4]) Pro: *sui*.
([5]) Pro: *Pilznensis*.
([6]) Verbum quoddam (character *p*, *fi?)* fortasse per oblivionem scriptum.

dum domino Martino ministerialis dari debet, et hoc in termino longiori de Jure, Et si hec diffinita diuisio domino Martino quomodolibet prohiberetur, quod ad Dominum Capitaneum Cracouiensem debeat recurrere pro defensione Item sentenciauimus quod Dominus Dopko parti impensas refundere debet videlicet inscripcionales, solidos scabinales et data ministerialibus, inquantum Dopko partem perscire nollet et signanter decem solidos Scabinales hodie per ipsum Dominum Martinum iudicio nostro datos; et hoc similiter in die longiori In cuius testimonium sigilla nostra presentibus sunt appensa Datum Cracouie feria secunda post festum Michaelis Anno Domini M°. CCCC°. Sexagesimo secundo.

CCXIX.

Cracoviae — die 5 mensis Junii 1464 *anno.*

Confirmatio privilegii Conradi Cracoviae et Lanciciae ducis anno 1242 monasterio Tinecensi dati, a rege Casimiro Jagellonide concessa (1).

In nomine Domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Gesta humanorum actuum facili pereant e memoria hominum nisi apicibus Litterarum. et testium fidedignorum testimonio fuerint perhennata. Proinde Nos Kazimirus deigracia Rex Polonie Necnon Terrarum Cracouie Sandomirie Siradie Lancicie Cuyauie Pomeranie etc. Magnus Dux Lythwanie Russie Prussieque dominus et heres etc. Significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis presentibus et futuris. presencium noticiam habituris. Quomodo In nostre Maiestatis et no-

(1) Archetypon Staniątciis in archivo asservatum. Descripsit Sławiński tabulam. Funiculus crassus sericus e filis albi coloris vinctus. Sigillum minus ex cera vulgari coloris rubri, repraesentat scutum in quatuor partes divisum, in quibus aquila unius capitis Polonorum, miles equo insidens, id est insigne Lithuanorum „Pogoń" vernacula Polonica lingua appellatum, caput bisontis et animal biforme dimidiatum aquilae et gryphi. In ambitu verba: „*S. Kazimirus dei gracia rex polonie magnus dux lithwanie et heres russie et cetera.*"

strorum Consiliarorum tunc lateri nostro assedencium hicque congregatorum. veniens presenciam Venerabilis et Religiosus Mathias Abbas Monasterij Thynyecensis, litteram seu priuilegium super commutacione Bonorum hereditariorum. de Consensu et voluntate, Preclari olim Principis domini Conradi Ducis Cracouiensis, predecessoris nostri. ratificatum, approbatum et confirmatum. atque donacionem certarum Decimarum, pro Cenobio seu Monasterio in *Stanyathky*. per prefatum Principem Conradum predecessorem nostrum. ritte (sic) et legittime. ac perpetue. factam. appropriatam. et eidem Monasterio incorporatam et asscriptam. in se continentem obtulit et presentauit Supplicauitque Maiestati nostre, Quatenus ex fauore munificenciaque nostra Regali. huiusmodi litteram seu priuilegium. innouare ratificare et confirmare dignaremur. Cuius quidem littere tenor de uerbo ad uerbum sequitur et est talis.

(Cracoviae, sine die et mense 1242 *anno).*

(Conradus Cracoviae et Lanciciae dux multa privilegia monasterio Staniątcensi donat).

In nomine sancte Trinitatis indiuidue Amen ([1]). Nos Conradus deigracia Dux Cracouie et Lancicie, Cuyauie et Mazouie. Notum facimus vniuersis presentibus et futuris hanc paginam inspecturis. Quod dominus Andreas Plocensis. Episcopus. et fratres sui. Comes *Janko* Castellanus de *Ruda*, et *Wirbyantha* Prepositus de *Stanyathekg*. in presencia nostri ac Baronum nostrorum, Commuttauerant villas quas Comes Clemens Castellanus Cracouiensis domui de *Stanyathekg* contulit, quando ipsam fundauit. quarum nomina hec sunt, *Lypowa, Zagore Babici. Roscochow. Lussouycy. Dlugoschin. Cescouycy. Jauorno.* mediam, Cum omnibus vtilitatibus, cum Molendinis et cum plumbo.

([1]) ....*Trinitatis ac individue amen*: Eodem ordine in tabula verba sequuntur, sed scriba, errore animadverso, consuetum restituere voluit ordinem et hanc ob causam, verbis numeros addidit. Conjunctioni vero *ac* deerat locus et propterea super versum scriba illam posuit.

exceptis hominibus ipsas villas inhabitantibus, quos omnes Comes Clemens ante permuttacionem manumisit, Hanc igitur permuttacionem supranominatus Andreas Episcopus. et fratres sui supradicti. cum domino Prandotha Episcopo Cracouiensi. fecerunt. recipientes ab eo et a fratribus ipsius Canonicis Ecclesie beati Wenceslái pro villis antedictis, decimas super Moscauam (3) et villam *Liziny* (4) totaliter cum Ecclesia beati Clementis et cum decimis omnibus ad ipsam Ecclesiam pertinentibus Tale pactum coram nobis ab utraque parte firmantes, quod si aliquis ipsarum parcium. hanc permuttacionem infringeret. dominio nostro quatuor Marcas Auri persoluere tenentur (sic) Apposito hoc quod dominus Episcopus Cracouiensis. supradictam domum de *Stanyathekg* in omnibus defendere et inspicere tenebitur. tam inferius (sic) quam exterius. Ita sane quod absque uoluntate domini Episcopi Cracouiensis congregacio sepedicti Cenobij nichil facere audebit. nec hereditatem aliquam vendere uel emere. commuttare uel concedere aut qualicumque modo a domo alienare. nec Abbatissam constituere. aut destituere. nec prepositum quemquem deicere, nec numerum Sororum augere uel minuere. Sed sicut heredes tunc constituerunt quando sumptus domus computauerunt, quod Triginta Sorores esse debent et non pauciores, Nisi quando Abbatissa uel Prepositus viderent domum ab aliqua parte proficere. tunc de uoluntate supranominati Episcopi numerum ipsarum augere possent usque ad quadraginta. sed non ultra. Sororum eciam nulla absque uoluntate domini Episcopi exire Claustrum audebit. nisi in fuga Paganorum aut tempore famis preter Abbatissam, que pro negocijs domus exire poterit. Quinque fratres Sacerdotes esse debent, quibus Prepositus singulis annis cuilibet per Marcam Argenti. pro uestibus dabit. et Sororibus similiter si ita domus sufficere poterit. Si autem de Ordine beati Benedicti transire uoluerint, de uoluntate et Consilio domini Episcopi ad Ordinem Cisterciensem transibunt. Nos ue-

(3) Mozgawa.

(4) In chartis geographicis Regni Galliciae Reimani a. 1797. villa, quae in territorio antiquae Cracoviensis Reipublicae, non procul ab oppido *Bobrek*, *Jesini* dicta, invenitur, fortasse est nostra villa *Liziny*.

ro memoratus Conradus Dux. pro remedio peccatorum nostrorum, domui beate virginis Marie de *Stanyathekg* Cracouiensis Diocesis. benigne et liberaliter conferimus plenam libertatem, Ita ut omnes Incole villarum ad ipsam domum pertinencium. nec coram Pallatino (sic) nec coram Castellano nec coram Judicibus eorum citentur uel citati respondeant. nec *Strosam* soluant. neque ad Bellum uel ad Castrum edificandum ire compellantur. Sed si quis aduersus eos aliquam Causam babuerit, littera Sigillo nostro Sigillata citati, coram nobis Judicium subire tenebuntur. Confirmamus eciam quod dominus Andreas Episcopus sepedictus suas proprias hereditates de consensu et bona uoluntate fratrum suorum. domui sepefate contulit *Bresniciam* videlicet in Jure Theutunico cum Ecclesia beati Petri et cum decimis omnibus ad ipsam Ecclesiam pertinentibus. cum foro libero et Thabernis. ita quod nullus Judex uel Monetarius ibi dominari possit et cum Cassoribus (castoribus?). Contulit insuper et *Lopankam* cum Sale, et hereditatem Vincencij que *Bochnya* (4) dicitur. *Bircow* et *induloszicze* (5) quod frater suus Swanthoslaus habuit *Visnice.* totaliter et quicquid commutauerunt pro *Stanyathekg.* iterum reddidit domui *Dobranovicze* et *Czedanthovicze* (6) ac duas porciones Salis que a wlgo *Peczini* et *Corcze* uocantur ad magnum Salem. Item confirmamus quod Comes Clemens Castellanus Cracouiensis seperecitatus de consensu fratrum suorum. hereditates suas domui multociens dicte. contulit. eas videlicet que commuttata sunt domino Episcopo et alias. quarum nomina hic (sic) sunt. *Smolici* cum Castoribus *Zathor* cum Castoribus *Canthi Celaz* super fluuium Breniciam cum Castoribus et cum Thaberna. *Withow* prope *Siewior* (7) et de Terra ad viginti Aratra magna que *narok* (8) a wlgo uocatur *Ostrow Podlanze* cum Castoribus quam accepit

(4) Hodie urbs, circuli sui nominis caput, in Gallicia, *Bochnia.*

(5) Haud dubio deberet esse: in *Doluszyce.*

(6) Hanc villam nullo modo invenire possumus, nomen corruptum videtur, nam in nostra tabula tantum de illa legimus.

(7) *Witow*, est parochialis villa Cracoviensis provinciae, regionis Proszowicensis; altera ejusdem nominis villa in regione sita est Leloviensi, parochia vero Nakielensi, ibidem locorum: sed nullam earum huc intelligere possumus, nam urbi *Siewierz*, apud nostros dictae, non sunt proxima.

(8) Conf. in tabula a. 1228. *narochnici*, superius in hoc tomo pag. 15. et in aliis tabulis.

pro *Lantcouici* (9) et pro *Woznyk* (10) cum Ecclesia ad Abbatem Thyncensem addendo. et insuper viginti Marcas Argenti *Lanscouicze* (11) cum Castoribus et cum Molendino super fluuium Rabam, quod vnum littus proprium habuit, et aliud a Comite Heinrico redemit idem Clemens pro decem Marcis argenti et uestibus in plenum. *Zagrocze Nabuze* (12) *Druszow* (13) *Permutani Sicze Luszouicze.* Item idem Clemens contulit filie sue Wisenyge Sanctimoniali villam *Nyemil* (14) ut post mortem suam conferret ubi uellet. Item confirmauit coram nobis *Wirbyantha* Prepositus de *Stanyathekg* quod emit a Petro Canonico Ecclesie beati Wenceslai partem hereditatis in *Luthcouycze* pro Septuaginta Marcis argenti. et ibidem a Domarzathko pro Triginta Marcis Argenti et pellibus wlpinis. et a filiis Cosme emit quantum ibidem in *Luthcouice* habuerunt pro Triginta Marcis Argenti et duobus equis. Item idem *Wirbantha* confirmauit in presencia nostri quod Clemens Comes commuttauit *Monatowycze* (15) *Withoslao* pro *Lutcouicze.* tali condicione, Quod *Monathouycze* ab eo alienaretur domus de *Stanyathekg* et uel pueris eius Triginta Marcas argenti daret. Vt autem hec nostra deuota donacio et confirmacio inconcussa maneat Sigillo nostro hanc Cartulam iussimus Sigillari. Rogantes dominos et patres venerabiles, Fulconem Gneznensem Archiepiscopum Prandotham Cracouiensem Episccpum et Andream Mazouiensem Episcopum et Duces Polonie. ut cum nostrum Sigillum viderint appensum ad maioris Roboris firmitatem sua eciam apponere non recusent. Si autem quispiam de nostris filijs aut Successoribus hanc Confirmacionem seu donacionem conabitur eneruare. ante districtum Judicem in nostris delictis et com-

(9) Fortassis *Lętkowice*, villa regionis Proszovicensis, parochialis.

(10) *Wozniki* villa in territorio ducatus Oswiecimiensis, ab urbe *Zator* meridiem versus, non procul a fluvio *Skawa*.

(11) Villa monasterii *Łętkowice* in Bochnensi circulo, non procul a rivulo *Raba*.

(12) Has villas non invenimus.

(13) Fortassis *Druszkow*, prope urbem *Czchow* dictam, in Bochnensi circulo. Sequens villa, *Przemęczany* est, de qua lege in superioribus tabulis.

(14) De quali villa mentionem huc legimus? non possumus dicere.

(15) Villae *Moniaczkowice* et *Moniakowice* in provincia antiqua Cracoviensi est regione Proszovicensi inveniuntur, in parochiis Niegardoviensi et Prędocinensi. Sed Sławiński, male hoc loco pro villa *Gnatovice* in aliis tabulis laudata, has duas scriptorem posuisse, putat. De aliis villis superius in variis locis diximus.

missis pro quorum indulgencia hanc contuli (sic) libertatem reus teneatur. et de eis racionem reddere compellatur digna supplicia recepturus. Acta sunt hec in *Cracouia* Anno Incarnacionis domini Millesimo Ducentesimo quadragesimo secundo Presentibus testibus Mistiuvoy Pallatino Cracouiensi Bogusza Castellano Cracouiensi ffloriano Tribuno Cracouiensi Simkone Venatore Cracouiensi Bronisone Castellano de *Bresekg* Panchoslao Castellano Wislicensi Johanne Judice Curie et alijs quampluribus.

Nos uero supplicacionibus et Peticionibus prefati Abbatis Thyncensis acclinati et permoti, prefataque littera seu priuilegio viso et mature auscultato non cancellato non viciato nec in aliqua sui parte suspecto donacionemque decimarum ac commutacionem Bonorum in prefata littera contentam, ratam gratamque habentes Ipsam in omnibus suis punctis. articulis. Clausulis. et Condicionibus, de fauore et munificencia nostra Regali. Ratificauimus approbauimus, confirmauimus et Ecclesiastice libertati sic dotatis incorporauimus et ascripsimus. Ratificamusque confirmamus. approbamus. ascribimus et incorporamus. Decernentes hec omnia firmiter et illese per nos et Successores nostros robur et efficaciem. perpetuis temporibus tenere habere et optinere (sic). presencium per tenorem. Harum quibus testimonio litterarum Sigillum nostrum presentibus est appensum. Actum *Cracouie* feria tercia infra octauas Corporis cristi Anno domini millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto Presentibus ibidem Reverendo in Christo patre domino Johanne deigracia Episcopo Cracouiensi et Regni Polonie Cancellario Ac Magnificis et Generosis Johanne de *Thanczin* Cracouiensi Dobeslao de *Wiznycze* Lublinensi, Castellanis Johanne de *Rythwiany*. Marschalco, Jacobo de *Dambno* Thezaurario. Regni Polonie et Capitaneo Cracouiensi et Michaele de *Lassothky* Succamerario et Capitaneo Lanciciensi, et alijs pluribus fidedignis testibus ad premissa. Datum per manus prefati Reuerendi patris domini Johannis Episcopi Cracouiensis et Regni Polonie Cancellarij, sincere nobis dilecti.

Ad Relacionem eiusdem Reuerendi in Christo patris domini Johannis Episcopi Cracouiensis et Regni Polonie Cancellarij.

CCXX.

In oppido Nowy Sącz,—die 20 Julij 1464 anno.

Paulus advocatus haereditarius Sandecensis villas *Mszalnica* et *Cieniawa* dictas, cuidam Nicolao jure teutonico locandas permittit (1).

In nomine Domini Amen. Expedit et opportunum est, ut quisque haereditates suas nemoribus ac sylvis consitas, necdum excultas, solertibus ac fidedignis viris tradat extirpandas; Proinde ego Paulus Advocatus hereditarius Sandecensis villas *Mszalnica* et *Cieniawa* dictas

(1) Apographon hujus privilegii, seu potius oblatae, in castro Sandecensi a. 1611 factae, transumpti regis Sigismundi I. habuimus a Josepho Łepkowscio. qui illud in fasciculo copiarum ecclesiae *Mystkouiensis* invenit. Tenorem oblatae hujus et transumpti in annotatione huc adducimus:

1611. Veniens personaliter ad Officium et ad Acta praesentia Castrensia Sandecensia Nobilis Stephanus Zaczwelkowski, obtulit eidem Officio praesenti, literas Privilegii ratione fundationis et locationis villarum *Mszalnica* et *Cieniawa* Scultetiarumque in eisdem villis per olim Serenissimum Sigismundum Regem Poloniae Nobili Andreae Tchorzewski sculteto villarum earundem regalium in Districtu Sandecensi consistentium, confirmatas et Sigillo Regni minoris Cancellariae Ejusdem Sacrae Majestatis Regiae obsignatas, manuque Reverendissimi in Christo Patris Domini Petri Thomicki Episcopi Cracoviensis et Regni Poloniae Vice-Cancellarii propria subscriptas, petens idem Stephanus Zaczwelkowski privilegium hoc idem a se per Officium praesens suscipi, et in Acta praesentia inscribi mandari. Cujus ostentationi Officium praesens annuendo, literas easdem Privilegii confirmatorii Sacrae Majestatis Regiae uti sanas, salvas illaesasque, omni suspicionis nota carentes, revisas, ab eodem offerente suscepit, et in Acta praesentia inscribere mandavit. Quarum Literarum tenor sequitur talis:

1530. In nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Quoniam solo literarum usu memoriae fulcitur aeternitas, ab omnique oblivionis injuria res memoratu dignae ac facta humana vindicantur; proinde Nos Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, necnon Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lancyciae, Cuyaviae, Russiae, Prussiae, Moraviae Dominus et Heres, significamus tenore praesentium universis et singulis, praesentibus et futuris horum notitiam habituris,—Quia constitutus coram Nobis Nobilis Andreas Tchorzewski Scultetus villarum nostrarum *Mszalnica* et *Cieniawa* in Districtu Sandecensi consistentium, exhibuit Privilegium suum scultetiale infrascriptum, per Paulum olim Advocatum hereditarium Sandecensem, qui fuit haeres villarum praefatarum, ipsis praedecessoribus Scultetis concessum, salvum, illaesum, non vitiatum, nec in aliqua sui parte suspectum, supplicavitque deinde Nobis, ut hoc ipsum Privilegium, propter ipsius vetustatem innovare facere, Authoritateque Nostra approbare,

Jure Magdeburgensi Honesto Nicolao locandas et extirpandas contuli, meorum amicorum super id maturo fretus consilio. Ratione vero ejus locationis et extirpationis ipsi Nicolao scultetias in villis duabus praedictis do et assigno temporibus perpetuis, suisque legitimis successoribus, et in aevum. Doque ipsi Sculteto et suis posteris duos

ratificare et confirmare dignaremur. Cujus quidem Privilegii tenor est iste: *(Huc contextus tabulae ipsius sequitur)*.

Nos itaque Sigismundus Rex prefatus, supplicationi Sculteti praenominati ac etiam Consiliariorum nostrorum prefatus, supplicationi Sculteti praenominati ac etiam Consiliariorum nostrorum pro illo facto benigne annuentes, praeinsertum Privilegium, ac omnia et singula in illo contenta, nec non etiam ea omnia, quae ipse Scultetus et Praedecessores sui Sculteti in dictis laneis scultetialibus industria sua adinvenerunt et auxerunt, et in quorum possessione pacifica ipse dictique successores sui hactenus fuerunt, approbamus, ratificamus et confirmamus, decernendo hoc ipsum Privilegium cum supranominato robur stabile ac perpetue firmitatis obtinere. In cujus rei testimonium sigillum nostrum praesentibus est appensum. Datum *Cracoviae* in Vigilia festi Visitationis S. Mariae, Anno Domini Millesimo quingentesimo trigesimo; Regni vero nostri anno vigesimo quarto. Praesentibus Reverendissimis in Christo Patribus Dominis: Petro Cracoviensi et Regni nostri Vice-Cancellario, Joanne Karnkowski Premyslensi Episcopo; nec non Magnificis, Venerabilibus ac S. G. Christophoro de *Szidłowicz* Cracoviensi, Regni nostro Cancellario, Nicolao Wolski..... et Serenissimae Conjugis, Nostrae Curiae Magistro Petro Opoleński Sandecensi. et Serenissimi Domini Sigismundi regis filii Nostri Carissimi, Curiae Magistro Nicolao Cichowski Sandecensi. Stanislao de *Sprowa* Biecensi Castellano, Joanne Chojemski (a) Cracoviensi et Praeposito Posnaniensi Ecclesiarum Canonicis, Secretariis Nostris Silvestro Oraczewski Succamerario Nostro et Zawichostensi Capitaneo (b), Martino Zborowski Pincerna, Simone Chlewiczki Magistro Coquin. caeterisque dignitariis, Officialibus et fidelibus Nostris testibus dilectis. Per manus circa praemissa fidedigni sincere fidelis et Reverendissimi in Christo patris Episcopi Cracoviensis et Regni nostri Vice-Cancellarii sincere Nobis dilecti. Petrus Episcopus et Vice-Cancellarius manu propria. Relatio ejusdem Reverendissimimi in Christo Patris Domini Petri Thomiczki Episcopi Cracov. et Regni Poloniae Vicecancellarii.

1611. Actum in Castro Sandecensi feria sexta in crastino festi Sacratissimi Corporis Christi Domini, Anno ejusdem Christi Domini Millesimo sexcentesimo undecimo.

Correxi Mich. Banachowski.
actor. Sandec. susceptor juratus.

(a) De *Chojeńscio* dicitur, qui postea episcopus plocensis et cracoviensis fuit. Vir excellentis ingenii, doctrinae et virtutis.

(b) In aliis tabulis et documentis subcamerarium, cubicularium supremum etc. capitaneumque zawichostensem, iisdem temporibus, Lassotam (id est Silvestrum, nam Lassota nomen hoc polonice significat) de *Ożarów*, Ożarowscium, legimus, non Oraczewscium, sicut in hoc apographo Łepkowscii. Conf. Starowolski, Monumenta Sarmatarum pag. 22 et dissertationem doctissimi Alexandri Stadniccii de villis valachicis, *o wsiach wołoskich*, denique jam toties laudatum opus, *Dodatek tygodniowy* do Gazety Lwowskiéj, 1856. N. 20). Et Niesiecki habet Ożarowscium nostrum subcamerarium Regis seu Regni, quod idem est. Ożarowski dignitatem suam longo tempore tenuit, ut in tabulis videtur, annis videlicet 1516. 1522. 1532. 1533. 1538. Nomen Oraczewscii itaque hoc loco falsum est.

Laneos liberos in *Mszalnica* et in *Cieniawa* ([2]), et pro pellendis gregibus, alias *Vigony* ([3]), in qualibet villa per unum laneum assigno liberos; dabitque praefatus Scultetus de quolibet laneo suo pro Decima per octo grossos currentis monetae Plebano in *Mistkow* singulis annis pro festo S. Martini. Eruntque tria judicia magna in villis praefatis in anno, prout sunt fieri solita et consueta, et in quolibet judiciorum horum tria prandia, pro quolibet judicio unum prandium, mihi et meis successoribus Scultetus pro tempore existens unum fertonem, et Cmethones villarum praedictarum duos assignabunt et dabunt cum effectu. Confero etiam Sculteto jam dicto et posteris ipsius unam piscinam ante curiam ipsius liberam, duas tabernas, cum pascuis et pratis, quae nunc sunt et in posterum fieri possunt, sylvas et mansos quotquot extirpare poterit perpetuo possidendas; et ut eo liberalius et commodius praefatae villae meae agriculturam adaugere valeant, Sculteto jam dicto et suis successoribus legitimis, nec non villanis et incolis in eisdem commorantibus a data praesentium, viginti annos contuli libertatem ab omni exactione, contributione, servitio, expeditione, decimatione. Expirata autem libertate quotquot lanei ibidem culti fuerint et dimensurati, de quolibet laneo octo scotos ratione census, et unum fertonem pro decima annis singulis dare et solvere sint adstricti nunc et in aevum; sextum denarium omnium censuum Sculteto saepedicto et suis successoribus legitimis, necnon de omnibus proventibus et reditibus; de causis autem judicialibus parvis sive magnis, tertium denarium ipsi Sculteto assigno, pro meque et meis successoribus legitimis duobus reservatis; Mellificia alias *Barczy* in sylvis ipsius Sculteti et meis et in graniciis earundem sylvarum, do et concedo exercere libere, quaeque poterit, et elaborare. Caeterum quoties me extra metas ad expeditionem belli generalem ire contigerit, tunc Scultetus jam dictus et sui sequaces mihi et meis successoribus equum, dimidiam alteram marcam valentem, conducere tenebuntur et accommodare; et si ipse equus in via mortuus fuerit, hinc nullius alterius damnum nisi

([2]) *Mystkow*, villa parochialis in Sandecensi olim regione, nunc in Gallicia. In parochia hac, villae *Mszalnica* et *Cieniawa* inveniuntur.

([3]) *Wygony* polonice, latine *pascua.*

Sculteti erit, et si sanus redierit, hinc eum Sculteto praefato reddere debeo, et mei posteri sequaces. Etiam praedictus Scultetus omnimodam habebit potestatem in metis et graniciis villarum saepe dictarum tam longe et late, prout granicies se extendunt, omnes et singulas ferarum et piscium venationes exercere, necnon et excisiones arborum et lignorum toties quoties sibi fuerit opportunum et suis legitimis successoribus. Granicies vero villarum jam dictarum ita se extendunt; Cum Domino Procopio de *Kruzlowa* (¹) *Cieniawa* granicies habebit, et a *Cieniawa* usque ad *Ptaśnikowa* et usque fluvium et *Czarna Kamionka* rivulorum, qui dividit granicies, quocumque ierit. Praefatam autem donationem in venatione ferarum et piscium, nec non et pascua Scultetus praenominatus et sui legitimi successores libere habebunt perpetuis temporibus, infra granicies et metas praedictarum villarum, exercere pacifice et quiete. Scultetus vero et sui posteri villani et incolae ibidem commorantes, in iisdem sylvis villarum pascua libera habebunt aeviterne; etiam Scultetus praefatus et sui successores nullibi alias, si coacti fuerint ad serviendum, servire debent, duntaxat ad expeditionem belli generalem, et neque cuipiam hominum respondebunt de se querulantibus, tantummodo ipsorum jure Theutonico Magdeburgensi in judicio Scultetorum Curiae Sandecensis; cmetones autem et omnes inhabitatores villarum praedictarum nullibi judicari debeant, nisi in ipsorum hereditatibus, coram eodem Sculteto pro tempore existenti, et hoc non alio jure nisi Magdeburgensi de se querulantibus respondebunt. Insuper cmetones dictarum villarum eorum Sculteto lapidem molarem, quando fuerit opportunum, adducere ad molendinum, ripas molendini et fossalia augere et reformare debent, et erunt adstricti; etiam cmetones in eorum graniciis gramina falcastrare unum diem annis singulis sunt et erunt adstricti, et quilibet illorum per unum plaustrum lignorum pro festo Nativitatis Christi erunt obligati adducere pro curia mea meorumque successorum nunc et in aevum. Eximo insuper et excipio Scultetum praefatum et cmetones villarum ab omnibus angarationibus et solutionibus, quae jus Theuto-

(¹) Parochiae *Kruzlowa* dictae, tres villae adnumerantur: *Krozlowa wyższa*, *Krozlowa niższa* et *Starawieś*; sitae sunt in regione sandecensi (1676).

nicum Magdeburgense ab antiquo consenserit (consueverunt?) perturbare. In cujus rei evidentiam pleniorem et testimonium fide dignum praesentibus sigillum meum est appensum. Actum et datum in domo meae habitationis in Octava S. Margaritae, in Nova *Sandecz*, Anno Domini Millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto.

CCXXI.

Petricoviae— die 23 Octobris 1464 anno.

Casimirus Jagellonides, rex Poloniae, ministeriales regni stationes et procurationes in villis monasterii Calvi Montis, a cmetonibus et incolis expetere prohibet (¹).

Cazimirus dei gracia Rex Polonie, magnus dux Lithuanie, Russie, Prussieque dominus et heres, significamus tenore presencium uniuersis presentibus et futuris quomodo venerabilis et relligiosus Michael abbas cum suo conuentu monasterii sancte Crucis montis calui (²) sua nobis relacione monstrarunt cum querelis quod ministeriales alias *Oprawcze* in terris nostris instituti uillas ipsorum visitant, ab eisdem et eorum cmetonibus et incolis staciones et procuraciones expetunt, eosque ad grauamen non modicum ad inquirendos frequenter causas irracionabiles ad castra nostra cittant et fatigari procurant, et quia huiusmodi uisitaciones et procuracionum adinuenciones per constituciones nostrorum predecessorum sunt uetite, que in opressionem vicorum relligiosorum et eorum hominum subditorum uergunt uelud pacis inquietatiue, nos innitentes predecessorum nostrorum uestigiis dictas constituciones approbamus et innouamus generaliter institutas quia uero plus solet timeri quod singulariter prohibetur quam quod.... cauetur; vobis omnibus et singulis ministerialibus alias *oprauczam* in

(¹) Ex libro manuscripto, de quo jam sub a. 1351 diximus (vide annotationem primam tabulae Nº CV pag. 233) Leo Rzyszczewski descripsit.
(²) *Calvus mons*, *Łysa góra*, de quo jam supra. De Michaele abbate legas annotationem secundam.... tabulae Nº CCXI pag. 415.

quibuscumque terris constitutis mandamus seriosissime precipiendo quatenus prefatum Michaelem Abbatem ac eius successores totumque' conuentum monasterii predicti, eiusque Cmetones, homines, incolas, et quocumque modo subditos uisitare, iudicare, cittare, et procuraciones extorquere nulla racione presumatis, prout maximam in uos uindictam cupitis euitare. Si qui uero cmethones et subditi abbatis et conuentus videbuntur esse infames, aut in aliquo uicio criminali suspecti, ipsos aut aliquem taliter de aliquo crimine infamatum, procuratori et tenutario bonorum eorumdem denuncietis et accusetis puniendum, qui iuxta huiusmodi delicti exigenciam absque uestra et cuius libet vestrum presencia eos iudicare, punire et sentenciare tenentur secundum modum et tenorem litterarum et priuilegiorum dicto monasterio concessorum; si quid autem contra premissa attentatum fuerit id totum cassum et inane uolumus reputari. Ceterum dicto abbati et suis successoribus totique conuentui ac omnibus et singulis ipsorum oppidanis, cmetonibus, uillanis, et incolis, ex nostra speciali gracia, quam dictum monasterium gerimus concedimus et damus nostram Regalem forestam alias *obora* itam (sic) dum et quando pecudes et pecora aut res alias in suis damnis receperint et arestauerint, ea ad curiam uicinam dicti damni prefatorum abbatis et conuentus pellere et dare possint eo iure quo ad castra nostra uicina pelli et dari deberent. Datum in *Piotrkouu* feria secunda proxima post festum sancti Luce euangeliste, anno millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto, sigillo nostro subappenso.

Ad relacionem Reuerendi patris domini Joannis dei gracia Episcopi Cracouiensis postulati Gneznensis Regni Polonie Cancellarii.

CCXXII.

Slupiae — die 4 mensis Decembris 1468 anno.

Nundinas, quae superioribus singulis annis in Monte Calvo exercentur, ordinis tranquillitatisque publicae causa, Rex Casimirus Jagellonides in oppidum *Slupie* transfert (¹).

In nomine domini amen. Cum gestorum merita obliuio singulaque volvuntur sub tempore e memoria plerumque excutit ac detergit, si non fuerint stili artificio et testium annotacione perennata: proinde nos Cazimirus dei gracia Rex Polonie nec non terrarum Graccouie (sic) Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuiauie, Magnus dux Lithuanie, Russie, Prussieque, nec non Culmensis, Elbingensis, et Pomeranie dominus et heres, ad perpetuam rei memoriam significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis presentibus et futuris; quod venerabilis ac relligiosus Michael Abbas sancte crucis montis calui, deuotus noster dilectus, sua nobis narracione monstrauit, quod singulis annis superiori tempore transactis, in monte caluo monasterii sui pro festo pentecosthes ad tenendas nundinas seu forum annale, nulla priuilegiorum firmitate roboratum, populi multitudo sexus utriusque assolet de consuetudine confluere, ubi tubarum, timpanorum. fistularum, aliorumque musicorum generum exercicia adhibentur, Chorearum ceterorumque jocorum plausus exercentur, multa insuper furta, homicidia, alieque enormitates et deordinaciones plerumque committuntur, que cultus diuini obsequis diurnis et nocturnis sepenumero magno sunt impedimento unde deordinata et enormia huius modi scandala ab illo loco in quo nomen domini assidue inuocatur tollere ac prouida prospectione summouere (?) cupientes, quatenus et locus ipse honestate debita prosequatur et fratres illius monasterii optata

(¹) Ex eodem libro manu scripto, qui jam sub a. 1351 descriptus erat, tabula a Leone Rzysczewscio deprompta. De oppido *Slupie* monasterii in Monte Calvo locati proprio, ibidem.

quiete in suis oracionibus quibusuis summotis impedimentis ponantur, prefatas nundinas seu forum annale in dicto monte caluo amplius et de cetero exercendum inhibemus prefato abbati et suis pro tempore successoribus mandato nostro Regio committimus, ut tales enormes deordinaciones scandalososque Conventus (sic) pro dictis diebus, in quibus spiritus sancti gracia pocius est imploranda fieri prohibeat ducturas, propinacionesue cereuisiarum aliorumque potagiorum non admittat, tuguria insuper pro premissis exercendis in dicto monte caluo construere nulla racione permittat, sola dumtaxat taberna excepta que illic antiquitus est locata aut erecta, quam in primeuo statu et condicione uolumus permanere. Ne autem hominibus dictas nundinas exercere uolentibus negociandi aut mercandi, uendendi uel emendi facultas adimi uideatur, ipsas siue forum annale in oppido *Slupi* sub monte caluo ante dicto sito, bis in anno, uidelicet pro diebus festi Pentecostes et pro festo beati Laurencii martiris nec non per totam octauam festorum predictorum singulis annis indiximus, statuimus, et posuimus, indicimusque, ponimus et statuimus perpetuo et in euvm tenore preeencium mediante, ab omnibus mercatoribus, uectoribus et populis cuiuscumque status condicionis, sexus, aut preeminencie existant, more ciuitatum et aliorum oppidorum Regni nostri celebrandi et realiter exercendi, decernentes presentis scripti patrocinio, ut quicumque homines, ad huiusmodi nundinas seu annalia fora pro festiuitatibus Pentecosthes et Laurencii predictis, ad sepedictum oppidum *Slupi* gracia emendi, uendendi, et res pro rebus commutandi accesserint in accedendo et recedendo securitate nostrà plenaria et nostrorum successorum pociantur, nisi tales sint quos iura non tueutur et quibus merito fidedignorum consorcia denegantur. Volentes insuper dicti monasterii montis calui condicionem facere meliorem, ut inde uberioribus fratres eiusdem gracie nostre presidiis subportati, altissimum pro nobis ac statu reipublice feruencius studeant exorare, prefato Michaeli abbati et suis pro tempore successoribus racione foralium a quolibet curru panni onerato per unum grossum, ab aliis uero curribus institorum siue mercimoniorum per medium grossum tollendi ac recipiendi

tempore huiusmodi nundinarum plenam et omnimodam concedimus facultatem ciuitatum tamen et oppidorum nostrorum Regalium mercatoribus, vectoribus, ac negociatoribus duntaxat exceptis quos ad dictorum foralium solucionem nullatenus uolumus obligari. Interea autem forensium extranearumue cerrevisiarum (sic) ducturam ac propinacionem, uino duntaxat excepto in ipso oppido *Slupi* pro temporibus prescriptarum nundinarum prohibendi ac tuendi memorato abbati ac suis successoribus plenam potestatem impartimur, ita tamen, ut de hiis et aliis necessariis pro hominibus forum annale huiusmodi celebrantibus et exercentibus prouidere eademque abs desertio ministrare teneantur ac debebunt. Harum quibus sigillum nostrum est subappensum testimonio litterarum. Actum in *Slupi* dominico die ipso sancta Barbare uirginis, anno domini millesimo quadringentesimo sexagesimo octauo; presentibus Generosis, strenuis, ac nobilibus Nicolao de *Chranstkow* Vexillifero Graccouiensi (sic), Petro *Dunijn* de *Praucouice* succamerario ([2]) Paulo *Jassieniskij* subdapifero Sandomiriensi, Nicolao *Dzialinskij* et Nicolao *Cosczielieckij* curiensibus nostris, ceterisque ad premissa fidedignis. Datum per manus Venerabilis Alberti de *Zichlin* custodis Sandomiriensis, nec non Gneznensis, Graccouiensis, Vladislaviensisque, et Posnaniensis Ecclesiarum Canonici, ac Regni Polonie uicecancellarii, sincere nobis dilecti.

Relacio eiusdem Venerabilis Alberti.

([2]) Sandomiriensis sub, camerarius fuit.

CCXXIII.

Cracoviae—die 10 Julii 1470 anno.

Casimirus Jagellonides rex, Advocatias in villis *Kryk*, *Lubusza* et *Bieniarowa*, Consulibus urbis *Biecz* dictae in usum hospitalis a quibusdam haeredibus emere permittit et ab omnibus solutionibus expeditionibusque bellicis, liberas facit (¹).

Kazimirus Dei gracia Rex Polonie Magnus dux Lithwanie, Russie, Prussieque Dominus et Heres etc. Ad perpetuam rei memoriam. Significamus tenore presencium quibus expedit universis. Quomodo predecessorum nostrorum vestigys inherentes, qui ad propagandum cultum divinum, miserabiliumque calamitatibus oppressorum, defectibus et egestatibus subvenire et eis providere vigili solicitudine consueverunt, utque tempore nostri Regiminis eiusmodi opus pium amplificetur et distendatur; Attendentes defectus et caristiam hospitalis in *Byecz*, in quo complures pauperes defectibus corporis et infirmitatibus tacti in lectis decumbunt; Specialiterque attendentes, Quia Serenissima domina Heduigis olim Polonie Regina dictum Hospitale Byeczense inhabitantibus villas *Kryk* et *Lubuscha* (²) in certis pecuniarum summis cum amplis Prerogativis et libertatibus inscripserat, de quibus nunc ex consensu nostro per Magnificum Jacobum de *Dambno* Regni Polonie Cancellarium et Capitaneum Cracoviensem sincere nobis dilectum, pro meliori Castri nostri Beczensis condicione reempti sunt; Volentes et nos de munificencia nostra alias eisdem benigniter providere, et benivolencia ac afectu Circumspectorum Consulum Civitatis Beczensis, quem ad ipsum hospitale habere soliti sunt, habentque, diligenter perspectis, Horum itaquc intuitu ipsis Consulibus seu gubernatoribus eiusdem hospitalis, tum alimento et

(¹) Privilegium hoc, e tabula in archivo urbis *Biecz* asservato, descripsit Josephus Łepkowski. Urbs olim territorii, nunc circuli caput, hodie in Gallicia invenitur.
(²) Ad ecclesiam villae parochialis, *Libusza* dictae, pertinet villa *Kruk* (1676).

victu pauperum, tum et necessitatibus providendis eorundem, Advocacias sive Scoltecias in villis nostris *Kryg, Lubuscha* prefatis et *Beniarowa* ([3]), in Terra Cracoviensi et districtu Bieczensi sitis, aut aliquam in eisdem villis advocaciam, apud veros heredes earundem emere et comparare admisimus et indulsimus, admittimusque et indulgemus tenore presencium mediante, Per eosdem factores hospitalis prefati et pro ipso hospitalis usu, uti premisimus, et personarum in ipso decumbencium et degencium, tenendum, habendum, possidendum, utifruendum, cum omnibus et singulis earundem advocaciarum aut altere (sic) earum, quam vel quas in eisdem villis *Kryk, Lubuscha* et *Beniarowa* duxerint emendas, possidendum et habendum pleno iure, eoque quo venditores huiusmodi advocaciarum uti et frui soliti sunt, utunturque, Volentes et presentibus decernentes, dictas advocacias sive scultecias aut unam quamcunque ex eis emere contingat (sic), ab omnibus et singulis censibus, exactionibus, laboribus, donacionibus, servicys, angarys, ducturis, expedicionibus bellicis generalibus et particularibus nostris et Regni nostri, officialiumque nostrorum quorumlibet fore et esse liberos et absolutos. Quas scultecias et cum earum directoribus prefate Civitatis Beczensis Consulibus atque ipsius hospitalis vitricis et provisoribus occasione tenute Scolteciarum earundem, absolvimus et libertamus tenore presencium, Easque vel alteram earum advocaciarum in dictis villis emendarum Juri et immunitati hospitalis predicti annectimus et incorporamus, Presentibus libertatibus quoadusque dicti Consules easdem advocacias tenuerint pro dicto hospitali tantummodo valituris. Harum Sigillum nostrum est subappensum testimonio literarum. Actum et datum *Cracovie* feria tercia ante festum Sancte Margarethe virginis. Anno Domini Millesimo quadringentesimo Septuagesimo. Presentibus Magnificis et venerabilibus Dobeslao Kmita de *Wisnicze* Lublinensi, Johanne de *Tarnow* Woyniczensi, Stanislao de *Strzelcze* Sandecensi Castellanis, et Johanne *Dlugosch* ac Mathia *Blandowsky* Canonicis Cracoviensibus, testibus circa premissa. Datum per manus Magnifici Jacobi de

([3]) *Binarowa* est villa parochialis, Biecensis olim territoris (1676).

Dambno Regni Polonie Cancellary et Capitanei Cracoviensis sincere nobis dilecti.

CCXXIV.

Wieliczcae — die 20 Martis 1474 anno.

Communitati fabrorum in urbe *Wieliczka*, Lucas Fijołek notarius thesauri regii, emptum a se opus montaneum *Wąszowskye* dictum donavit et hanc ob causam cives se gratos erga illum praebent (¹).

In nomine domini amen. Quoniam fragilis hominum memoria mortalitati subiecta faciliter cum tempore in oblivionem deducitur nisi litterarum munimine fuerit roborata. Proinde nos comunitas Fabrorum in *Wyelyczka* presens et futura recognoscimus, Quia honorabilis dominus Lucas Fyolek Thezaurorum Regalium notarius. Ut eius aput nostram comunitatem singularis habeatur memoria perpetue secundum formam in littera ipsius nobis super hoc data et penos accepta. Eidem universitati nostre opus montaneum quod habuir in montibus Zuppe Wyeliciensis Widelicet *Wąszowskye* peccunijs pet ipsum emptum et solutum dedit donavit perpetue. Nos quoque grar tam et acceptam donacionem huiusmodi habendo deliberacione inter nos prehabita ad Tricesimam (²) loco Anniversarij ut in littera originali sue paternitatis desuper confecta est descriptum. Nos et successores nostros obligamus et astringimus sub consciencia presentibus eviterne. Datum in *Wyeliczka* feria quarta ipso die sancti Gumperti Anno domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto. Presentibus Nicolao Barbato Stanislao Firnest. Stanislao *Chwala.* Johanne Schynal. Stanislao Harny. Andrea *Galąska* Consulibus et alijs fratribus Comunitatis nostre omnibus eiusdem fraternitatis nostre sub sigillo.

(¹) Tabulam habuimus in archetypo a doctissimo Venceslao Alexandro Maciejovscio nobis communicato. Descripsit illam Leo Rzyszczewski. Sigillum desideratur.
(²) Conf. de hoc verbo, Lexicon mediae latinitatis (authore Du Cangio).

ad granicies *starosczka*, ab aciali granicie *lyscholayska* ad acialem graniciem *Starosczka* et campum ac arwm *dablowske* dempto magno arwo, quod sibi remansit idem nobilis bernardus pro triginta mercis (sic) pecunie communiter in regno currentis, cum omni iure, proprietate et dominio prout solus tenuit. nichil sibi ibidem reseruando nec suis legittimis successoribus perpetue et in ewm. Et iam sibi dedit intromissionem per ministerialem terrestrem nomine Paulum et per ipsum *Sdbank* tenendi, habendi, utifruendi perpetue. Et ipsum debet tueri ab omni inpedimento cuiuslibet persone secundum terre conswetudinem. In cuius rei testimonium sigilla nostra sunt presentibus subappensa. Datum in *lublin* feria secunda proxima post festum sanctorum Petri et Pauli apostolorum, anno domini millesimo quadringentesimo septuagesimo septimo. Presentibus generosis et nobilibus Petro et Johanne *Kanynskich*, Martino de *Oschijmy*, Johanne de *Jasthkow*, Jacobo *Kanynskij* de *Jacubowicze* (²), Johanne *Crzeschymowskij* (³) et alijs quam pluribus nobilibus circa premissa fide dignis.

Jo. *Kyansky*
propria manu.

(²) *Jakubowice*: in moderna Lublinensi provincia tres sunt ejusdem nominis villae, in Krasnicensi, Lubartoviensi et Lublinensi regione.

(³) Nobilis, qui in proxime praecedente tabula, Johannes de *Crzeszimow*, appellatur.

CCXXVII.

Lublini—die mensis 13 Januarii 1484 anno.

Casimirus Jagellonides rex, ad preces castellani Cracoviensis Jacobi de *Dębno*, hortos et areas desertas apud oppidum *Biecz*, advocato Biecensi nobili Nicolao Szczepanowscio ejusque successoribus, certis conditionibus donat (¹).

In nomine Domini. Amen. Res pereunt universe et errore contabescunt, quarum non sunt acciones literarum perhennate apicibus et testium custodia dedicate. Ad perpetuam igitur memoriam Nos Kazimirus dei gracia Rex Polonie, necnon Cracovie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuyavie, Magnus dux Litwanie, Culmensis, Michaloviensis et Pomeranie, Russie Prussieque Terrarum heres et dominus. Significamus universis quibus expedit presencium noticiam habituris, presentibus et futuris, Quomodo ad intercessiones Magnifici Jacobi de *Dambno* Castellani et Capitanei Cracoviensis nobis sincere dilecti, Nobili Nicolao *Sczepanowsky* advocato in *Byecz* et suis legittimis Successoribus ortos sive Areas desertas sub monte Castri *Byecz* et Ecclesie sancti Petri ante Civitatem Byeczensem iuxta piscinas nostras penesque viam que de *Byecz* ducit in villam *Strzeschin* protendendo versus fluvium *Roppa* vulgariter nuncupatum donacione perpetua et irrevocabili dedimus et contulimus damusque et conferrimus tenore presencium mediante, Per ipsum Nicolaum *Sczepanowsky* et suos legittimos Successores tenendum, possidendum, utifruendum, vendendum, commutandum et usibus suis applicandum, de quibus quidem areis et ortis ipse Nicolaus *Sczepanowsky* et sui legittimi Successores Nobis et nostris Successoribus unum fertonem monete et numeri usualis Regni nostri solvere tenebitur et tenebuntur. Harum Sigillum nostrum est appensum testi-

(¹) Josephus Łepkowski hanc tabulam in archivo urbis *Biecz* invenit illamque nobiscum communicavit.

monio literarum. Actum in *Lublin* feria Quinta ante festum Kathedre beati Petri apostoli. Anno domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo Quarto; Presentibus ibidem Reverendissimis Reverendisque in Christo patribus, nec non Magnificis viris: Sbigneo Gneznensi Regni nostri Primate, Johanne Leopoliensi Metropolitanarum Archiepiscopis, Johanne Cracoviensi; Petro Wladislaviensi, Uriele Poznaniensi et Johanne Chelmensi Cathedralium Ecclesiarum Episcopis. Johanne Cracoviensi, Spithkone Sandomiriensi (2), Nicolao de *Cuthno* Lanciciensi et Maioris Polonie Capitaneo generali, Felice de *Tharnow* Lublinensi et Johanne *Odrovansch* de *Sprova* Russie generali Palatinis, Johanne de *Ostrorog* Poznaniensi, Paulo de *Jasxona* (3) Sandomiriensi, Dobeslao de *Curosvanky* Siradiensi (4), Andrea de *Schamotuli* Gneznensi Castellanis (5), sincere nobis dilectis, Pluribusque fidedignis testibus ad premissa. Datum per manus Venerabilis Creslai de *Curosvanky* decani Gneznensis et Cantoris Cracoviensis, Regni nostri Cancellarij sincere nobis dilecti.

Relatio eiusdem Venerabilis Creslai de *Curosvanky* Decani Gneznen. et R. P. Cancellary.

(2) *Spitho* de *Wrotslaw*, conf. pag. 701. tomi secundi Codicis.

(3) Paulus Jasieński, de *Jasieniec*,—de illo sub a. 1485. legas libros manu scriptos „Metryki koronne" Vol. 23. pag. 252.

(4) In Niesieccii senatorum Poloniae indicibus deest hic castellanus siradiensis. Tria tamen testimonia citare possumus, ex quibus, *Kuroswanscium* castellanum siradiensem iisdem temporibus fuisse, patet; de nomine tantum illius varii sunt testes. *Nicolaum* enim de *Kurozwęki* habet opus jam toties laudatum: „Dodatek tygodniowy" (conf. a. 1851, N⁰ 31), et Codex salinarum Łabęccii (conf.: „Górnictwo w Polsce" T. 2. privilegii numerus 16-us). *Dodatek* Nicolaum sub a. 1484—Łabęcki vero sub a. 1487 posuit. Qua igitur de causa Dobeslaus in nostra legitur tabula? Haud dubio mendose Dobeslaus hic ponitur pro Nicolao; conf. pag. 701. tomi secundi Codicis, ubi Dobeslaus de *Kurozwęki* palatinus est lublinensis mense decembri eodem 1484 anno.

(5) In indicibus Niesieccii castellanus hic desideratur.

CCXXVIII.

Wisliciae — die 30 Junij 1485 anno.

Nobilis Joannes *Zyrka* de *Skrobaczow* et Castellanus Sandomiriensis Nicolaus bona sua inter se commutant ([1]).

1510. Stanislaus *Lithwosz* de *Kazanow* Succamerarius Lublinensis ac Judex, et Stanislaus de *Lyathoschyn* Subiudex terre Sandomiriensis generales Significamus tenore Presencium quibus expedit vniuersis et singulis presentibus et futuris. Quomodo tempore antecessorum nostrorum Generosorum olim Petrj *Sanczygniegnyewsky* ([2]) Judicis et Nicolaj de *Sborzona* ([3]) Subiudicis terre prefate generalium existentibus (sic) invenimus notam inscripcionis in actis ipsorum Judicialibus Vislicziensibus feria quinta proxima post festum beatorum Petrj et Paulj Appostolorum Anno domini Millesimo quadringentesimo Octuagesimo quinto scriptam, ipsam sub titulis et Sigillis nostris exponere mandauimus in hec verba.

1485. Quomodo constitutus personaliter coram Juri Nobilis Johannes Zyrka de *Skrobaczow* ([4]) heres sanus mente et corpore existens non compulsus nec coactus sed ex sua libera voluntate publice recognouit. Quia cum Magnifico Nicolao Castellano Sandomiriensi ([5]) fecit perpetuam commutacionem in hunc modum. quia idem Johannes. domino Nicolao dedit et commutauit suam porcionem hereditariam

([1]) Tabula anni 1485. transumpto est anni 1510, ut videmus, inserta. Transumptum vero, verisimile monasterii Staniątcensis proprium, ex folio membranaceo descripsit Sławiński. Sigillum desideratur, supersunt tantum duae taeniolae pargamenae.

([2]) *Sancygniów*, villa parochialis in Szkalbmiriensi regione, Cracoviensis provinciae.

([3]) *Zbożenna*, villa oppidi *Skrzyńsko* proxima, hodie in Opocznensi regione, provinciae Sandomiriensis.

([4]) *Skrobaczow*, villa in Stobnicensi parochia Cracoviensis provinciae in Regno Poloniae moderno.

([5]) Nicolaus hic in Niesieccii indicibus senatorum desideratur.

quam habuit ibidem in *Skrobaczow.* pro Ortulania in *Sczepanovicze* (6), ad quam Ortulaniam ipse Nicolaus addidit sibi Johannj decem marcas pro eadem sorte predictj Johannis. commutando terram pro terra cum omni Jure et toto dominio nichil excipiendo prout ad ipsorum bona ab antiquo spectabat et pertinebat Et iam ipsis in eadem bona invicem dederunt intromissionem per ministerialem Boleh de Jure additum Et debent se pro eisdem bonis mutuo tuerj et intercedere a qualibet persona iuxta Jurisformam secundum quod ad quam personam pertinet prescripcio.

1510. In cuius rei testimonium Sigilla nostra presentibus sunt subappensa Data exposicionis huius litere in *Vislicza* feria secunda post dominicam Invocauit (7) proxima Anno dominj Millesimo quingentesimo decimo presentibus Nobilibus Paulo de *Sczaworzysz* (8), Raphaele de *Goluchow* Camerarijs Nicolao de Parwa *Kazimirza* Johanne *Grodowsky* Johanne *Czanoczky* Et alijs quampluribus testibus circa premissa fide dignis.

(6) *Szczepanowice*, duae ejusdem nominis sunt villae in Cracoviensi provincia, Proszovicensis et Miechoviensis regionis. *Kazanow*, oppidum est in Radomiensi territorio, et ejusdem nominis villa in Koniecensi (*Końskie* urbs) regione, utrumque in Sandomiriensi olim provincia.

(7) Id est, die 18 Februarii 1510 anno.

(8) *Szczaworyż*, villa parochialis Stobnicensis regionis et territorii. *Gołuchów* villa Stobnicensis territorii, Szydłowiensis regionis.

CCXXIX.

Cracoviae — die 4 Julii 1487 anno.

Casimirus Jagellonides rex, villam *Lipnik* nobili cuidam pro meritis e manibus Bauli Myszkowscii eximendam permittit (1).

Kazimirus deigratia Rex Polonie Magnus Dux Lithuanie Russie Prussieque etc dominus et heres Significamus tenore presencium quibus expedit universis Quomodo attendentes grata fideliaque seruisa (sic) Nobilis Johannis *Daschowskij* Terrigene nostri fidelis dilecti per eum Nobis exhibita horum ob respectum peticiemque (sic) sue acclinati sibi villam nostram *Lypnik* in terra Oswyanczymyensi sitam de manibus Generosi Pauli *Myschkowsky* prosumis pecuniarum in nostra villa iuste et legitime inscriptarum Etalium(sic) quod non augeatur summa pecuniarum super sumas per nos in villa ipsa iuste inscriptas exemendam consensimus et admisimus Consentimusque admittimus tenere permittimus (?) mitrar(?) per ipsum Johanes *Gaschewsky* de suas successores villam predictam nostram *Lypnyk* cum omnibus ejusdem pertinentijs alias iuxta tenorem et çontinentiam primarum literarum nostrarum per nos super ipsam villam iuste et legittime dattarum et comissarum tenendum possidendum pacifice et quiete usque ad exempcionem per nos vel successores nostros faciendam. Quia facta eiusdem ville posessie (sic) ad nos et successores nostros remiti debet pleno Jure harum quibus Sigillum nostrum est subappensum testimonio litterarum datum *Cracovie* feria quarta infra octauas fasij (?) Visitatoribus (sic) Gloriosissime Virginis Marie Anno Domini Millesimo Quadringentesimo Octogesimo septimo.

Creslaus Lamill sp. — Relatio Venerabilis Creslai de *Curozwyanky* R. P. Cancellarij.

(1) Tabulae hujus ex archetypo Bibliothecae Ossolinianae Leopoliensis proprio, descriptae, invenimus inter privilegia a prioribus authoribus seu potius editoribus ad usum Codicis nostri collecta, mendosum et cum multis verbis abbreviatis apographon; hanc ob causam de recta lectione ejusdem, multis in locis, incerti sumus. Nobilis vero, cujus gratia privilegium hoc editum, in tabula ipsa vario modo, id est *Daschowsky* et *Gaschewsky* appellatur.

CCXXX.

Niepolomiciis—die 7 Januarii 1489 anno.

Casimirus Jagellonides Rex, pro quingentis florenis hungaricalibus census sedecim marcarum per seniores magistros artis sutoriae in urbe Cracovia dari solitos, Nicolao de *Koprzywnica* plebano vendit (1).

In nomine domini amen. Et cum disposiciones et actiones hominum plerumque obliuio erroris vicio confundere consueuit, Regum et principum salubres constituerunt sanctiones, illas literarum scripturis, Sigillorum munimentis et testium aminiculo esse firmandas. Ad perpetuam igitur memoriam Nos Kazimirus dei gracia Rex Polonie, nec non terrarum Cracowie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuyawie, Magnus dux Lithwanie, Russie, Prussie, ac Culmensis, Elbingensis et pomeranie dominus et heres etc. Significamus tenore presencium, quibus expedit universis presentibus et futuris harum noticiam habituris. Quomodo exigente nostra et Regni nostri non mediocri necessitate et indigencia pro conseruandaque republica census annuos sedecim marcarum monete et numeri polonicalium, marcam in quamlibet computando quadraginta et octo grossos, In et super macellis, seu bancis sutorum in *Cracowia*, et eorum universis obvencionibus inter alios census pro fisco et Thezauro nostro Regio singulis annis per Seniores magistros artis Sutorie, ipsorumque comunitatem dari solitos et consuetos pro quingentis florenis hungaricalibus puri auri, boni et iusti ponderis, per nos pro predicta nostra et Regni nostri oportunitate et releuacione, in parata pecunia et auro effectualiter re-

(1) Ex originali Josephi Rusieccii tabula, cui sigillum deest, Antonius Muczkowski descripsit. In altera parte tabulae sequentem veterem latinam inscriptionem legimus: „Litera empcionis census sedecim marcarum in macellis siue bancis sutorum in Crac. v. 500 fl. auri de pondere N° 69 N° 199. Suttrina."

ceptis et leuatis. honorabili Nicolao de *Coprzywnycza* ([2]) in *Xansznycze* ([3]) plebano Altaristeque in Ecclesia Cathedrali Cracoviensi Executori testamenti olim Venerabilis magistri Jacobi de *Schadek* ([4]) decretorum doctoris, Canonici et Vicarij in Spiritualibus protunc generalis Cracowiensis, Non inprouide, aut per errorem, sed de certa nostra sciencia et voluntate, Prelatorumque et baronum ac Consiliariorum nostrorum nobiscum protunc existencium, consilio speciali deliberacione, approbacione, et consensu ad id accedente vendicione et titulo reempcionis alias *Nawiderkoff* vulgariter nuncupatis, vendidimus et resignauimus, vendimus et resignamus, ac sibi plenam et omnimodam facultatem in eisdem Censibus Sedecim marcarum Altare in aliqua ecclesiarum aut Collegiaturam (sic) cuiuscunque facultatis in universitate Cracowiensi studij fundandi, dotandi et obtinendi, aut aliquibus ecclesijs vel pijs locis coniunctim vel diuisim in toto vel in parte donandi et assignandi prout sibi melius expedire videbit (sic) damus et concedimus tenore presencium mediante perpetualiter et in evum, per ipsum et suos successores tenendi habendi percipiendi ac pro suo arbitrio et voluntate conuertendi. Quos quidem census sedecim marcarum, Seniores siue magistri Sutorum, totaque ipsorum communitas pro tempore existentes, et ceteri in futurum exnunc, et deinceps perpetuis temporibus, singulis videlicet pro quibuslibet quatuor temporibus, per quatuor marcas in moneta currenti et consueta Regni nostri Incipiendo solucionem a quatuor temporibus Cinerum proxime futuris, et continuando usque ad debitam et totalem eorundem censuum reempcionem, prefato Nicolao in *xansznijcze* plebano ac personis quibuslibet Spiritualibus, quibus ipsos census ad gloriam et honorem altissimi, pro laudisque diuine incremento duxerit donandos, aut in alia pietatis opera coniunctim vel diuisim in toto, vel in parte applicandos et adiungendos ad requisicionem presencium dabunt et assignabunt, realiterque et cum effectu persoluant, omni dilacione,

([2]) *Koprzywnica*, urbs Sandomiriensis territorii.
([3]) *Księżnice*, villa, de qua jam supra, in Cracoviensi provincia.
([4]) *Szadek*, urbs, regionis suae caput, in Siradiensi olim provincia, nunc in Kalisiensi.

difficultate, et renitencia nostra, nostrorumquu successorum, siue procuratoris generalis nostri, cui eundem censum predicti Seniores, totaque comunitas Sutorum in *Cracowia* dare pro designatis temporibus solent aut ipsius viceprocuratoris penitus cessantibus ad pecuniarum nostrarum regalium racionem receptis recognitionibus per memoratos Seniores Sutorum, ipsorumque comunitatem a prefato Nicolao plebano, aut successoribus suis per ipsum Nicolaum in *zanszniјcze* plebanum, ad id ut premissum est constituendis solucionem ipsi Nicolao plebano factam designantibus, pro racione nobis cum prefatis procuratore aut viceprocuratore, siue Senioribus magistris sutoribus fienda ponendis, quibus stare volumus, ac si munimine Sigilli nostri regalis essent roborate et sigillate. Quos quidem census sedecim marcarum annuos, ab omni onere, tributo generali, uel particulari, nec non contribucione quacunque, libertauimus et presentibus libertamus. Et nichilominus ipsos census, quamdiu per nos et successores nostros reempti non fuerint, ecclesiastico subicimus et volumus potiri priuilegio, libertate et immunitate. Casu vero, quo in solucione eorundem censuum sedecim marcarum, in toto vel in parte, prefati procurator siue viceprocurator, aut Seniores magistri sutorum, et ipsorum tota comunitas fuerint remissi et negligentes, omnibus censuris ecclesiasticis usque ad sentenciam Interdicti inclusiue, per loci ordinarium aut ejus vicesgerentem, in eos monicione duntaxat, infra sex dierum spacium personaliter uel in facie ecclesiarum parochialium ad sanctam mariam, et omnes sanctos in Cracowia premittenda, sine quavis concitacione ferendis et promulgandis. Quibus ipsos procuratorem, siue ipsius viceprocuratorem, ac Seniores totamque comunitatem sutorum, alias qui in premissis fuerint culpabiles, pro tempore existentes et alios in futurum, subiectos esse volumus. et subicimus, ad solucionem et satisfaccionem debitam compellantur et astringantur, quavis excepcione Juris uel facti, et contraria ordinacione statuto et laudo in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunque, quibus exnunc prout extunc, et extunc prout exnunc derogamus, et eas obtentas et obtinendas suis viribus carere volumus, nonnisi solucione et satisfac-

cione habita relaxandi et absoluendi. Et insuper prefatos procuratorem, viceprocuratorem, ac seniores sutores, eorumque comunitatem pro tempore existentem, a solucione dictarum sedecim marcarum census annui, sic ut premissum est, per nos venditi, interim quo reempti non fuerint nobis et succesoribus nostris facienda dimittimus et absoluimus, ac quittatos et absolutos esse volumus per presentes. Ita tamen, quod dum et quando dictum Censum sedecim marcarum redimere et reemere voluerimus, ipsum Nicolaum plebanum, aut cui donacionem censuum predictorum fecerit, Sex mensibus ante, de ipsa reempcione avisare debemus. Quo facto licebit nobis et successoribus nostris prelibatum censum, pro simili et integra summa quingentorum florenorum hungaricalium auri boni et iusti ponderis, quos ab eo similiter recepimus, et non aliter pro uno semel in manus memorati Nicolai plebani executoris, et successorum suorum, quibus donacionem fecerit Cracowie reponenda et persoluenda, dum et quando voluerimus et placuerit redimere et reemere. Quodque ipse Nicolaus aut successores ipsius debebit et debebunt subici periculis quandocunque euenientibus iuxta naturam et contractum reempcionis, alias ad arbitrium boni viri taxandis, secundumque eiusdem census quantitatem et valorem. Quem nos ipsum et successores ipsius, occasione censuum predictorum in verbo nostro regio indempnem reddere, presentibus promittimus et pollicemur. harum quibus sigillum nostrum est appensum testimonio literarum. Actum et datum in *Nyepolomycze* feria quinta post festum Epifanie proxima. Anno domini Millesimo quadringentesimo octogesimo nono. Presentibus ibidem Reuerendissimo et Illustrissimo principe domino ffrederico dei gracia Electo confirmato, Ecclesie Cracowiensis, Magnificisque et Generosis Jacobo de *dambno* Castellano et Capitaneo, Johanne Amor de *Tharnow* palatino Cracowiensi, Stanislao de *Schydlowiecz* Radomiensi et Raphaele de *Lesckno* Spicimiriensi Castellanis; petro de *Curoswanky* Regni nostri Thezaurario, Stanislao de *Wythowicze* Sanocensi Capitaneo, Campiductore generali Regni nostri et alijs quam pluribus testibus fide dignis. Datum per manus Venerabilis Gregorij de *Ludbrancz* Skar-

bimiriensi et sancti ffloriani in *Clepars* prepositi Regni poolonie (sic) vicecancellarij.

G. Vicecancellarius subscripsit.

Relacio eiusdem Venerabilis Gregorij de *Ludbrancz* Regni Polonie Vicecancellarij.

CCXXXI.

Cracoviae—die 6 Junii 1489 anno.

Nicolaus de *Szandowicze*, post suae uxoris mortem, dotem ejus fratri Nicolae de *Sancygniow* et nepoti reddit, cujus partem rex Casimirus in bonis suis *Kocina* inscribit (¹).

Kazimirus Deigracia Rex Polonie Magnus dux Lithvanie Russie Prussieque dominus et heres etc. Significamus tenore presencium quibus expedit Vniuersis Quomodo comparentes coram Maiestate nostra Generosi et Nobiles Nicolaus *Synowycz* de *Szandowicze* (²) Burgrabius Castri nostri Cracouiensis et Capitaneus Thancinensis ex vna Nicolaus de *Sancignijew* (³) noster Castri nostri Cracouiensis Burgrabius et Thomas *Buszkowsky* nepos eius ab altera partibus, talem inter se per medium Consiliariorum nostrorum, occasione dotis et dotalicij Nobilis Anne germane dicti Nicolai *Sancygnyewsky* et coniugis Nicolai *Synowycz* predictorum sterilis et sine prole deffuncte fecisse

(¹) Archetypon Staniątcensis monasterii proprium. Taeniola pargamena, minus sigillum rubri coloris in cera vulgari incisum, appensum est: repraesentat scutum in quatuor divisum partes, in quibus invicem videntur, et aquila Polonorum et insigne Lithuaniae „Pogoń" vernacula lingua appellatum. In ambitu inscriptio: *S. Kazimiri dei gracia .... lithvanie.* Descripsit apographon Sławiński.

(²) Fortasse *Sandowicze*, villa *Żelechoviensis* regionis et Łukoviensis hodie territorii in Lublinensi provincia.

(³) *Sancygniow*, villa Szkalbmiriensis regionis in Cracoviensi provincia.

ordinacionem recognouerunt. Quod videlicet ipse Nicolaus *Synovycz* satisfaciendo pro totali dote et dotalicio rebusque et bonis omnibus per eandem olim Annam, quomodolicet derelictis Nicolao et Thome predictis veris et legittimis dicte Anne successoribus, vltra ea que ipsis dedit et consignauit dare et soluere tenebitur Centum et quinquaginta marcas monete et numeri Polonicalium consuetorum realiter et cum effectu, ordine infrascripto Videlicet quinquaginta marcas pro festo sanctorum Petri et Pauli apostolorum proxime futuro, Reliquas vero Centum marcas, Nos qui in bona per eundem *Synowycz* nobis reformata ipso vita functo succedere debemus, post obitum dicti Nicolaj *Synowycz* infra quartale vnius anni soluere tenebimur. Quasquidem Centum marcas, eisdem Nicolao et Thome super bonis nostris villa *Cocyna* (1) ad nos et nostros successores sic ut premittitur devoluenda Inscribimus et reformamus. Et casu quo ipsas Centum marcas Necnon quinquaginta marcas prefatas, si ipsas quinquaginta marcas idem Nicolaus *Synovycz* non soluerit eisdem Nicolao et Thome pro tempore prescripto soluere negligeremus extunc ipso tempore lapso in dictam villam *Cocyna* eis intromissionem admittimus damusque et concedimus tenore presencium mediante, tenendam et possidendam Cum omnibus et singulis proventibus Censibus redditibus Predio. Agris pratis campis siluis borris et nemoribus Piscinis piscaturis riuis fluuijs et torrentibus molendinis et eorum emolumentis Mellificijs Venacionibus et aucupacionibus, et alijs quibuscumque obuencionibus nullis exclusis quibuscumque vocitentur nominibus per eos ac successores eorum Tenebimus habendum possidendum ac vtifruendum pacifice et quiete, Tandem quousque dicte Centum marce per nos et quinquaginta marce si per eundem Nicolaum *Synovycz* vt premittitur solute non fuerint integraliter fuerint persolute. Quibus Centum quinquaginta marcis solutis per nos vel successores nostros predicte ville possessio ad nos et successores nostros redibit pleno Jure Juribus nostris remanentibus semper saluis. Harum quibus Sigillum nostrum est subappensum testimonio litterarum. Datum *Craco-*

(1) Fortasse villa parochialis *Kocina*, hodie in Szkalbmiriensi regione sita.

uie feria sexta proxima ante Pentecostes. Anno domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo Nono.

Lubrancz Vicecancellarius subscripsi.

Relacio venerabilis Gregorij de *Lubrancz* Regni Polonie Vicecancellarij.

CCXXXII.

Cracoviae — die 29 Maji 1490 anno.

Joannes Amor de *Tarnow* palatinus cracoviensis, regem Casimirum sibi pro omnibus debitis et obligationibus satisfecisse, coram judicibus recognovit (1).

Nos Nicolaus *Sthrasch* de *Byalaczow* (2) judex et Johannes de Maiori *Modlnijcza* (3) subiudex terre cracouiensis generales. Significamus tenore presencium quibus expedit uniuersis presentibus et futuris presencium noticiam habituris. Quomodo dum et quando *Cracouie* in curia serenissimi principis et dominj dominj Kazimirj dei gracia Regis Polonie etc. iudicialiter pro tribunali residebamus, tandem veniens personaliter magnificus Johannes Amor de *Tharnow* Pallatinus cracouiensis recognouit: quia sibi serenissimus princeps et dominus dominus Kazimirus dei gracia Rex Polonie etc. pro omnibus debitis, obligacionibusque et florenorum summis quibuscunque et presertim pro vendicione bonorum *Stanislavycze* (4) et partem (sic) *Czczykovycze* sibi

(1) Ex originali a doctissimo Venc. Alex. Maciejowscio concesso, descripsit Antonius Muczkowski. Sigillum unum erat, nunc vero desideratur.

(2) *Białaczów*, urbs in regione Koniecensi (Konscensi), Opocznensis territorii, Sandomiriensis provinciae.

(3) *Modlnica*, villa parochialis in regione antiqua Cracoviensi (1676); ad illius ecclesiam *Mała Modlnica* id est *Parva*, etiam pertinet.

(4) *Stanisławice* et *Cikowice*, villae in parochia urbis *Uście*, territorii olim Szczyrzycensis Cracoviensis provinciae. Conf. tabulam proxime sequentem, in qua rex Casimirus dixit, easdem villas clavis Niepołomicensis partes fuisse.

serenissimo principi etc. per prefatum magnificum Johannem pallatinum cracouiensem vendite (sic) et resignate, et pro summa mille trecentorum florenorum hungaricalium auri puri veri et iusti ponderis est sibi satisfactum, et ex toto exsolutum, omnesque inscripciones et obligaciones super easdem summas florenorum habitas, ipse prefatus magnificus Johannes mortificauit et deleuit perpetue, literas quoque munimenta seu priuilegia super eadem debita seu summas florenorum, si quas prefatus Johannes pallatinus cracouiensis super suam Serenitatem haberet, per omnia illas anullauit et cassauit, et in nichilum redegit Censitens (sic) quia pro eisdem est sibi satisfactum perpetue et in evum. Et si prefatus magnificus Johannes literas, munimenta aut priuilegia super bona hereditaria *Sthanyslavycze* et partem *Czczykovycze* canencia et seruiencia, que merito essent sue Serenitati restituenda et danda, si quas retineret et non daret, omnia mortificauit et cassauit perpetue, prefatumque serenissimum principem neque posteros ipsius pro hijs impedire neque ammouere imperpetuum non debet. In cuius rei testimonium sigilla nostra presentibus sunt appensa. Actum et datum *Cracouie* in curia serenissimi principis et domini domini Kazimiri dei gracia Regis Polonie etc. die sabbato in vigilia penthecostes, anno natiuitatis dominj millesimo quadringentesimo nonagesimo. Presentibus ibidem magnificis et generosis Dobeslao lublinensi, Nicolao de *Smygrod* belznensi (sic) (5) pallatinis, Johanne de *Thączyn* vislicziensi (6), Andria (sic) de *Thączyn* voynycziensi (7) castellanis, Nicolao de *Plechovo*, Nicolao de *Chelm* heredibus et aliis quam pluribus fide dignis.

(5) In opere Niesieccii l. c. hic palatinus Bełzensis desideratur.
(6) Joannes de Tęczyn Rabsztyński.
(7) In Niesieccii indicibus desideratur, sed hunc castellanum etiam in libris Metrices Regni Poloniae vol. 14 pag. 410. sub a. 1489 legimus.

CCXXXIII.

Cracoviae—die 15 Octobris 1490 anno.

Casimirus Jagellonides Rex Poloniae, Nobili Czyrullo factori in Niepolomicze centum nonaginta florenos hungaricales in *Stanislawicze* et *Czykowicze* inscribit (¹).

Kazimirus dei gracia Rex Polonie, Magnus dux Lythwanie, Russie prussieque dominus et heres etc. Significamus tenore presencium, quibus expedit uniuersis. Quod cum Nobilis Czyrullus de *Wygnanow* (²) factor in *Nyepolomijcze* fidelis dilectus noster Nobilj Mathie *Sud* de *Proszowicze* (³), centum et nonaginta florenos per nos apud eundem Mathiam mutuo acceptos in villa nostra *Szyedlyecz* (⁴), quam tenuit obligatam ad vota nostra inscriberet, tanquam cauendo vel principalem hujus debiti se ponendo pro Maiestate nostra, Extunc nos volentes ipsum Czyrullum indemnem et cerciorem efficere pro eodem debito, per ipsum ad vota nostra in villa sue tenute inscripto, eosdem centum et nonaginta florenos hungaricales, eidem Czijrullo, et ipsius successoribus, pro festo Sancti Viti proxime venturo exolvere presentibus pollicemur, quos si tunc non soluerimus, extunc eos sibi et eius successoribus, in bonis nostris ad *Nijepolomijcze* pertinentibus, videlicet in *Stanislawicze* et *Czijkowicze* (⁵), inscribendos decreuimus, ac jam realiter et effectiue inscribimus. Quarum possessionem in Crastino festi predicti, Sancti Viti recepturus et habiturus est, ac tandem ipse successoresque sui easdem cum omnibus et singulis censibus,

(¹) Ex originali Josephi Rusieccii proprio, descripsit Ant. Muczkowski. Sigillum deest.

(²) In Regno Poloniae moderno sunt villae ejusdem nominis Kielcensis et Szkalbmiriensis regionis, et praeterea sunt in Sandomiriensi provincia tres villae, in Lublinensi una villa *Wygnanow* appellata.

(³) *Proszowice*, urbs, regionis caput, in Cracoviensi provincia Regni Poloniae moderni.

(⁴) *Siedlec*: sic appellantur villae Leloviensis regionis, Ilcussiensis territorii, altera ad parochiam *Koziegłowy*, altera ad parochiam villae *Potok* pertinentes.

(⁵) Villae territorii olim Szczyrzycensis—conf. tabulam proxime praecedentem.

agris, pratis, campis, siluis nemoribus, gaijs, rubetis, quercetis, borris, kmethonibus, laboribus, predijs, ortis, ortulanis, curijs, allodijs, oreis (sic) areis, frumentis, segetibus, mellificijs, apibus, melle ex eis proueniente, aucupis (sic), piscinis, piscinulis, piscaturis, piscibus, lacubus, riwis, torrentibus, fluvijs, fluminibus, aquis, earum decursibus, et eorum emolimentis, ac uniuersis et singulis utilitatibus, fructibus, redditibus, et obuencionibus, ad villas easdem nostras ex antiquo pertinentibus, tenebit, habebit, et possidebit pacifice usque ad exempcionem, per nos vel successores nostros faciendam, qua facta possessio earundem villarum ad nos conuertetur, pleno jure, nostris juribus semper saluis. Harum quibus Sigillum nostrum est subappensum testimonio literarum. Datum *Cracouie* feria sexta ipso die sancte Heduigis, anno domini millesimo quadringentesimo. nonagesimo.

Creslaus Cancellarius subscripsit.

Relacio Venerabilis Creslaj de *Curozwanky* Regni Polonie Cancellarij.

CCXXXIV.

Cracoviae — die 31 Julii 1491 anno.

Casimirus Jagellonides rex Poloniae, ducentos florenos hungaricales a Petro Salomonis Consule Cracoviensi mutuatos, in Custodia piscium Cracoviensi assecurat (1).

Kazimirus dei gracia Rex Polonie, Magnus dux Lithvanie, Russie, Prussieque dominus et heres etc. Significamus tenore presencium quibus expedit uniuersis. Quia famosum Petrum Salomonis Consu-

(1) Ex originali Josephi Rusieccii proprio, descripsit Ant. Muczkowski. Sigillum deest.

lem Ciuitatis nostre Cracouiensis. de ducentis florenis hungaricalibus certificare volentes, Centum nobis per eum mutuatis, et centum pro debito Illustrissimi filij nostri domini Joannis Alberti. quos apud eum intercessimus, sibi eos in et super Custodia nostra Cracouiensi piscium inscripsimus et demonstrauimus, inscribimusque et demonstramus tenore presencium mediante, per ipsum et suos successores legittimos Custodiam predictam iuxta continenciam priorum literarum nostrarum super eandem per nos sibi concessarum tenendam, habendam, utifruendam et quiete possidendam, usque ad plenariam predictorum ducentorum florenorum per nos vel nostros successores legittimos sibi vel suis successoribus legittimis. cum alijs summis in predictis literis contentis solucionem. Preterea vero seruiciorum eius racionem habentes sibi in eadem custodia. de singulari gracia nostra viginti florenos hungaricales inscripsimus et presentibus literis inscribimus. cum predictis summis per nos similiter. vel nostros successores sibi vel suis successoribus soluendos. Harum quibus Sigillum nostrum est subappensum testimonio literarum. Datum *Cracouie* feria quinta post festum sancti Jacobj apostoli proxima. Anno domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo primo.

G. Vicecancellarius subscripsit.

Relacio Venerabilis Gregorij de *Ludbrancz* Regni Poloniae Vicecancellarij.

CCXXXV.

Cracoviae—die 10 mensis Januarii 1493 anno.

Joannes Albertus rex, pro trecentis sexaginta florenis hungaricalibus acceptis, duodecim marcas census consulibus cracoviensibus inscribit (¹).

Joannes Albertus dei gracia Rex Polonie, suppremus dux Lithuanie, Russie, Prussieque dominus et heres etc. Significamus tenore presencium uniuersis quibus expedit. Quia propter arduam nostram et reipublice Regni nostri necessitatem a ffamosis Consulibus Ciuitatis nostre Cracouiensis, tanquam patronis legittimis et unicis Altaris Sanctorum Benedicti Abbatis, Viti et Modesti, ffabiani et Sebestiani martirum, Zophie et Cordule virginum in Ecclesia beatissime virginis Marie in Circulo Cracouiensi sita, cum consensu venerabilis Johannis de *Oswyaczijm* (²) doctoris plebani ad sanctum Nicolaum extra muros Cracouienses eiusdem Altaris Altariste Trecentos et sexaginta hungaricales florenos aurj purj et iusti ponderis recepimus et in effectu leuauimus. Pro qua quidem summa eisdem Consulibus tanquam patronis dicti Altaris, duodecim marcas census communis pecunie de censu nostro annuo viginti septem marcarum a pistoribus seu de stacionibus panum in Ciuitate nostra Cracouiensi singulis annis nobis, preueniencium, perpetua vendicione, in vim tamen redempcionis alias

(¹) Ex originali Josephi Rusieccii proprio, descripsit Antonius Muczkowski. Sigillum deest. In altera parte tabulae sequens latina inscriptio:
Littera Johannis Albertj Regis super censu duodecim marcarum Altaris sancti Benedictj, in Ecclesia beate Virginis parrochialj pro 360 flor. ungar. in auro.

(²) *Joannes* de *Oswiecim* vulgo *Sacranus* appellatus, canonicus cathedralis cracoviensis, professor et rector Academiae, plebanus ad S. Nicolaum, Joannis Alberti, Alexandri et Sigismundi primi a confessionibus fuit—celeberrimus vir et doctissimus, saepe orator ad Lithuaniam, multum in legationibus versatus. Author fuit celeberrimi suo tempore operis: „Elucidarius errorum ritus ruthenici" in lucem primo editi sine loco et anno, sed haud dubio, Cracoviae 1500 a. Opus non semel reimpressum. Conf. de illo doctissimi Michaelis Wiszniewscii res gestas rei Polonorum litterariae, vulgo „Historya literatury polskiéj" T. V. pag. 21—22.

naviderkoff vendidimus, et vendimus tenore presencium mediante, possessionem realem et effectualem eiusdem, ipsis consignantes, quem quidem censum predictus Magister Johannes *Oswyaczym* Altarista et alij pro tempore altariste tollere et recipere debebunt, medietatem scilicet pro festo Sancti Michaelis, et aliam medietatem pro festo Pasce, tamdiu, donec predicta summa Trecentorum et sexaginta florenorum hungaricalium, per nos vel nostros successores, in manus predictorum Consulum tanquam patronorum, ad integrum fuerit exoluta. Ita tamen, quod predictus Magister Johannes Altarista, et alij pro tempore altariste omnem casum fortune aduerse, si que (sic), quod deus auertat, vel ab igne, vel aliquo alio incommodo evenerit, et reformacionis necessarie, quo ad quantitatem summe census predicti equaliter ferre debent. Pro tanto tibi Generoso Martino *Borzimowskj* Procuratori nostro Cracouiensi, et alijs pro tempore procuratoribus, quatenus de predicto censu duodecim marcarum eis respondeatis et responderj faciatis pro gracia nostra. Datum *Cracouie* feria quinta infra octauas Epiphanie domini, anno ejus millesimo quadringentesimo nonagesimo tercio, Regni nostri anno primo.

G. Vicecancellarius subscripsit.

Relacio Venerabilis Gregorij de *Ludbrancz* R. P. Vicecancellarij.

CCXXXVI.

In Calvo monte — die 8 Septembris 1494 anno.

Joannes Albertus rex, privilegia Vladislai patrui, et patris Casimiri Jagiellonidis, Monasterio S. Benedicti in Calvo Monte concessa, confirmat (1).

1510. In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam tametsi Katholici principes et Reges humanarum rerum gracia liberales decretorumque per antecessores suos latorum obseruatores esse consueuerunt multo tamen propensiores esse debent ad id faciendum ubi intuitu summi dei aut personarum in ecclesiis deo ipsi famulancium diuini cultus augendi causa ob spem remuneracionis eterne aliquid perpetuo duraturum conceduntur: Proinde nos Sigismundus dei gracia Rex Polonie Magnus dux Lithuanie nec non terrarum Craccouie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuiauie, Russie, Prussie, ac Culmensis, Elbingensis, Pomeranieque dominus et heres: Significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis, presentibus et futuris, harum

(1) Ex eodem libro manuscripto quem jam sub a. 1351. descripsimus.

Unius periodi Fontes diplomaticos historiae nostrae, complectentis quinque saecula usque ad a. 1506. primi Codicis hujus auctores exhauriendos, sibi susceperunt et hanc ob causam confirmatio haec privilegiorum a rege Sigismundo a. 1510 monasterio concessa, proprie ad Codicem nostrum non pertinet. Sed totum transumptum regis hoc loco typis mandamus, nam in illo praecipue valor totius tabulae continetur. Transumptum ex libro manu scripto, quem jam sub a. 1351 descripsimus, Casimiri Stronczynscii proprio, Leo Rzyszczewski descripsit. Transumptum hec datum est Cracoviae mense majo 1510 anno. Desunt in apographo Stronczynscii hujus confirmationis tenores tabularum transumpto insertarum et propterea nescimus plane, quae privilegia Joannes Albertus a. 1494, confirmat: fortasse nostra superius typis mandata. Auctori Codicis Stronczynsciani opus non erat, ut tenores tabularum in confirmatione a. 1510. inscriptarum repeteret, (habuit illas in libro manu scripto superius), sed hanc ob causam nos de illa re incertos reddidit. Joannem Albertum, omnia privilegia praedecessorum suorum jam primum confirmavisse, ex ipso transumpto Sigismundi patet. Maximi etiam momenti est testimonium Sigismundi, Joannem Albertum proprio manu transumptum suum scripsisse. Transumptum Joannis in Codice Stronczynsciano totum non habemus, sed illius privilegium a. 1494 in monte Calvo ab illo etiam scriptum, fundamentum confirmationis Sigismundi fuisse, clare omnibus apparet.

noticiam habituris, quomodo pro parte Venerabilis et relligiosi Petri Abbatis monasterii calui montis sancte crucis ordinis sancti Benedicti deuote nobis dilecti, ac pro parte tocius Conuentus, supplicatum est nobis ut priuilegium super certis libertatibus, exempcionibus et indultis, dicto monasterio et hominibus eius per serenissimos principes olim dominos, in primis Vladislaum patruum concessum, et tandem per Cazimirum genitorem Reges et antecessores nostros charissimos confirmatum, approbare, innouare, et ratificare dignaremur: cuius priuilegii de uerbo ad uerbum sequitur tenor:.

In nomine domini (²) amen, ad perpetuam rei memoriam. Nos Kazimirus dei gracia Rex Polonie nec non terrarum Craccouie, Sandomirie, Siradie etc. *(uide superius* (³) *ad finem usque hoc priuilegium sub signo....... finis uero illius est talis)* datum per manus uenerabilis Thoma de *Strapmo* (sic) (⁴) magistri in theologia decretorum doctoris et Regni Polonie Vicecancellarii sincere nobis dilecti: ad relacionem eiusdem.

1494. Nos Joannes Albertus (⁵) Rex Polonie etc. hanc litteram confirmamus, ratificamusque manu propria in omnibus clausulis et punctis prout superius scripte continentur a nobis et posteris nostris perpetuo seruanda. Datum ipso die Natiuitatis beate uirginis in loco calui montis, anno domini millesimo quadringentesimo nonagesimo quarto.

Nos itaque Sigismundus Rex prefatus eiusmodi peticionibus pro parte dicti abbatis monasterii sancte Crucis tanquam iustis permoti, priuilegium preinsertum omni suspicionis uicio carens, et non minus

(²) De privilegio Casimiri Jagellonidis incerti anni, haud dubio, transumpto Joannis Alberti inserto, agitur: vide annotationes sequentes.

(³) Verba, quae in parenthesi inveniuntur, sunt non regis sed auctoris codicis Stronczynsciani, qui *signum* non posuit et propterea de quibus privilegiis mentionem huc esse, nescimus.

(⁴) Thomas de *Strzempno*, vicecancellarius ab a. 1454 usque ad a. 1455. fuit, quo episcopus Cracoviensis factus est. Privilegium a. 1454—5. Casimiri regis ad usum sui Codicis non descripsit Rzyszczewski, qui nonnullos tantum fontes diplomaticos ex codice Stronczynsciano elegit.

(⁵) Conclusio transumpti regis Joannis Alberti, cujus initium in apographo Rzyszczewscii desideratur.

eo attento quod serenissimus olim princeps dominus Joannes Albertus Rex germanus et predecessor noster charissimus, propria manu, quam luculenter recognouimus illud scripsit et suprascripta clausula super ratificacionem paternam confirmauit eciam de certa sciencia et gracia Regiis nostris, de consilioque consiliariorum nostrorum, in omnibus suis punctis, articulis, condicionibus, libertatibus, et exempcionibus singulis in eodem priuilegio contentis, in totoque eius tenore ratificamus, innouamus, aprobamus, et confirmamus presentibus, decernentes illud robur debite perpetueque firmitatis optinere, tenore presencium mediante. In cuius rei testimonium presentibus [sigillum] est appensum. Actum *Graccouie* (sic) feria quarta festi sancti Stanislai in maio anno domini millesimo quingentesimo decimo. Regni uero nostri anno quarto, presentibus ibidem Reuerendis in Christo patribus dominis Joanne electo confirmato sancte ecclesie Gneznensis et Regni nostri Cancellario. Mathia Episcopo Premisliensi Regni eiusdem Vicecancellario, nec non magnificis, venerabilibus et genorosis Christofero (sic) de *Schidlouiecz* Sandomiriensi, Jacobo Siekliczkij Voiniciensi, Nicolao de *Schidlouiecz* Radomiensi, Nicolao Jordan de *Zakliczin* Biecensi, et Stanislao Curopathua de *Laczuchouu* Chelmensi Castellanis; Stanislao de *Chodecz* Marsalco ac Andrea de *Coscziel[i]jecz* Regni nostri thesaurario Capitaneo Schepusiensi (sic) et Bidgostiensi ac Zuppario et procuratore Craccouiensi, Joanne Lathalskij Gneznensis, Graccouiensis (sic) Lanciciensis ecclesiarum preposito, et Sigismundo Targouickj decretorum doctore, ac Joanne Carncouuskj Canonicis Graccouiensibus et secretariis nostris, et aliis consiliariis, curialibusque nostris fidedignis testibus ad premissa, sincere deuote et fidelibus dilectis (sic). Datum per manus eiusdem Reuerendi patris domini Joannis electi confirmati ecclesie Gneznensis et Regni Polonie cancellarii sincere nobis dilectj.

CCXXXVII.

Lublini—die 12 Novembris 1495 anno.

Usufructus thelonei Regii Sandomiriensis singulis annis pro mille marcis et croci libris decem et piperis lapidibus sex, ad tres annos a rege Joanne Alberto, civibus Sandomiriensibus data (1).

Joannes Albertus dei gracia Rex Polonie Suppremus dux Lithuanie, Russie, Prussieque dominus et heres etc. Significamus tenore presencium uniuersis. Quia cum famosis Joanne et Nicolao Gaijslar Ciuibus nostris Sandomiriensibus pro Theloneo nostro Sandomiriensi hunc fecimus contractum qui sequitur, per tres annos immediate sequentes duraturum. Quod scilicet ipsum theloneum pro mille marcis communis pecunie in Regno currentis, et decem libris Croci (2). ac sex lapidibus piperis. singulis annis eis conduximus, a festo Natiuitatis Christi proximo. quo finitur annus nunc currens, quintus post millesimum quadringentesimum nonagesimum incipiendo. usque ad aliud festum Natiuitatis Christi proximum. Tenebuntur itaque pro festo Penthecostes proximo nobis quingentas marcas. quinque libras croci, et tres lapides piperis soluere. Reliquas vero quingentas marcas. quinque eciam libras Croci et tres lapides piperis pro festo Natiuitatis Christi proximo. post prefatum penthecostes proximum festum, et sic deinceps sequentibus duobus annis predictas summas atque crocum cum pipere nobis soluere tenebuntur. Quod si quam ratam in soluendo nobis neglexerint. Extunc iuxta composicionem cum fideiussoribus factam, pro eis de theloneo ipso nos intromittemus, saluis fideiussorum inscripcionibus nobis factis. Item ultra hec omnia census ecclesiasticos in

(1) Ex originali Josephi Rusieccii proprio, Ant. Muczkowski descripsit. Sigillum deest.

(2) *Crocus*, polonice *szafran*.

eodem theloneo inscriptos soluere debent. Item si contigerit intra spacium predictorum trium annorum, quod meliorem ipsius thelonei condicionem faceremus. que cursum eius modernum superaret utilitate, licebit quoque nobis hunc contractum infringere, et denuo aliam meliorem condicionem super ipso theloneo facere pro nostra utilitate cum eis, vel quocunque alio. Preterea absoluimus ipsos theloneatores nostros et factores. seu familiam ipsorum sub eo tempore. quo in ipso officio erunt. ab omni jurisdicione omnium Regni nostri Palatinorum, Castellanorum, Capitaneorum, Judicum, Subjudicum et quorumcunque officialium. ac eorum vicesgerencium. Mandantes omnibus, ne audeant eos pro quibuscunque causis magnis et paruis iudicare. Judicio duntaxat nostro ejusmodj causas reseruamus. In cujus rei testimonium signetum nostrum presentibus est appensum. Datum in *Lublin* feria quinta in crastino festi sancti Martini anno domini millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto. Regni nostri anno quarto.

Commissio propria
domini Regis.

CCXXXVIII.

Cracoviae—die 17 Maji 1498 anno.

Joannes Albertus rex, privilegium Casimiri magni oppido dicto *Stobnica* datum, confirmat (1).

In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Actiones singule inter mortales geste, et precipue que Principum auctoritate fiunt, consveverunt literarum apicibus et sigillorum autenticorum mu-

(1) In transumpto hoc Joannis Alberti privilegium regis Casimiri legimus, quem legas pag. 277 hujus tomi.

nimine roborarj. Proinde Nos Johannes Albertus dei gracia Rex Polonie Supremus Dux Lythwanie, Russie, Prussie, ac Culmensis et Elbingensis, Pomeranieque dominus et heres etc. Significamus tenore presencium, quibus expedit, universis presentibus et futuris harum noticiam habituris. Qualiter providi Cives nostri de *Stobnycza* producto coram nobis ipsorum civili privilegio, pecierunt illud propter fracturam Sigilli, quam realiter vidimus casu commissam per nos innovarj. Cujus sequitur tenor.—(*Huc sequitur tabula Casimiri magni jam pag.* 277 *et seqq. Tomi hujus, typis mandata, conf. N. CXXXIII).*

Itaque nos peticionibus civium eorundem inclinati existentes, presertim cum cerneremus, privilegium suprascriptum coram nobis originaliter productum in toto sui tenore fuisse legitime emanatum, ejus vero sigillum casu quodam fortuito ab illo rutum (sic) esse, decrevimus preinsertum olim Kazimiri Regis privilegium, eis innovandum et innovamus presentibus. Quod quidem in toto ejus tenore, omnibusque ejus clausulis et articulis suprascriptis confirmamus perpetuo duraturum. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum presentibus est subappensum. Actum *Cracovie* feria quarta proxima post festum Sancte Zophie. Anno domini millesimo quadringentesimo nonagesimo octavo. Presentibus ibidem Reuerendissimis et Reuerendis in Christo patribus dominis, magnificis et generosis, Illustrissimo principe domino Frederico miseracione divina sacrosancte romane ecclesie presbytero Cardinali Archiepiscopo Gneznensi et primate, et Episcopo Cracoviensi, Andrea *Roza* Archiepiscopo Leopoliensi, Creslao Episcopo Wladislauiensi et Cancellario Regni nostri, Johanne de *Lubrancz* decretorum doctore posnaniensis, et Vincencio de *Przeramb* plocensis Vicecancellario Regni nostri Electis ecclesiarum, Johanne Amor de *Tharnow* Castellano Cracoviensi, Spythkone de *Jaroslaw* Cracoviensi. Nicolao de *Ostrow* Sandomiriensi, Johanne de *Tharnow* Lublinensi pallatinis, Johanne de *Ostrorog* posnaniensi, petro Sandomiriensi Nicolao Siradiensi, de *Curosuanky* Petro Myskowsky Sandecensi Castellanis, et Petro *Kmytha* de *Vyssnycze* Marschalco Regni nostri Capitaneoque Scepusiensi, alijsque quam pluribus Consiliarijs et Curiensibus nostris ad premissa testibus sincere et fidelibus dilectis.

Datum per manus prefati Reuerendi patris domini Creslaj Episcopi Wladislaviensis et Cancellarij Regni nostri Nobis sincere dilecti.

Relacio ejusdem Reuerendi patris domini Creslaj Episcopi Wladislaviensis et R. P. Cancellarij.

CCXXXIX.

Cracoviae—die 16 Februarii 1502 anno.

Alexander rex privilegium Casimiri magni super molendinum prope oppidum *Radoszyce* **situm, Martino olim datum, ejus successori Nicolao cuidam, confirmat** (1).

In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Factorum omnium in rebus mortalium nulli actus extant adeo diuturni nisi qui mandantur literarum munimentis, ut posteritatis quoque prodantur recordacioni, quatenus humanam saluent memoriam. Proinde nos Alexander dei gracia Rex polonie, nec non terrarum Cracouie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuyauie, Magnus dux Lithuanie, Russie. Prussie ac Culmensis et Elbinensis (sic) pomeranieque dominus et heres. Significamus tenore presencium etc. Quomodo licet molandinum (sic) nostrum prope opidum *Radoschicze* in fluvio *lanczen*, hereditario jure, discreto viro Martino molandinatori et posteritati sue legitime datum, donatum et asscriptum antiquitus extiterit ab serenissimo olim antiquo Kazimiro Rege Polonie predecessore nostro erigendum et construendum pro regalium proventuum meliori condicione et molandinatorum etiam utilitate, tamen exquo ipsum molendinum negligencia et discordia plurimorum ad ipsum et ad se jus competere pretenden-

(1) Conf. tabulam praecedentem ad diem 14 septembris 1369 a. typis mandatam. In libro Metrices Regni (vol. 17, fol. 308) talis legitur tabulae titulus: Innovacio priuilegii super molandinum (sic) prope oppidum Radoschicze.

cium, adeo fuit neglectum et destructum, quod jam pene desolatum longo tempore extitit, per quam eciam molendini desolacionem nostri proventus extitit deteriorata condicio, unde post decursum plurimi longi temporis, prouidus Nicolaus Niclouicz de *Radoschicze* hereditatem et successionem prefati molandini pretendens sibi de jure deberi, exhibuit coram Majestate nostra literas priuilegium continentes, quas sibi approbari innovari, ratificari et corroborari nostre Majestatis auctoritate humili cum instancia postulavit, astringens se et obligans ad instauracionem et reparacionem atque reedificacionem molandini prefati, cujus privilegij tenor de quo fit mencio, de verbo ad verbum sequitur et est talis: *(Huc sequitur tabula jam superius expressa— N. CLIV).*

Nos igitur prefati providi Nicolai Niklijovycz de *Radoschicze* peticionem et oblacionem justam et racioni consonam reputantes, sibi et suis legittimis successoribus priuilegium predictum duximus approbandum, innovandum, ratificandum et corroborandum, prout approbamus, ratificamus, corroboramus, decernentes eum (sic) robur et vigorem perpetuum habiturum tenore presencium mediante. Ita quod ipse Nicolaus tenebitur et debebit ac ipsius successores tenebuntur et debebunt molendinum predictum jam pene desertatum et desolatum instaurare, reedificare, reparare et construere debite pro nostra et nostrorum meliori condicione, juribus et obuencionibus nostris regalibus semper saluis. In cujus rei testimonium etc. Actum Cracouie feria quarta proxima post dominicam Invocavit in quadragesima, feria quinta post Cinerum anno domini millesimo quingentesimo secundo. Regni nostri primo.

Presentibus etc.

CCXL.

Cracoviae—die 17 Julii 1505 anno.

Alexander rex, privilegia urbis *Opatowiec* **a praedecessoribus suis data, renovat** (¹).

In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Tametsi authoritas regum et principum in omnium decretis Privilegiorum neminem fallat sed semper mansurum constituit. quitquid (sic) decernendo perpetuat. Tamen non ab re fit ut iterum iterumque approbet et firmitudinem ingeminet dum ea que semel in perpetuum concedit.

(¹) Ex transumpto regis Sigismundi primi a. 1538 Muczkowski descripsit. Privilegium Casimiri Jagellonidis, cui inserta est tabula Boleslai Pudici, jam superius typis mandata, anni est 1456. Tenorem confirmationis Sigismundi in annotatione huc adducimus:

1538. In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam Nos Sigismundus dei gratia etc. Significamus etc. Quomodo venientes huc ad nos Cives oppidi monastici *Oppathowiecz* (sic) abbatis Thijnijczen. Exhibuerunt Privilegium infrascriptum confirmatorium sub titulo et sigillo olim divi Alexandri Regis fratris germani et predecessoris nostri desideratissimi. Privilegium locationis et fundationis eiusdem oppidi *Opathowijecz* per Casimirum clarissime memorie regem parentem et predecessorem nostrum desideratissimum prius confirmatum in se continens. Nobis humiliter supplicantes quatenus hoc idem Privilegium nos eis quoque confirmare approbare et ratificare de benignitate nostra Regia dignaremur. Cuius quidem Privilegij tenor ad verbum ut sequitur est talis. (*Finitur vero hoc transumptum sequentibus verbis*).

Quorum quidem oppidanorum ipsius Abbatis de Thijnnijecz humilibus supplicationibus et intercessioni Consiliariorum nostrorum pro eis ad nos facte uti iuste et rationabili benigniter et generose annuentes eas ipsas literas seu privilegium eorum suprascriptum ratum et gratum habentes illud in omnibus eius punctis. clausulis articulis. et conditionibus de singulari gratia nostra approbavimus. confirmavimus et ratificavimus. approbamusque. confirmamus et ratificamus. Decernentes illud robur debite et perpetue firmitatis obtinere presentium vigore accedente in evum. Juribus ac pensionibus nostris nobis ex ipso oppido debitis per omnia salvis manentibus. In cuius rei etc. Actum Pijotrkowie in Conventione generali die dominico ante festum sancti Mathie. Anno domini millesimo quingentesimo trigesimo octavo. Regni vero nostri Anno trigesimo secundo. Presentibus Reuerendissimo Reuerendis, Magnificis Venerabilibus. Generosis. quibus supra (ut folio 320 in libro 54).

Paulus de *Volija*
Vicecancellarius subscripsit.

Relatio ejusdem Pauli.

non semel sed omni tempore vult et decernit perpetuo valitura. Proinde nos Alexander dei gracia Rex Polonie. Nec non terrarum Cracovie, Sandomirie. Siradie. Lancitie. Cuyavie. magnus dux Lithwanie. Russiae. Prussieque ac Culmensis Elbingensis et Pomeranie dominus et heres. Significamus tenore presentium. quibus expedit universis et singulis presentibus et futuris harum notitiam habituris. Quomodo constitutus in nostra et Consiliariorum nostrorum tunc nobiscum existentium presentia. Venerabilis et Religiosus Joannes Abbas Monasterij Thijnijczen. produxit certum Privilegium Boleslai Cracovie et Sandomirie ducis tenoris infrascripti Abbati et Conventui Monasterij Thiniczen. (sic) datum. ac per Serenissimum olim principem dominum Cazimirum Polonie etc. Regem genitorem et predecessorem nostrum charissimum approbatum et confirmatum. Supplicavitque nobis humiliter. ut illud etiam aprobare (sic) confirmare et ratificare dignaremur. Cuius quidem Privilegij tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis.

1456. In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Ne error oblivionis gestis sub tempore labentibus imposterum (sic) pariat detrimentum alta regum et principum providentia decrevit ea literarum apicibus et testium annotatione perhennarj. Proinde nos Cazimirus dei gratia Rex Polonie nec non terrarum Cracovie. Sandomirie, Siradie, Lancitie. Cuyavie. Magnus dux Lithwanie. Russie. Pomeranie Prussieque dominus et heres. Significamus tenore presentium. quibus expedit universis presentibus et futuris harum notitiam habituris. Quomodo per Venerabilem et Religiosum Mathiam Abbatem Thiniczensem et Canonicum Cracoviensem devote dilectum nostre Maiestati oblata petitio continebat. quattinus (sic) Privilegium Monasterij sui infrascriptum de innata celsitudini nostre clementia ratificare. approbare. gratificare. innovare. roborare. et confirmare dignaremur graciose. Cuius quidem Privilegij tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis. *(Hic sequitur idem verborum contextus, quem diploma anni* 1271 *pag.* 90—92, *Tomi primi hujus Codicis exhibet* ([2]).

([2]) Variantes lectiones nonnullae sunt in Muczkowscii apographo; varietas haec in nota huc affertur. Pag. 90 pro: *auctoritatem*, in confirmatione regis Sigismundi a Muczkowscio descripta, legimus *autoritatem*. Pro: *eternitatis*, *eternalis*.—Pag. 91 vers 2.

Nos igitur Cazimirus rex prefatus petitionibus prefatis tanquam iustis et rationabilibus benigniter annuentes Privilegium prescriptum in omnibus suis punctis capitulis, articulis clausulis et conditionibus universis. Et prout modo memoratus Abbas oppidum prefatum tenet. habet. ac possidet. de benignitate nostra Regia. ratificamus. innovamus. roboramus. et presentis scripti patrocinio confirmamus. Decernentes illud robur perpetue firmitatis obtinere. Harum quibus sigillum nostrum est appensum testimonio literarum. Actum Cracovie feria quarta proxima post festum Sancti Francisci Confessoris. Anno domini Millesimo quadringentesimo. quinquagesimo sexto. Presentibus ibidem Reuerendo in Christo patre domino Thoma dei gratia Episcopo. Nec non Magnificis et Generosis Joanne de *Czyzow* Castellano et Capitaneo. Joanne de *Thanczijn* Palatino Cracoviensi. Czeslao de *Curozwankij* Castellano Lublijnensi. Creslao *Woijssijk* de *Woycza* Succamerario Nicolao *Chrząnstkowskj* Tribuno Cracoviensi, et Joanne *Curopathwa* de *Laczuchow* Succamerario Lublinensi et Capitaneo Chelmensi et alijs quam pluribus testibus circa premissa. Datum per manus Reuerendi patris domini Joannis Luthkonis de *Brzezije.* utriusque Juris doctoris Sacri Palacij Apostolici causarum auditoris Archidiaconi Gneznensis et Regni Polonie Vicecancellarij syncere nobis dilecti. Relatio Venerabilis Joannis de *Brzezie* utriusque Juris doctoris. Sacrij palacij Apostolici causarum auditoris Archidiaconi Gneznensis R. P. Vicecancellarij.

1505. Cuius quidem Venerabilis Joannis Abbatis supplicationibus Nos Alexander Rex prefatus. tanquam iustis benigniter acclinati Privilegium preinsertum in omnibus eiusdem punctis conditionibus. clausulis et articulis. ratum. firmum et gratum habentes de gratia nostra approbavimus. confirmavimus et ratificavimus, approbamusque confirmamus et ratificamus tenore presentium mediante. Decernentes ipsum robur perpetue firmitatis obtinere. In cuius rei testimonium sigillum

pro: *Quod*, Quomodo.—Vers 4. pro: *eciam,* etiam.—Vers 5. pro: *Domini Modliborii*, Demum Modilibosij.—Pro: *tocius*, totius.—Pro: *Tynecensis*, Thijniczensis.—Vers 9. pro: *Opatowiec,* Oppathowiecz.—Vers 13. pro: *Polonicalis*, Polonici etc.

nostrum presentibus est subappensum. Actum *Cracovie* feria tertia festi Divisionis sanctorum Apostolorum Anno domini Millesimo quingentesimo quinto. Regni vero nostri anno quarto. Presentibus Reuerendis in Christo patribus dominis Joanne Cracoviensi et Mathia Premisliensi Episcopis Nec non Magnificis Venerabili et Generosis Petro *Mijsskowskj* Lancitiensi, et Stanislao *Cmijtha* de *Vijssnijcze* Belzensi Palatinis Stanislao de *Chodecz* Castellano et Capitaneo Leopoliensi ac Marsalco Joanne de *Lassko* Cancellario et Jacobo de *Schidlowijecz* Thezaurario Regni nostri, Petro *Schaffranijecz* de *Pyesskowa skala* Visliciensi et Joanne *Jordan* de *Zaklijczin* Bijeczensi Castellanis. Stanislao *Jaroczki* Marschalco. et Stanislao *Schaffranijecz* Succamerario Curie nostre. et alijs quam plurimis dignitarijs offitialibus et Curiensibus nostris syncere et fidelibus nobis dilectis. Datum per manus eiusdem Reuerendi in Christo patris domini Mathie Episcopi Premisliensis et Regni nostri Vicecancellarij syncere nobis dilecti. Mathias. D. Episcopus. et Vicecancellarius subscripsit. Relatio eiusdem Reuerendi in Christo patris domini Mathie Episcopi Premisliensis. et Regni Polonie Vicecancellarij.

1538. Quorum quidem oppidanorum ipsius Abbatis de *Thijnnijecz* humilibus supplicationibus et intercessioni Consiliariorum nostrorum pro eis ad nos facte uti iuste et rationabili benigniter et generose annuentes eas ipsas literas seu privilegium eorum suprascriptum ratum et gratum habentes illud in omnibus eius punctis. clausulis articulis. et conditionibus de singulari gratia nostra approbavimus. confirmavimus et ratificavimus. approbamusque. confirmamus et ratificamus Decernentes illud robur debite et perpetue firmitatis obtinere presentium vigore accedente in evum. Juribus. ac pensionibus nostris nobis ex ipso oppido debitis per omnia salvis manentibus. In cuius rei etc. Actum *Pijotrkowie* in Conventione generali die dominico ante festum sancti Mathie. Anno domini millesimo quingentesimo trigesimo octavo. Regni vero nostri Anno trigesimo secundo.

Presentibus Reuerendissimo Reuerendis, Magnificis Venerabilibus. Generosis. quibus supra (³).

Paulus de *Volija* Vicecancellarius subscripsit.

Relatio ejusdem Pauli.

(³) *Quibus supra* etc. Praesentes, reverendi patres domini et magnifici generosique palatini et castellani, de quibus huc mentionem habemus, in alia tabula leguntur in libro Metrices vol. 54. fol. 320, uti Muczkowski nos certos reddit, sed ipse illos omnes omisit in apographo suo.

CCXLI.

Lublini — 4 Martij 1506 anno.

Alexander, rex Poloniae, in tota terra Scepussiensi Joanni Jordan de *Zakliczyn* Castellano Biecensi tria millia septingentos et sexaginta florenos hungaricales in auro inscribit (¹).

Alexander dei gracia Rex Polonie Magnus dux lithuanie, Russie, Prussieque dominus et heres etc. Significamus tenore presencium quibus expedit uniuersis. Quia generoso Joannj Jordan de *Zakliczin* castellano Byecensi et Zuppario nostro cracouiensi tria millia septingentos et sexaginta florenos hungaricales in auro; quos pro nobis se principalem ponendo generoso Stanislao Schaffranyecz de *Pyeschkowa skala* succamerario curie nostre soluit, debemus. De quibus ipsum Joannem indemnem, ac de eorum solucione cerciorem efficere cupientes, eidem Joanni *Jordan* suisque successoribus ipsam trium millium septingentorum et sexaginta florenorum summam de prouentibus et censibus capitaneatus Scepusiensis, quem sibi impresenciarum inscripsimus pro nobis in extenuacione dictorum censuum annis singulis so-

(¹) Ex originali a doctissimo Venc. Alex. Maciejowscio concesso, descripsit Muczkowski. Sigillum deest. Rex Alexander ipse propria manu tabulam subscripsit, characteres ejus vero paulo nigriores sunt characteribus privilegii. Incerta vero manu subscripsit, nam propter Scepussiae oppignorationem, magno dolore illum affectum esse, Muczkowski putat. Tabula praecisa, fortasse eam ob causam, quod debita pecunia soluta fuerat, temporibus jam Sigismundi primi regis et cura Joannis Bonari, qui regi fuit a rebus thesauri.

luendorum reseruatis per ipsum Joannem et suos successores tollendos et percipiendos, usque ad totalem dicte summe trium millium septingentorum sexaginta florenorum solucionem demonstrauimus et assignauimus, demonstramusque et assignamus presentibus, de quibus tribus millibus septingentis et sexaginta florenis sic ut premisimus per ipsum Joannem Jordan et successores suos de censibus et prouentibus pro nobis reseruatis ac pertinentibus percipiendis, ipsum Joannem et ipsius legittimos successores quittamus per presentes. Et nichilominus casu contingente, si ipsum Joannem aut successores suos de tenuta predicta nos aut successores nostri redimere vellet aut vellent; priusquam ipse Joannes aut successores sui summam ipsam florenorum in censibus nobis reseruatis extenuaret, extunc promittimus quia eundem Joannem Jordan et ipsius legittimos successores a tenuta et capitaneatu predicto Scepusiensi non redimemus, non amouebimusque, ac successores nostri amouere redimereque non debebunt neque poterint (sic) tamdiu, donec dicta tria millia septingentos et sexaginta florenos hungaricales in auro ex eisdem prouentibus nobis in extenuacione predicta reseruatis percipiet ex integro; vel si ante complementum extenuacionis eum redimere vellemus, tunc circa redempcionem, quicquid non extenuauerit, id ipsi Joanni et successoribus suis una cum summis in castris et terra scepusiensi per nos inscriptis nos, successoresque nostri sibi successoribusque suis exoluemus et exoluent. Et tandem possessio dictorum bonorum Scepusij ad nos et successores nostros deuoluetur, saluis iuribus nostris. Harum quibus sigillum nostrum est subappensum testimonio litterarum. Datum in conuencione lublinensi generali feria quarta proxima ante dominicam reminiscere anno domini millesimo quingentesimo sexto, regni nostri anno quinto.

Alexander dei gracia Rex
manu propria subscripsit.

FINIS TOMI TERTII.

INDEX I.

Personarum, quarum vel literae, vel nomina, vel insignia in tabulis adducuntur.

D.

M.

INDEX II.

Pagorum, urbium, oppidorum, castrorum, villarum, monasteriorum, silvarum, fluminum, rivorum etc. in tabulis hisce occurrentium.

Pag.

C.

E.

F.

P.

R.

T.

Ż.

INDEX III.

Nominum barbarorum et exoticorum medii aevi, nec non aliorum quae primo secundoque Indici inseri apte non poterant.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pagina 3, *linea* 30, Pudicis, *lege* Pudici.
12. Lin. 4. in summario tabulae parenthesis deleatur.
15. Annotatio 10. Fortasse de ecclesia in *Zwierzyniec* apud Cracoviam, tabula loquitur. De ecclesia Zwierzyniecensi conf. annotationem pag. 70 hujus tomi Codicis.
35. Annotat. 15; in confiniis *Prusiae*, lege *Prussiae*.
36. Annotat. 34; ex liberis manuscriptis, lege ex *libris* manuscriptis.
38. Tabulae perperam numerus adscriptus, pro „XX." lege „XXI," Idem error pag. 41. Tabula XXI debebat esse XX. Series chronologica non servata, tabula anni 1243, typis edita male ante tabulam anni 1242.
43. Annotat. 5 pro „dabimus intra sub a. 1245" lege „sub anno 1254. Nro. XXVIII."
50. Annotat. 6. Ad malam informationem perperam diximus, Ottonem de Zdyszowice primum praelaturam sandomiriensis capituli, vulgo cantoriam dictam, fundasse temporibus Vladislai Jagellonis. Nam cantores sandomirienses in aliis tabulis legimus jam seculo XIII, v. g. Gozlaum de Zudomer a. 1221 et Tvardoslaum a. 1271 jam in nostro Rzyszczewsciano Codice, priorum tomorum invenimus. Goslaus idem apud Gładyszewiczii „Żywot blog. Prandoty" a. 1220 legitur. Nassonem vero canonicum cracoviensem et cantorem sandomiriensem doctissimus Łętowski episcopus Joppensis in praeclarissimo opere suo: „Katalog biskupów, prałatów i kanoników krakowskich." T. III. in capituli archivo invenit. Itaque Otto de Zdyszowice dotem praelaturae auxit, non autem fundator fuit.
67. Annotat. — linea penultima — pro „conf. privilegium LX. Tomi I. etc.; lege „conf. privilegium LV. Tomi I." etc.
83. In annotationis 1ae linea 3. pro „navignim" lege „navigium."
97. Ann. 1. lin. 7. pro „Scepusca" lege „Scepusia."
107. Annot. 1. lin 5. pro „Pudicis" lege „Pudici."
122. Linea 15. pro „Lestco" legas „Lesco."
135. Annotatio 1a linea 5. pro „doctissimus" legas „doctissimis."
155. Linea 11. Transumptum Casimiri Magni anni est 1344 non 1348, ut legitur impressum. Idem error corrigendus est eadem pagina vers. 16. Annus enim non 1340 sed 1344 legendus est.
230. Lin. 3 annotationis pro „Nostra" lege „nostra."
253. Privilegium Nro CXIX anni est 1358, non autem anni 1348.
376. Lin. 9. pro „Muchael" legas „Michaël."
377. In annotatione „ed est" leg. „id est."
393. Annot. 2da, post „prima" deleatur punctum.
Sunt nonnullae annotationes ad priores praecipue tabulas hujus tomi pertinentes, quae de Josephi Łepkowscii in Codicem nostrum meritis memorant, illumque Łebkowscium appellant, sed falso. Lector benevolus errorem hunc omnibus locis, quibus invenitur, corrigat.

Parcat, quaesumus, aliis nostris erroribus omissionibusque.

Corrigenda enim quae haec nostra exhibet pagina, nunc tantum deprehendimus, nonnullasqve praetermittere possumus. Archetypa accuratissime a nobis typis sunt descripta, maximamque curam insumpsimus ut auctoritatem diplomaticam omnem Codici Nostro daremus.

w Drukarni Gazety Codziennéj.